796145

1


Inventarium Catalogo Librorum
Reverendi Patris Fratis de Gyalo
Domus accepti a R. D. Emerico
Comperger Anno 1774.

796145

1

Inscripsy Catalogo Librorum
Antiquorum Patris de Gubernatis
Domus accepimus a R. D. Emerico
Comptgutter Anno 1774.

796145





ANTONIO. E . COMITIBUS . KAROLY.
PATRICIO. HUNGARO.
QUI.
CUM. LITTERIS. BENE. VOLET.
HAE. EAEDEM.
EI.
HOC. MONUMENTUM.
POSUERUNT.

I: Phil. Binder. Sc: Budæ.

IOANNIS LVCII

DE REGNO

DALMATIÆ

ET

CROATIÆ

LIBRI SEX.

EDITIO NOVA ATQVE EMENDATA.



M. D. CC. LVIII.

VINDOBONAE,

Typis Ioannis Thomae Trattner, Sac. Cæs. Reg. Maiestatis
Aulæ Typogr. et Bibliop.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

POSITIONES PHILOSOPHICO-MATHEMATICAE

DE QUIBUS

PRAENOBILIS ET ERUDITUS DOMINUS

EMERICUS ARMPRUSTER

DE SZENT GYÖRGY,

PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS AUDITOR

DISPUTABIT

APUD

SCHOLAS PIAS

PESTIENSES

M. DCC. LXVII.

PESTINI,

TYPIS, EITZENBERGERIANIS.



QUAS.

ANTONIO. KAROLY.

PATRICIO. HUNGARO.

DUCI. COMITI. EQUITI. THERESIANO.

EXCELLENTISSIMI. NOMINIS VIRO.

ET. AVITA. MAIORUM. SERIE. INCLYTO.

BELLI. ET. PACIS. TEMPORE.

SPECTATISSIMO.

SCIENTIA. ARTIBUS. ET. ERUDITIONE.

POLITISSIMO.

STUDIORUM. PHILOSOPHICORUM. FAUTORI.

ET

PATRONO. OPTIMO. LITTERARUM.

LEOPOLDUS. SCHAFFRATH.

CLERICUS. REGULARIS.

SCHOLARUM. PIARUM.

HAS. SUAS.

POSITIONES. PHILOSOPHICAS.

PRO. VETERIBUS. ET. NOVIS. GRATIIS.

UT. EAS. HAC. SALTEM. RATIONE. COLERET.

IN. PERENNE. GRATI. ANIMI. STUDIUM.

CONSECRAVIT.

COMES EXCELLENTISSIME!

SI quo TE COMES EXCELLENTISSIME. & ipſa natura, & Nobilitas TUA longa ſerie majorum deducta, deque Patriciorum genere orta affatim cumulavit in alium hoc DEI, & fortunae donum, translatum fuiſſet, dubitarem certe an tanta raritate, tantoque Gentis noſtræ univerſæ decore eluceſceret; cum virtus cuilibet ſua propria ſit, eamque meritis ſuis, & opere augeat quiſque; hanc in TE, & domi, & foris, & belli, & pacis tempore omnes ordines una acclamatione profitentur; non

hic ego more precantium in laudes Tritavi, Majorum, aut ipsius Patris TUI, Viri sicut utraque in Republica magni, & inclyti, ita in virtute plane præcellentis excurram non glorioſe pro Rege, & Patria acta longa oratione perſequar; TUIS TE poſſum ornare virtutibus, TUA adferre decora, TUAM in Patriam & Regem oſtendere pietatem, reverentiam; TUA inquam poſſum oſtendere vulnera, & cicatrices, luculentum animi, & virtutis Teſtimonium. Sed; cum TU COMES EXCELLENTISSIME non virtutis ſpecie, ſed illa ipſa tenearis, laudes-

des TUAS memorantes, non audias (quod proprium virtutis eſt) immo ipſe, cum me alloquio TUO dignarere, apertis verbis ſaepius es profeſſus; unde ego, & ſcientiam TUAM, & exquiſitam in Numen pietatem, literas, quas hoc ipſo etiam tempore mire colis, & bellicam TUAM Virtutem, ætate TUA longe majorem, vulnera denique & reliqua virtutum inſignia preſſe ſilebo, cum me etiam tacente circumpoſita Procerum multitudo ea ſciat, ſuſpiciat, planeque miretur, unum tamen proloquor, idque a TE ſumis contendo votis COMES EXCEL-

LENTISSIME, ut hoc noſtrum ſtudium æqui-bonique, ut magni parvis ſolent, conſulas; qui pro hoc beneficio æternum devincti in perpetuo grati animi cultu & memoria ſumus perſeveraturi.

Excellentiſſimi Nominis TUI

Perpetuus Cultor
EMERICUS ARMPRUSTER,
de Szent-Gyôrgy Phil. & Matheſ.
Auditor emeritus.

POSITIONES
PHILOSOPHICAE
EX
ARTE RECTE COGITANDI.

I.

Conjunxit DEUS nexu mirabili mentem corpori hominemque sic posuit, & iis donis auxit, ut res non tantum omnes sibi vicinas, sed & remotas, & impervias corpori, mente penetret, causasque, etsi non semper perfectas, sufficientes tamen adsignare valeat: &, qui ea felicitate praeditus est, hunc Philosophum, ejus vero Cognitionem Philosophicam dico.

II. Complectitur ideo Philosophia animæ non minus, ac corporis actiones, & rationes earum disquirit, videre enim est diversas operationes in anima, *perceptiones* nempe, *judicia*, *volitiones*, *Cogitationes*, quas, juxta suas species distinguimus, ideas vero à perceptionibus nullatenus; illae etiam mentibus congenitae non sunt, unde Democriti opinio de ideis, Malebranchii, Lochii, Carresii, Lucretii, aliorumque sustineri non potest.

III. Falsitas idearum nulla est, quia conformiter suis objectis repraesentantur, quod veritatis est; occasio quidem erroris esse possunt, propter praeceps Judicium Philosopho castigandum.

IV. Plurima in Logica sunt, de quibus miror aliquando disceptatum fuisse, ut de universalibus, quae alioquin non extant, (ut scholae inquiunt) *a parte rei* de *divisione*, de *definitione*, de *actubus judicii*, an *simplices*, an compositi, an actus illi, ad intellectum potius, an ad voluntatem pertineant, de utroque exigua est lis, ego judicium omne simplicem actum puto, atque ad intellectum spectantem.

V. Praestaret puto, si per Logicam corrigerentur errores, qui in judicium irrepere solent: causantur ejusmodi, à *brevi humanae mentis capacitate*, à *studio novitatis*, à *praejudiciis infantiae*, *doctrinae*, *nationis* & aliis plurimis, quae nec affere volo, nec expedit.

VI. Quod de propositionibus in arte excolendi intellectus tradi consuevit, alioquin manifestum est: propositiones enim in materia contingente contradictoriae neutra earum determinate vera, vel falsa, in *signo Rationis* dici potest, propositiones probabiles alioquin obtinent tantum assensum probabilem: gradus vero probabilitatis à fortioribus iisque ex sanis & rectis principiis deductis momentis derivatur, ejusmodi propositionum criterium, ad quod exigi debent

bene ſtatutum eſt, a celebri Wolffio, & Leibnitio, ex quo inſtar Corollarii deducitur ſcientiam apud nos & exiſtere aliquam tantum, Deum vero & naturam multa mirabiliter recondidiſſe, quae nos uſque modo latent.

EX METAPHYSICA.

VII. Utinam in hac univerſali entis ſcientia non tot, tantaque probabilitatis gradum continentia reperirentur. Quærunt enim, an ens *univoce*, an *æquivoce* conveniat DEO, ac creaturis? quis entis a ſe & entis ab alio nationem non novit? & cum novit quid, cur quaeſtio inſtituitur? ſi autem de ente ut ente ſermo eſt, de verbo lis eſt. quid dein? *an eſſentia*, ab *exiſtentia realiter diſtinguatur*? non; quid poſtea? an diſcrepent *diſtinctione formali ex natura rei*? ut quid hoc? cum ad omnem diſtinctionem *realis* & *virtualis* ſufficere videatur, & ſic porro: quærunt ſcholae etiam longa diſceptatione, an detur actio in diſtans, alioquin omnis actio corporea motus eſt, ergo fieri nequit niſi propagatione, quacunque demum determinatione motus de qua modo diſputare non libet, ergo ut indiſtans fiat omnis actio propagata, quae cauſa alterius eſt, quî non video poſſibile.

VIII. Bene vero diſcutiendae ſunt cauſae, quae vere, & proprie agentes tantum ſpirituales ſunt ſubſtantiae, quae proprie effectrices actuum ſuorum, cauſae enim materiales non agunt proprie, inſtrumentales ſunt corporeae, adtamen omnium cauſarum ſecundarum concurſus DEI immediatus neceſſarius eſt 1mo; interruptio nexus cauſarum, imo ut apertius loquar praemotio ſpecialis Phyſica 2do, effectuumque ſuſpenſio & cauſa ſoli DEO, utpote Auctori competit naturae, fit enim hoc non contra, ſed praeter nexum, quem, qui poſuit ſuſpendere, & ſolvere poteſt, unde poteſt *magia* dari, quae tamen longe differt a *miraculo*, ſed non omnis annilis fabula hic locum habet, cum multa non tantum falſitatis ſpeciem, ſed & ipſum falſum aperte doceant; legitimo inde Corollario educere poſſum, cauſas ſecundas miracula producere non poſſe.

IX. Quando res aliqua ponitur, ratio eſt, quare potius ſic poſita ſit, quam non, quod Leibnitiani *rationis ſufficientis principium* dicunt, quod certe admitti debet, ſi permaneat intra limites materialis mundi, deducitur enim ex principio contradictionis ineluctabili, quod primum cognitionis principium in recto ſenſu admitti, poteſt. ſicut & poſſibilitas rebus extrinſeca.

X. Mundi Auctor eſt ipſe DEUS, qui eum liberrime condidit, finalis ejus cauſa, eſt bonitas DEI, creaturis communicanda, conſervans vero ipſe DEUS poſſibiles quidem plures fuerant mundi, hic autem unus conditus, in genere ſuo perfectus eſt, cum ad modum operationis Divinae effici melior alioquin non potuerit; ſic nec potuit DEUS perfectiorem condere, ſi rationem finis ſpectem, ſed neque ab æterno, id probe intelligit, qui notionem æternitatis rectam habet, ex quo ſequitur: refutatum maledictum ſpinoſae, quo dicebat mundum eſſe unicam et DEI ſubſtantiam, reliqua omnia modificationes ejusdem Divinæ ſubſtantiae.

XI. Fatum quocunque nomine veſtitum, præter phyſicum admitti non poteſt, melius providentiam dixeris, qua DEUS, iis quae creavit, opitulatur, cujus exiſtentia omnibus argumentis demonſtrari poteſt, qui ita unus eſt, ut plures repugnent, atque in eo omnes perfectiones eminenter, infiniteque continentur; eſt ubique per ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam, incomprehenſibilis, æternus, immenſus, videt ſe, & omnia, quae a ſe, quoquo modo diſtincta, ſeu poſſibilia, ſive actu exiſtentia, neceſſaria, ſive libera, ſive abſolute, ſive conditionate futura ſint; poſſibilia quidem in eſſentia, ac omnipotentia ſua, futura vero in decretis.

XII. Anima humana ſubſtantia materialis non eſt, nec eſſe poteſt, ſed ſpiritus merito dicitur, immortalitas tamen eſſentialis ei non competit, unde par-

ticu

ticula non est ex substantia DEI avulsa, neque ipse DEus, sed neque reliquiae animæ mundi juxta Platonicos dissentio in hoc a Cl. Wolffio, etiam quod positae sint animae, ante hunc mundum, uti etiam nunquam intelligere possum, qua ratione propagaretur per traducem, sed neque omnes simul creatas corpusculisque organicis inclusas asseverare audeo, sed tunc a DEO creari puto, quando corpora sunt perfecta, ut sufficientia sint, ad functiones ipsis proprias exercendas.

XIII. Difficilior subinde orta est in scholis melioris Philosophiae quæstio, quando, & qua ratione anima agat in corpus; tria innotuere systemata hactenus, nullum sufficiens est; quia vero anima una in unico est homine (de media ad quam dolores, & voluptates referuntur sana Philosophia, & Christiana nihil scit) ideo illa neque in pluribus corporibus neque successive, per Metemphychoseos deliria existere potest, bene vero probabili argumento demonstratur, animam illi parti coexistere, in quo capita nervorum conjunguntur: & si ego dixero animam coexistere substantiae simplici ex qua corpora facta sunt expedio me plurimis molestiis quae in systemate influxus Physici merito objiciuntur & rectius puto me judicare in conjunctione corporis cum anima. Sunt in hac spirituali substantia modificationes plurimae. Sensio, & sensatio perficitur quidem in cerebro, at reflexio super hæc in anima; *Imaginatio* vero oritur cum fortis per spiritus vitales sit impressio & animam in attentionem erigit; *Memoria* ex relictis vestigiis, conjunctioneque ideæ primæ cum 2da et sic porro

XIV. Bruta quid sint, bene fortassis judico, neque tamen decernere volo animas eorum substantias materiales dicere non possum, neque spiritus per Metemphychosim Pithagoreorum, neque dæmones, sed neque substantias inter spiritum, & corpus medias, neque simplices; sed et nova hæc propositio est, quamque propugnare nequeo, aninimas brntorum esse substantias materiales, sed non materiam: classem, quo ens hoc referatur, ubi melius sydus Philosophiae illuxerit, determinaturi sumus, patietur ideo Philosophus ut sensa animi mei modo consepulta retineam.

EX
PHYSICA.
De Natura, Objecto, et Partibus Physicae.

XV. Physica nomen a natura, seu Graeco nasci mutuata; est scientia res omnes naturales, earumque phœnomena expendens, atque ex Generalibus principiis, ut ut paucis, attamen veris, ratione, & experientia firmatis causas rerum juxta naturae leges congrua illatione deducere, unde ejus fnndamenta sunt merito *Ratio* & *Experientia*, objectum vero ejus omnia corpora Cœli, terraeque ambitu conclusa, quorum omnium naturae sunt quidem necessariae, (sed absit absolutam intelligere cum spinosa, sed hypotheticam solum) quorum corporum effectus, et causas servatis regulis Newtonianis in Physica sectabimur, alioquin Hypotheses rejiciendae, quae nullis fundatae sunt, & nixae rationibus, accidit ad hoc, quod effectuum naturalium ejusdem generis eaedem semper sint causae, quodque qualitates, & quantitates corporum, quae intendi, et remitti nequeunt, & quae experimentis adhibitis corporibus semper, & ubique competunt, pro universalibus corporum attributis merito habentur.

XVI. Qnoniam autem corpora sunt objectum Physices, libuit primum indagare, quibusnam ex principiis componantur; Chaldaei, Persae, Phœnices, Ægyptii putarunt Chaos, & ignem, Pithagoras numeros, (quos quidam sat sinistre interpraetati sunt; Aristoteles materiam, formam, et privationem, Idealistae in methodo sua ideali, Recentiores quidam in diversas abierunt sententias, ut Cl. Boscovich ejusque asseclae, nobis, quibus longe alia idea extensionis est, substantias simplices inextensas, nullis partibus praeditas, impenetrabiles, vi activa gaudentes pro principiis corporum statuimus, aqua enim aer, ignis, & terra elementa sunt, & jam composita unde sicut a prioribus dissentimus, ita nec Hel-

montio, nec Newtono, sed nec Leibnitio, & Wolffio in monadibus vi repraesentativa praditis assentimur.

De Generalibus proprietatibus Corporum & Divisibilitate.

XVII. Sicut corpus existere certum est, ita certum est ejus essentiam in extensione non collocari, nisi quis proprietatem cum essentia proprie confundat, sicut enim impenetrabilitas, soliditas, quiescibilitas, attractio vires centrales vis elastica, porositas, proprietates sunt, ita pariter extensio.

XVIII. Si quis divisibilitatem bene distinxerit, *Matematicam* à *Physica* discernat certo oportet, quousque Physica se exstendat, subdivisio luculente exhibet, & minima partium divisibilitas elucet hoc in experimentis: Radius enim Lucis materia electrica, Mercurius necdum fixus, Aurum ductile, &c. exhibent omni vero corpori competit divisibilitas usque in infinitum, si prioris ratio habeatur, quod divisibile est, in partes separari potest, ut ratio subjecti desideraverit, sive in Physicas, seu in subdivisiones Metaphysicas per intellectum nempe factas; Physicae partes, & subdivisiones quo collocantur illae, dicitur *Spatium*: vacuum nempe extensum, penetrabile, omni corpore destitutum, Cartesiani vacuum nec possibile admiserunt: non video, quare? Contradictionem enim nullam involvit, id intelligimus de coacervato; disseminatum alioquin existit, tot argumentis, & experimentis firmatum.

De Porositate Corporum, Spatio, Tempore, & Loco.

XIX. Porositas omni corpori competit pro diversa ratione attractionis, sive partium combinatione, hinc majorem molem alia, massam vero minorem, & vice versa obtinent, quae majorem molem, seu volumen continent, majus spatium obtinent, quod definitur esse unicum intactile sibi ubique esse simile, extensum; qui correlationem dicunt, non errant, aeternum tamen, & infinitum implicat, unde etiam perperam assumitur spatium pro interna corporis superficie.

XX. Tempus est successiva durationis extensio, ex partibus sibi ordine successivo succedentibus bona est hujus partitio in *Relativum*, *Vulgare*, & *Apparens*, *verum* &c. sicut in *praeteritum*, *praesens*, & *futurum*, ac recte fors ille Philosophus, qui solum praesens dixit esse tempus, illudque quod Physico in instanti consistit.

De Motu in universum, de Quiete, Inertia, & Mobilitate Corporum.

XXI. Motum melius explicare, quam definire quisque potest, dicendo: Motum esse translationem corporis unius, vel partis vel totius, de loco in locum fluxu continuo, de cujus existentia dubitari non potest, etsi instantaneus nullus detur, motûs causa est interna vis activitatis (ex quo attractio) gravitas, impetus impressus vires centrales, electrice, corporum collisio, vitales potentiae &c. Harum causarum in motu actiones momentaneae sunt, & continuationes sunt continuae earumdem repetitiones perpetuae; falsum ideo est Cartesii dictum, quodque mathematice, & algebraice designari potest, motum de novo non produci, fieri enim potest, ut vis quaepiam agens vim resistentem patientis corporis superet, sit enim $m = 8 = v\,16, i = 3 + 5, + \frac{8}{3} = m + v + \frac{v}{c} + i\frac{c}{f\,g:}$ aliud vero corpus habeat $m = 16, v = 8 + 4 + 6, i\,6 + 8 - 3 + \frac{15}{4}$ erit novus motus $c + f$ seu novus ortus ex utriusque impulsu describetque diagonalem. Motui opponitur quies, quae permaneutia in eodem loco est, haec ab inertia certe distinguitur contra Cartesium, cum inertia in ipso etiam actuali motu existat, licet respective sumpta admitti possit, positiva tamen, & absoluta nulla ratione.

XXII.

XXII. Mobilitas omni corpori competit, hujus diversitas fundatur & in figura, & in levigatione, mole massa &c. si inertiam confunderemus temere cum quiete, quomodo inertia esset vis insita corpori perseverantis in statu seu motus, seu quietis hujus diversitas, est in ratione quantitatis materiae, indifferentia hujus ad recipiendas externas actiones non obest, quin idem reactionem contrariam in agens externum refundat, tantamque mutationem in externum illud agens inducat, quantum de priori suo statu per impulsum immutatur. Motus item alteri corpori ab altero quandoque imprimitur absque advertentia sensibili motus in corpore impulso; unde etiam omne corpus in statu suo quiescendi, vel movendi uniformiter indirectum perseverat, nisi quatenus a viribus impressis ad status mutationem cogitur, unde vides, quam erronee motum corpus ad quietem tendere natura sua dicebant aliqui: Mutatio motus proportionalis est omn ivi motrici impressae, & fit semper secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur.

XXIII. Actioni semper est = & contraria reactio, sicut corporum duorum actiones in se mutuo agentium = in partes contrarias diriguntur, unde sequitur ex conflictu duorum corporum = motum in utrumque propagari, inde remigatio, Cymbarum directio manifesta; immo etiam mobile perpetuum inveniri potest, dummodo frictionis restitutio ad amussim = decremento inveniatur.

De Attractione, & Repulsione.

XXIV. Notum attractionis nomen, proprietatem superius memini corporum omnium; hic dicimus esse vim, qua corpora ad se mutuo accedunt si in hac causae adsint perturbantes, proportionata est moli totius corporis; majora quidem corpora vires attractrices exercent in ratione inversa quadratorum distantiae cæteris paribus, substantiarum autem vis, ex quibus corpora componuntur (intelligo jam corpuscula 2di, 3tii, & 4ti generis) multo est fortior in ipso contactu, quam cum vel minimo intervallo a se invicem separantur, unde vires particularum attrahentium in recessu decrescunt, in ratione plus, quam duplicata distantiarum, cum igitur hac ratione vires corporis attrahentis decrescunt, in triplicata, aut plus quam triplicata augescentium, ipsa attractio erit infinite fortior in ipso paticularum contactu, quae vires eleganter illustrantur per areas hyperbolicas, vel in, vel extra contactum asymptotorum, immo vis illa, qua particulae cujusdam corporis tendunt versus planum, est illi perpendicularis; firmatur ejusmodi attractio cum omnibus legibus suis, diversis experimentis.

De *viribus centralibus.*

XXV. Vires centrales attractioni legum originem suam debent, etsi = fuerint periodica tempora, & distantia, a centro itidem = erunt centrales vires, ut est quantitas materiae, in corporibus, quae revolvuntur; sii vero m = q v q + q = m & p t = pt, erunt vires centrales, ut distantiae a centro si quo casu autem $p + t^2 = q^2 + q^2$, $q^3 + q^2$ et d + d in = ad c + c erit c + c in ratione composita materiae, & distantiarum, quamvis vires centrales se mutuo compensare valeant, quod si vero distantiae corporum a centro, & quantitates materiae = fuerint, erunt vires centrales in ratione inversa quadratorum temporum periodicorum, hoc postremo in viribus centralibus notandum: quod centrales vires, in circumrotatis corporibus sint =, alioquin vis centrifuga non ad tangentem, sed ad perpendicularem a centro, sicut & areae a corporibus per vires centrales motis sunt proportionales temporibus, quod in mensulis centralibus pulchre elucet.

De Gravitate, Levitate, Centrobaryca, & Linea Directionis.

XXVI. Gravitatem, ut omnes Newtoniani sentiunt, dicimus esse tendentiam versus Centrum terrae, & quia proprietas est, omni corpori convenit, fun-

dataque est in atractione; haec in corporibus, quorum quantitates materiae sunt inaequales in distantiis tamen aequalibus telluris a centro est, ut ipsae quantitates materiae, si autem quantitates materiae sint =, distantiae autem inaequales, est ut quadrata distantiarum reciproce; quodsi vero materiae quantitates cum ipsis etiam distantiis inaequales sint, habet se gravitas, ut quantitates Materiae directe, & quadrata distantiarum reciproce, manifeste inde relucet, an levitas absoluta dari possit, cum gravitas sit proprietas generalis, relucet etiam minus probabiles esse opiniones Cartesii, Gassendi & reliquorum.

XXVII. Quid centrum gravitatis, quid linea directionis, quae in motu progressivo mutatur, quod omne corpus centro gravitatis donatum sit, ibique convenire cum centro magnitudinis, ubi corpora sunt ejusdem densitatis, patet: resolvi ideo commode possunt problemata cur in aqua specifice graviora descendant, quomodo construatur Hydraspis, quomodo corona Geronis, per Archimedem examinata, cum pondera corporibus in fluido amissa, sint ut eorum volumina, &, quod specifica pondera corporum spectentur in ratione composita voluminum, & densitatum, eadem prosus ratione de corporibus in fluida mersis eluceset, amissio enim ponderis in aqua est proportionalis aquae expulsae, unde, quo minus cujusdam corporis fuerit volumen, eo minus gravitatis in aqua amittet, ergo leviori corpori in aquam submergendo tantae vires adjungendae sunt, quantis viribus volumen aquae molem illius corporis gravitate antecellit, triplici methodo explorantur specifice gravitates, cautela tamen interposita, cum fluidorum alia aestate, alia hyeme sit specifica gravitas, huc merito revocantur pendulorum oscillationes, ipsarum variatio, & causa, quarum prima est, calor meridionalium Regionum, corpora expandens, aerem rarefaciens, ergo oscillationi minus resistens. 2da ipsa figura telluris, 3tia vires denique centrifugae.

Ex Aerometria.

Omnia principaliora exhibere, aut enarrare, aut demonstrare instrumenta, quae ad Aerometriam faciunt, Barometra, Manometra, Antlias, pondus Atmosphera determinare, horum omnium rationes subjicere, raritatem ejus exhibere, quae prope infinita est, ex quo non immerito Philosophus dixit, portionem Pollicem unum latam, si rarefiat, quantum rarefieri, posset, sufficeret ad omnium planetarum regiones implendas.

Ex Hydrostatica.

Pari ratione de gravitate, & nisu, aequilibrioque liquorum in Philosophia magna est utilitas, fundamenta illius exhibebit Auditor Philosophus, demonstrabitque, quod pressiones fluidorum sint ut bases, sive tubi = sive in = sint, quamcunque inclinationem habeant, proportionaliter aequilibrantur, item unum, aut plura vasa, quorum unum Cylindricum, aliud convergens, divergens tertium, si in iisdem = bases sint, portio aquae in = aequaliter bases premit, hoc destruit, & omne aequilibrium fluidorum interceptus aer, cum ergo librandi sunt liquores, caute removendus quo facto liquorum gravitas facile inveniri potest: ex quibus sequitur, quod per aequilibrationem liquorum multae libraे, aut centenarii possint elevari. Cum aqua componatur ubique ad rectam horisontalem.

Ex Hydraulica.

Docet id Hydraulica in suis Antliis, quarum numerum, Constructiones, Causas elevationis, modum deductionis aquarum Desagulierii exhibebit Philosophus; demonstrabit etiam, quod Tortuositas Tuborum nihil officiat aquae reascendenti; putamus aquam salientem remorari posse per has causas, quod videlicet omnes particulae in columna aquae salientis contentae = cum velocitate ex orificio erumpere adnittantur, praecedentium ideo particularum gradatim

tim imminuto impetu, inferiores partes a globis ſupra eminentibus præpediuntur faciuntque ut in largiorem, atque adeo breviorem columnam aquae ductus divergat, 2da eſt Reſiſtentia aeris, quae ſe ad velocitatem ſalientis aquae habet, ut quadratum, nec frictionis obliviſci oportet, quam tubus, & orificium praeſertim arctiora efficiunt, ergo preſſio & velocitas aquae aeſtimanda eſt ex altitudine Tubique inferiore latitudine, non autem ſecundum vulgarium Hydraulicorum errorem ex latitudine Tubi ſuperioris, his principiis poſitis, optime Hydraulicus Mechaniſmos Antliarum, & ſpecies, itemque diſtinctiones proferet. Sciet aquam in magnam altitudinem, aut loca remotiora evehere, item Antlias incendiarias conficere, inveſtigare item conſtructiones machinarum jam confectarum, conficere fontes, Heronis, Niventii, Tantali &c. Determinare proſilientium liquorum arcus, cum longitudo jactus ſalientis aquae ſe habet ut altitudo foraminis ſupra fundum multiplicata per altitudinem fluidi, alioquin tempora profluentis aquae e vaſi ejuſdem diametri, & foraminis habent ſe, ut radices altitudinis aquae, ergo ex in = foraminibus cæteris paribus defluit aqua in ratione inverſa quadratorum orificii. Si vero omnia paria ſint tempora ſunt directe ut quantitates quae fluunt, ergo ex vaſe conſtanter pleno pro ratione variantis ſupra foramen altitudinis aquae fiet poſilitio. Aquarum quidem & ipſius qualitatum par ratio etiam habenda.

EX
MECHANICA.

De Motibus Corporum Compendio productis nec non de frictione.

Mechanicam totius qnaſi univerſi rectricem ſectati compoſitas ejus Machinas a ſimplicibus diſtinximus, unde quid libra vectis aut Trochlea, axiſque in Peritrochio, quid planum inclinatum facile expeditur potentiarum directioniſque potentiae ſicut uſus ita leges neceſſariae maxime aequilibrationum: ejuſmodi recta aequilibrationis ratio produxerat diverſas bilances ſtateras & libras, quarum una *Romana* altera ab auctore *Gravesandea* dicta diverſus denique ex hinc Machinarum uſus jam dudum elluxit, prae cæteris obſervandum eſt Mechanico ubi potentia ubi pondus & quaenam diſtantiae ſi itaque ***in vecte Primi ordinis*** fuerit potentia ad pondus ut reciproce diſtantia ponderis a fulcro ad diſtantiam potentiae a fulcro erit, aequilibrium ponderis & potentiae: quod ſi vero diſtantia potentiae ad diſtantiam ponderis major fuerit, quam ſit reciproce vis ponderis ad potentiam, potentia tum ponderi praevalebit ergo quo plures vectes inter ſe copulantur eo facilius graviſſima pondera tolli poſſunt: quod in poliſpaſtis cujuſcunque qualitatis ſint luculenter patet, invecte *ſecundi generis* æquilibrium obtinetur ſi potentia fuerit ad pondus ut diſtantia, fulcrum inter & pondus ad diſtantiam inter pondus & potentiam, in vecte demum tertii generis æquilibrium fit quando potentia ſe habet ad pondus ſicut diſtantia Hypomoclii a pondere ad diſtantiam ejuſdem Hypomoclii ad potentiam, vectes quidem *tertii ordinis* nihil adferunt facilitatis ad pondus majus commodius ſed tantum celerius levandum, hac ratione Archimedes Hypotetice ſolitus erat dicere ſe poſſe totum mundum levare, hac ipſa ratione & obſervato centro gravitatis, corpora ſuper plano inclinato poſita aſcendere videntur, hoc ipſum gravitatis centrum facit ut funambuli varia ſpectacula edant, in librationibus corporis, inde fit quod homines valide praecincti praegrandia ſuſtinere poſſint pondera, qualia ſunt tormenta bellica dummodo tractiones fiant ſecundum lineam directionis, alioquin ejuſmodi impulſus & tractio horiſontalis ſemper eſt proportionalis inclinationi centri gravitatis. Ceterum potentia & pondus perpetui in Mechanica antagoniſtae ſe habent in ratione inverſa quibus inter ſe ad proportionem ex-actis omnis Molendinorum conſtructio oritur, has diverſas referre earumque ſpecies determinare erit Philoſophi. Felicior foret certe profectus, ſi quas frictiones Machinae habent ſicut determinare eas ſcimus ita amiſſam quantitatem reddere noſceremus.

EX

DYNAMICA.

De viribus Corporum Motorum, item de Motibus tum Acceleratione, & oscillatione pendulorum.

XXVIII. Vires corporum motorum contra Leibnitium plurimis ductis rationibus æstimamus in ratione Massæ & simplici velocitate, quia cadentia corpora motum accelerant motibus proportionalem nam si numeri impares sibi continuo addantur efficiunt numeros quadratos & agregatum adaequat quadratum temporis; quod si novam celeritatem gravitas temporis primo temporis spatio non aquireret secundo temporis instanti moveretur uniformiter, ejusmodi acceleratio motus in infinitum durare non potest, quod quidam prætendebant sed in centesimo gradu communiter summam velocitatem obtinet tandem æquabili motu corpora etiam gravissima promoventur, unde erravit Galilœus volendo corpus grave ex plano quodam inclinato in aliud planum inferius magis inclinatum eodem celeritatis gradu delapsum, quo super plano primo fuisset quod erroneum est nam pristina velocitas ut saepe pertentavi aliquantum decrescit, ita ut velocitas in descensu per planum primum sit ut sinus totus ad sinum complementi illius Anguli quem mutuo concursu plana efficiunt: huc libuit etiam pendula adjicere quorum oscillationes singulis vibrationibus minuuntur: erroneæ putabat ideo Galilæus quod idem pendulum æquali temporis spatio & majorem & mincrem circuli arcum absolveret, cum enim Christianus Hugenius animadverteret pendula per minores arcus oscillantia sensibiliter quidem oscillare sed non Mathematice cum per majores arcus serius absolvuntur oscillationes quam per minores; ego autem puto oscillationes citius fieri debere per arcus cycloidales quam per circulares quæ oscillationes cycloidales omnes æquali tempore peraguntur; tempus vero per semicycloidem ad tempus lapsus perpendicularis se habet ut semiperispheria ad Diametrum sic etiam longitudines filorum sunt ut temporum quadrata quibus oscillationes peraguntur hac methodo ex vibrationibus lampadis in templo ejusdem altitudo referri potest & sic porro

EX ARTE BALISTICA.

De Motu projectorum & pulveris Pyrii ejectione.

Motus omnis corporum sit ab impetu quodam propagato quem impetum motus conservaret directionemque suam, nisi agentia contraria obsisterent motus corporis verticaliter projecti omni tempore atenuatur donec juxta gravitatis leges viam remetiatur, si corpus secundum lineam Horisonti obliquam jaciatur directionem mutabit & concurrente duplici impetu juxta priores leges describit diagonalem, eodem enim tempore quo corpus separatis viribus describeret latera parallelogramatis describet junctis viribus Diagonalem, videntur veteres hæc principia non ignorasse, quo catapultæ ipsorum quod Scorpio & aliæ machinæ testantur Modo pulvis Pyrius incredibili expansione aeris facta ex amussi Mechanicam supplet imo antecellit viribus sed nec omnis bonus aptusque unde errores præcavendi examinandique ex eo dependent jactus tormentorum fortiores dicet Philosophus qui illi sint quæ ipsorum species, & qui meliores alioquin Bombarum linea non est parabolica disquiritur hic igitur ratio quomodo Mortaria Tormenta disponi debeant ad explosionem & ad gradum datum innotescet etiam error & causa aberationis in Pyrotechnia.

De motu corporum collisorum de motu reflexo Elasticorum itemque refractione.

Quid Collisio? quotuplex? & quid velocitas respectiva sit? in eo omnes Philosophi conveniunt; cæterum hae quaestiones prae cæteris oriri possunt,

imo

1mo Quod si corpus quiescens ab altero commoto directe impellatur, minuetur velocitas corporis moventis pro ratione Massae, quam habet corpus allisum; rursum manifestum est, quod si duo corpora directe versus eandem partem ferantur, ut unum ab altero impelli possit, necessum erit subsequentis corporis motum esse velociorem, ubi autem se attigerint, cujuscunque sint molis, retinebunt velocitates suas, easque sic inter se partientur, ut = cum velocitate junctim procedant, si autem corpora duo adversus se invicem directe moveantur, si utrinque impetus = sit, ambo in puncto collisionis quiescent, impetusque peribunt, quod si vero alium majorem præ alio habuerit, movebitur utrumque corpus eadem directione, qua fortior impetus collimabat, excessus autem impetus utriusque inter utrumque corpus dividetur; alia ratio est duorum corporum, quae vel =, vel inæqualis Massae adversum se invicem conflictantes colliduntur, eorum tunc velocitas, si itidem =, vel inæqualis, tunc illa post collisionem recedent ab invicem, eadem nempe velocitate respectiva, qua ante collisionem ferebantur; longe differens ratio est, si corpora minus elastica collidantur adinvicem, quorum itaque, si unum quiescat in illud vero aliud impingat, tunc corpus impulsum participabit medium impulsum collisionis, fereturque simplici motu, impellens autem corpus per se lineam diagonalem minoris paralellogramatis describet: ad motum corporum collisorum merito refertur reflexio, & vis elastica, ipsique gradus accurrate distingui debent; in reflexione alioquin omne corpus figuram suam aliquantisper variat.

XXIX. Leges elasticitatis, quoniam eam ab attractione repetimus, eadem habet cum ipsa attractione, nihilominus tamen haec elaterio sunt propria, quod nempe corpus perfecte elasticum (qualecunque intelligo summa elasticitate gaudens) si sine omni impedimento resiliat, angulus incidentiae, est = angulo reflexionis, si corpora perfecte elastica non sunt, minor debet esse angulus reflexionis incidetiae, alioquin ratio velocitatis incidentiae, ad rationen velocitatis reflexionis est ut secans anguli reflexionis, ad secantem anguli incidentiae, de refractionibus alia ratio est distinguitur illa a reflexione, estque multiplex, plurimaque ad eam requiruntur, etsi alias velocitates habeat, quibus fit, ut sæpius in reflexionem refractio permutetur; quam alterationem, plurimum faciunt, ut Philosophi dicunt, media, quae necessaria sunt, ut sint diversa, tum observandum: quod semita immergentiae se habeat, ad semitam emergentiae, sicut angulus reflexionis, ad sinum anguli refractionis, quando autem semita emergentiae major est velocitate incidentiae, fit refractio ad perpendicularem, cum vero viciſſim, major velocitas incidentiae, quam immergentiæ a perpendiculari refractio abscedet, alioquin in casu perpendiculari corporum non potest fieri refractio: ad omnes motus in Physica adjici solet motus Sympatiae, & Antipatiae, consistit illa, in diversis efluviis, variarum partium in alio corpore Antiharmoniam exercentium; hæc probabilis opinio, certam omnes ignoramus.

XXX. Elementa corporum distinguuntur à Principiis corporum, sed ipsorum numerus quaternarius non potest esse norma, elementa tamen, ut elementa caute distinguenda sunt, ne confundantur temere, cum ipsis ex elementis jam compositis, unde ignis, ut corpus est substantia quædam corporea, subtilissimis ex particulis composita, quæ = ter sese diffundit, omnia corpora penetrat, & quando in majori copia adest eadem sensibiliter dilatat; argumenta ipsius præsentiae certissima sunt combustio, & lux quæ non separatur ab igne, exinde patent Phænomena Lampyridum, lampades perpetuae, Phosphorus, quorum omnium experimenta, & rationes Philosophus exhibebit.

De Lentibus, & Speculis caustics.

Lentes, sive specula, quibus radii colliguntur, vocantur caustica, licet specula sint quæ divergere potius quam convergere faciant, hinc specula catoptrica

compoſita, & ſpecula plana cauſtica diſtingui debent et ratione effectus ſeu etiam compoſitionis: focos lentium cum quis ſcire volet advertat ſi lens utraque parte convexa, eſt in diſtantia ſemidiametri convexitatis, ſi autem integræ Sphæræ ſegmentum ſit, eſt indiſtantia quartæ partis diametri alioquin lentes plano concavae diffundunt: efficatiſſima tamen hujus ſortis ſunt ſpecula parabolica propter concentrationem foci in parabolam; hinc quod fabulae fors putantur ferre de Archimedis ſpeculis poſſibile eſt: at multo paradoxum magis quod prætendunt plurimi radios videlicet ſols in ſpeculum incidentes paralellos eſſe contrarium enim monſtrant experimenta & phœnomena ſicut etiam lucem reflexam eſſe dimidio debiliorem. Specula hic Tſchirnhauſiana memoranda ſunt quae omnia corpora fere vitrificant diam. ejus. eſt 4ped. = 8. pol. latitudo foci 1 + $\frac{1}{2}$ pol. aſſervantur Viennæ & Pariſiis.

XXXI. De Aere in Aerometria tractari ſolet, hic itelligitur eſſe elementum conſtans particulis valde exilibus, & figuræ ad ſummam elaſticitatem idoneæ ejus potiſſimum attributa ſunt gravitas, condenſatio, rarefactio, vis elaſtica, tum vero liquiditas & pelluciditas, his attributis cognitis pondus atmoſpæræ facile determinatur ſuppoſito ejuſdem eſſe eam ſemper qualitatis etſi inferior ſuperiore ſit gravior occurrit hic loci etiam aqua & terra.

XXXII. Aqua quidem quae eſt elementum ſimplex, humidum, grave, cujus particulæ ſunt ſubtiliſſimæ & fere rotundæ, inſipidæ, inodoræ ex calores incompreſſiles ſolvendi poteſtate nimium præditae ſunt in igne non ardentes cum ignis gradum ſuſcipere nequeant quem ſuſcipit lignum.

XXXIII. Terra eſt materiale rerum principium ſimplex, durum, grave, inſipidum, inodorum quod neque in igne fluit, neque in humidisdiſſolvitur, ejus variæ ſunt ſpecies quæ tamen proveniunt ex ſalibus imixtis.

EX.
OPTICA

De lucis Natura & Umbra nec non legibus Opticis.

XXXIV. Lux in profluviis ſubſtantialibus ſubtilliſſimis, corporis lucidi ſeu ignei rapidiſſimo motu e centro ſecundum rectas lineas difuſis videtur eſſe conſtituta, hinc eſt quod oppoſita luci corpora in adverſa parte umbrarum ſpargunt eo quidem majorem quo minor fuerit lux oppoſito corpore aut quo propinquior ipſi fuerit, minorem vero quo major lux fuerit corpore illuminato aut quo majore ſpatio ab eo diſtat, propter divergentes circumquaque lucidi corporis radios; neceſſum eſt lucis denſitatem dubio procul in majori intervallo decreſcere, ergo lumen non eſt ſubſtantia a lucido corpore diverſa ergo actio lucis non eſt inſtantanea ſed umbra, lucis privatio: cum autem fit ut duo corpora opaca & horiſonti perpendiculariter inſiſtant umbræ habent illam rationem inter ſe quam habent diſtantiae extremitatem umbrae ad diſtantiam luminis, unde intelligitur etiam quare ſeries aliqua columnarum in plano horiſontali longo ordine in eadem recta colocatarum eo minores apparent quo ſunt remotiores et quæ invicem intervallo aliquo diſtinctae ſunt, videntur quaſi conjunctae. Opticae leges clarius elucent ex proportione radiorum ad diſtantiam oculi: quod ſi etiam objectum illuminatum in tanta diſtantia ſit ut diametrus objecti ſit ad diſtantiam ab oculo ut 1: :2000000 tum radii ex objecto illo prodeuntes erunt utut ſenſibiliter paralleli etſi ad leges mathematicas Paralleliſmus eorum vix ſubſiſtat.

EX
DIOPTRICA ET CATOPTRICA.

De luce Refracta & Reflexa itemque de Pellucido.

XXXV. Refractionem lucis ab attractione mutua corporum repetimus quae pervadit, alioqnin certum eſt refractionem lucis fieri ante apulſum unde meri-

merito pellucida seu diaphana corpora sunt quorum medio refractionis in suis particulis pellucidis replentur, opaca ex adverso quorum pellucidæ particulæ plurimis poris sunt interspersa illique pori medio diversæ refractionis sunt repleti unde male olim Aristoteles & recenter Charteſius opinatus est pelluciditatem posse collocari in meatibus rectis seu potius undique transversariis & perviis opacitatem vero in eo quod viæ quasi per quas lumen transire possit obdurentur a materiæ particulis, cæterum quod de speculis adfertur jam prius actum esse memini notandum tamen hic venit aliqua primo quidem specula multiplicare objecta; item quod duo specula secundum leges Catoptricas colocata ad angulos 60 graduum sexagonum, pentagonum ad 45 angulos reflectere specula situ parallelo posita eadem ratione multiplicant specula autem convexa nimium minuunt cava & unum efficiunt & aliud pro diversa foci distantia, cylindrica autem vehementer deformant, pro ratione latitudinis divergentiae idem efficit pyramidale & conicum, quod si in speculo anamorphatico itaque delineatam recte videre cupis imaginem ad leges anamorphaticas depingi debet, accidunt ad hanc scientiam telescopia omnia sive cœlestia sive terraquea microscopia sive solaria sive communia earum ratio constructuendi, camera obscura item, lucerna magica, & alia id genus; confectio horum etiam, & enucleatio dari debebit.

De Perspectiva.

Hujus scientiæ magnus est usus in pictoria, objectum, enim sic delineare docet, quale in data distantia, & data altitudine oculo apparet, est itaque necessum, ut radii ad imaginem reflexi in oculum eodem modo incidant, qua ratione in data distantia, itemque in data altitudine inciderent, principaliora in hac scientia observanda sunt, punctum oculi, seu punctum principale, linea fundamentalis, seu basis tabulæ, item linea Horisontalis, quibus adcurate dispositis inter se debet quodvis planum Horisontale Ichnographice delineare Philosophus, item quadrata, circulos, Pyramidem &c. ex majori in minorem quantitatem juxta Perspectivae leges transferre; ita etiam januam, & fenestras, domus, aut concluſas, aut apertas, itemque determinare umbram cujuscunque solidi in parietem, aut aliud solidum cadentem; determinat hæc eadem scientia umbram cujuscunque corporis, quam ad lucem fenestræ projicit, quo fit: ut data apparentia corporis opaci. & luminosi per radios divergentis radientis vg. lampadis, candelæ, aut facis accensæ inveniri possit umbra apparens, verbo denique objectum quodcunque detur, accurate delineari in perspectiva.

De Coloribus, Odoribus, & Saporibus.

XXXVI. Color non est, ut putarunt Aristotelici, extremitas perspicuitatis, cum omnis lux septem colores contineat, quos dicimus primigenios, radii illi colorati quando uniuntur, lucem constituunt, colores vero alii præter primigeneos, proveniunt a luminis radiis, per reflexionem, aut refractionem diversimode separatis, quia alioquin color non inest ipsis corporibus, sed determinatur per eadem, variatur item in fluidis, quod atramentum Sympathicum Chymicorum, aliæque operationes spiritus, & olei vitriolii, alcali, & tartari olea per deliquium demonstrant, nec nos deterrent à proposito, obtrectationes Pantherii, & Mariotti, alioquin innumera sunt experimenta Chroageneſim illustrantia.

XXXVII. Saporis natura in eo videtur posita esse, quod particulæ salinæ linguæ, aut palato admotæ, & saliva dissolutæ pro suæ figuræ varietate, varia ratione papillas linquæ, aut palati afficiant, quod ex Generali principio Chymicorum instar Corollarii eleganter deducitur, salia scilicet non agere, nisi soluta, unde etiam

XXXVIII. Odorem tenuissimæ particulæ salino sulphureæ è corporibus egressæ, & per respirationem in nares inductæ constituunt; atque tum illæ per

nervos olfactorios ope ſpirituum vitalium ad cerebrum deferuntur pro ratione diverſæ affrictionis anima certam repræſentationem percipit, inde differentia etiam odorum merito eſt repetenda.

De Calore, & Frigore.

XXXIX. Calor conſiſtit in plurium inſenſibilium particularum ignis motu perturbato, quæ irruentes corpora aut calefacere, aut diſſolvere, liquare, rarefacere, extendere, vel plane diſſipare ſolet: probant id efferveſcentiæ, ſive calidæ ſivæ frigidæ, ſive in vacuo, ſive extra vacuum Antliæ, ipſius gradum denotat Termometrum, cujus plurimæ ſpecies, calori opponitur frigus, quæ pro majori, & minori extenſione, majorem, & minorem ignis abſentiam notat, cujus incrementum, & decrementum ſemper relate ad corporis occupati, aut occupandi rationem ſe habet, eluceſcit id, ex congelationibus ſive naturalibus, ſeu artificialibus; huc merito

XL. Fluiditatis, & duritiei cauſam adjiciam, primum principium cohæſionis ſtatuo in attractione, & configuratione partium, ad motum minus idoneārum, ex quibus durities poſt cohæſionem oritur, fluiditas ex particularum ſphæricarum, & ſphæroidalium in uno puncto ſe tantum contingentium, contactuique fortiori minus idoneis eſt repetenda.

EX
PHONOCAMPTICA.

De Sono.

XLI. Plurimæ ſunt conditiones, quæ requiruntur ad Soni qualitatem, qui in tremulo motu partium corporis ſonori per medium aliquod tali tremore facile agitabile, & acuſticum uſque nervum translatum conſtitutum eſt; ergo omni ſono varia eſt, & eſſe poteſt vibratio, quæ augentur in ratione elaſticitatis materiæ, ſubtilitatis, brevitatis, conſtrictionis, dislargationis, & diametri corporis ſonori &c. neque minima eſt eapropter Analogia ſonum inter, & colorem, repetenda venient itaque plurima ex Catoptrica de quibus commode reflexio ſoni intelligi poteſt. Sonus enim reflexus in ſuperficie ſphærica reverſus ad centrum mirifice intenditur, ſecus fit, ſi objectum Phonocampticum, & Conus Phonicus efficiatur, à ſono incidente in parabolam, aliud faciet Phænomenon, ſi camera tota ſit elypſiformis, admodum polita, aliter vox perſonalis in Tubo locutorio directo, ſive conſtricto, in quibus utriſque ſervat rationem incrementi Diameter; echo, qua voces bis, aut ſæpius repetitæ ad aures noſtras referuntur, contingere ſolent, quando ſonus per aerem ſphærico tremore extenſus, & in durum aliquem obicem in partem aliquatenus contrariam neceſſario reflectitur, ita, aer in eodem loco, ubi prius tremuerat, & tremere jamjam deſierat, iterum contremiſcit, & idcirco ſonum repetit, ergo in locis ubi obex nullus eſt aeri pergenti v.g. in libero mari, nulla fit ſoni repetitio, & reflexio, advertendum etiam ad Echo producendam neceſſum eſſe, ut obices reperiantur, & quidem directo ſitu, ſecus enim confuſione reflexi cum ſono directo facta perturbationem vocis pariet, & Echo nullam ſeu illa diſſyllaba, aut poliſſyllaba ſit niſi fors confuſam

De Virtute Electrica.

XLII. Mirabilis eſt proprietas quorumdam corporum, potius univerſalem dixero, quod illa perfrictionem, aut immediatam, communicatam attrahant repellant, inſtanti ad magnam propagentur diſtantiam, ſtrepitum emittant, ſuccedant, &c. unde hos ego effectus repetam; plurimis experimentis, iiſque iteratis tandem concluſi non eſſe materiam igneam, ſed fluidum aliquod dictum

Ele-

Electricum motu perinciſſimo agitabile, & partes vicinas ſecum raptans, maxime quæ ad hemogeneitatem ejuſdem accedunt, his poſitis puto me explicaturum percommode, quæ ſive ad attractionem, ſive ſive ad Phoſphoreſcentiam, ſive ad contuſionis, & ictus fulminei experimenta ſpectant.

De Magnete.

XLIII, Non minus in magnetico foſſili illo difficultatis ſentiunt Philoſophi; &, inquam inter tot concedant ipſi ſententiam, dubitant probabilitatis tandem gradum videntur conſecuti, qui, quod Clariſſimus Muſſenbroech in diſſertatione ſua de magnete videtur amplecti, ſequuntur videlicet Magnetis Phœnomena poſſe veriſimiliter declarari exſtructura interna, tum ex effluviis ferri tantum poris magneti aptis, unde & attractionem, & repulſionem ejuſdem, directionem, adhæſionem, communicationem explicari poſſe autumamus, poſſunt ad hoc præſtitutum fundamentum firmanndum experimenta exhiberi, aut recenſeri.

De Figura Terræ, Maris, Salſedine, & Æſtu, deque Fluminum Fontiumque origine.

XLIV. Magnis laboribus ſteterat determinatio Figuræ telluris, prætendebant, enim veteres Plato, Parmenides, Pithagoras, Ariſtoteles, Ptolomæus aliique terram eſſe rotundam, ſed recenter delectæ obſervationes Gallicanæ, & Anglæ paulum rotunditatem infirmarunt obſtantibus oſcillationibus pendulorum, item navigatoribus totam tellurem circumeuntibus, hoc ipſo noſtro ſæculo obſtant item vires attractrices & centrales ab Hugenio obſervatæ, item celebris Newtoni & Muſchembrœchii obſervationes quibus nos nixi, immo ipſis legibus optices & Ecclypſeos: tellurem ſtatuimus ſphæroidalem, ad polos depreſſam, ad æquatorem autem prolongatam unde diverſi etiam ex clariſſimi Manfredii & Maupertuiſii obſervationibus gradus diſtinguendi jam & facile innoteſcit modus determinandi diametrum telluris poſita proportione 180 + 113 : : 355 = 4068 ad 71 quod idem

XLV. In ſuperficie figuræ ſphæroidalis inveniuntur congregatæ copiæ aquarum quas maria dicimus, habet hæc aqua marina qualitatem ſibi propriam ſalſedinem nempe & amarorem ita conjunctim ut alteri aquæ non ſint propria; oritur ejuſmodi ut opinamur ſalſedo amaritudine permixta ex particulis ſalium & bitumine terreſtri item ex variis oleis, quæ elixantur ex innumera corporum congerie unde non videtur mare ſua cum ſalſedine creatum quod Burnetus pertendit. Hanc ſalſedinem maris chimicorum induſtria jam diſſipavit & in uſus navigantium converti poſſe fecit immo nemo inficias ibit in meditullio maris aquas dulces reperiri.

XLVI. Eſt & aliud Phænomenon mari proprium quod ſua vicinia quidem ſæpius ſuiſque meatibus, fluminibus, imo fontibus communicat; æſtum puto oritur ille ex duorum luminarium ſolis & lunæ mira combinatione ergo ſic explicatur alternans refluxus ergo in ſyſigiis majores æſtus, qui tamen ſpectati ad littora Promontoria ſubinde leges attractionis duorum luminarium turbant,

XLVII. Putarunt hoc ipſum mare, de quo nobis ſermo eſt, eſſe originem fontium fluminumque, nos iis adſtipulamur, qui dicunt fontium omnium originem e vaporibus, pluviis, & ſolutis nivibus in montium juga congeſtis provenire: hinc nobis eſſe videtur percommodum explanare, quare fluvii plurimi ad montium radices ſe ſcaturiant.

De Aſtronomia.

XLVIII. Omnis ſcientia quæ circa aſtra, planetas, ſtellas fixas verſatur, pro fundamentis ſyſtema ex tribus eligere debet quo fulcitus operationes

astronomicas felicius assummere ac defendere possit: nobis Copernici systema etsi non mediocribus impeti possit argumentis: præ reliquis arrisit; tum ob miram in hoc systemate claritatem, tum quod Phænomena facilius & felicius expediri possint, sic enim axis terræ semper est parallelus axi mundi nec obstat quod adversarii comminationibus illud insectentur, qua enim ratione felicius retrogradationes stellarum, atque in hoc systemate explicantur, quod vix fieri potest nisi motum planetarum & telluris circa solem qui definitus est assignet, hac stante hypotesi optime planetae in decursu eliptico semel accedere & semel recedere a sole intelliguntur, item aphelia & perielia, ipsique absydes conjunctiones & opositiones aspectus trigoni & quadraturæ sextiles quintiles & octiles nunquid data obliquitate acclepticæ v.g. = 23. + 29 ascensiones recte inveniuntur ex fundamentis trigonometriæ item differentias optime distinguet astronomus item hoc in systemate motum apparentem a vero, causas inæqualitates dierum, paralaxesque, anomalia sive excentrica coequata sive media conjunctiones quidem quas nostris tantum temporibus beneficio lentium observavimus item proportiones planetarum imo etiam diametrum ipsam cernimus; quo facto denstitatis leges patent, ex principiis stereometriæ deduxerat has jam olim magnficus ille Gravesandius calculo ex materiæ quantitate, magnitudine, & periodico tempore deducto.

XLIX. Sol, quia centrum quasi systematis est & eum alioquin igneam dicimus substantiam, revolvitur ille ex ortu in occasum 27. dierum spatio & 9 aut 10. horarum, figuram ejusdem sphæroidalem dicimus, maculas & faculas in eo invenimus & quotidie inveniri possunt, item solstitia observare itemque æquinoctia ecclipsesque, cujus typum aliquomodo Astronomi nobis exararunt, sunt ejusmodi ecclipses subinde fortiores qualem hoc sæculo anno 6. acta eruditorum Liptiensium nominant solem excipit luna quæ est corpus prope sphæricum terræ instar oppacum, densum, scabrum, satelles noster qui in orbitis elipticis etiam revolvitur nec suo nec telluris sed reflexo solis lumine lucet habet phases, imo montes, aquas eam habere non repugnat, ecclipses subit quas Philosophus explicare debet ejus etiam typum ut solaris exhibere penumbræ tamen ratio habenda ut superius innui.

L. Inter corpora quæ in systemate hoc moventur nobiliora sunt, planetæ superiores & inferiores, mercurius quidem vicies septies nostro Planeta major movet, circa solem 85 diebus 23 horis 15', 52" venus 224 dierum 14. horarum 48'. & 2" sic deinceps hac tamen lege, quod, quo magis a centro solis recedant, decurrunt in orbitis majoribus longioreque spatio, habent; satelites suos ut Jupiter, Saturnus, qui etiam annulo instructus an in ejusmodi planetis incolæ sint, dubitamus, esse posse non implicat, nullo tamen positivo argumento hactenus docti sumus.

LI. Nec inferiores sunt Cometæ Planetis iis videlicet persimiles nisi quod rarius appareant, cum enim describant orbitas a planetis longe distinctas licet quidem elyptiformes sint, sunt tamen excentricæ ipsorum orbitæ, & cursus, ideo tamen examinabiles nullo negotio: quandoque nulla est illis paralaxis diurna, ergo supra lunam altissime collocatos esse oportet, subeunt tamen paralaxim orbis annui ergo eos in regiones planetarum concedere, verum est, apparent illi subinde caudati, criniti & barbati, sed ejusmodi species a diverso situ oculi optici trianguli verticem constituentis est repetendum ab ipsoque spectatoris situ, influxus habent cum planetis, iisque tantum inferioribus physicos, cum in conjunctionibus suis cum planeta nostro quadraturis octiliis alterationem etiam in eundem inducere possint, multa autem annilia circa influxus & cometarum præsagia & in veterum historiis & in annilibus naratiunculis deprehenduntur.

De Meteoris aqueis, emphaticis, & igneis.

LII. Meteororum nomine intelligimus illa phœnomena, quæ in nostra Atmosphæra conspiciuntur, posito eo quod maxima vaporum copia, exhalata-

lationumque & mineralium, & vegetabilium, & animalium ſit, & partes in Atmoſphæra, iis opleta, ferantur, facile erit explicare auram ſerotinam, rorem, pruinam, nebulas, capillum veneris, nubes, pluvias, nives, columnas aqueas aſcendentes, & deſcendentes, quæ non raro graviſſimas edunt ſtrages, inter emphatica, & lucida meteora fere primas tenet Iris, cujus varii colores a diverſa oppoſitione nubium aquoſarum, & ſolis, ſive primaria ſit, ſive ſcundaria; oriuntur ita etiam parhelia, duplices & triplices ſoles, qui a reflexione radiorum oriuntur, uti etiam Paraſelenæ, virgæ collucentes, chaſma, aurora borealis, lux zodiacalis &c. inter meteora ignea prircipem locum tenet Fulmen & Fulgur, fulmen dico exhalationem exſulphuream e terra, & mari aſſurgentes, & columnas efformantes ſnbinde 3, 2, & plures etiam concurrunt, accenduntur hæ columnæ ex eferveſcentia particularum, ſubinde in medio columnæ aut latere ſummo aut infimo, & ubi pabulum invenit fortius, jam ſurſum, jam deoſum fertur, hæc vera geneſis fulminis, quæ magnam Analogiam cum materia electrica tenet, fulgur vero dicitur flamma quædam major vivaciſſime lucida in ictu oculi per aerem velociſſime expanſa, & mox deſinens, oritur ex omni genere oleoſo, atque ſulphureo, evaporante ex ipſa tellure, caloribus diurnis volatile redditur, circumquaque diſperſum, quando igitur ejuſmodi vapores nimium quantum rarefiunt concutiendo ſe invicem accenduntur, & ſubinde etiam vicina corpora accendunt, qualia ſunt ſtramina palae, & alia facile inflammabilia, caute tamen diſtinguedum eſt Tonitru inter, & fulmen, vehemens enim ille ſonus, qui a jactata, & diſrupta nube cauſatur, atque ad nos uſque diffunditur, dicitur tonitru, His poſitis intelliguntur Ambulones incendiarii, caſtor, & Pollux, Helena, Bolides, ignis, qui communiter in terris pingvioribus errat, unde fatuus, & erraticus dictus, plura alia, quæ non raro in expertis formidinem & metum incutere poſſunt, ubi potius ad magni illius, & æterni Conditoris laudes tam mirabiles effectus inducere deberent.

Ex Architectura Civili.

Dicimus hanc eſſe ſcientiam recte ordinandi ædes tum publicas, tum privatas civium ad mentem & intentionem fundatoris, ſervandæ ſunt itaque leges Euritimiæ, & ſymetriæ, unde ſequitur in ædificiis, quæ, longiori ævo parantur, vitandum eſſe ligni uſum ſaltem nimium; & adhibita validiora ſint, hinc ligna pro ædificiis cædere, cæſa exſiccare ſicut lapides ſolidi & tem-tempeſtatum patientes ut ſint noſſe debet architectus: tandem lateres & calcis præſtantiam detegere, arenamque, quæ calci immiſceatur ſiccam & aſperam & quæ minime terrea eſt adhibere, ſicque omnia apta, diligenter legibus fundamenti invigilare: licet infima pars ædificii omnis tamen moles ſuperſtruitur & incumbit igitur baſis fundamenti inferior latior eſſe debet ſuperiore; ut autem fundamentum recte exſtruatur ſoli, magna eſt habenda ratio alia enim in humo ſolida alia in ſolo congeſtitio paluſtri & aquoſo fundamentum jaciendi conſuetudo, muri ad hæc ſint perpendiculariter erigendi, tum pro ratione altitudinis decrementa ſummere debent; & ſicut ſoliditas neceſſarium requiſitum ædificii, ita & elegantia & commoditas habitantium ſpectari debet, ideo frons ædium auguſtiorem præferat formam locumque patentiorem reſpiciat aream ſubdialem adjectam & portam in medio poſitam habeat, feneſtrarum in ædibus ſingulis ea ſit copia, quæ liberaliter lumen per omnes ædificii partes diſpenſet, figura conclavium quadriangularis, & rectangula eſſe debet, ſi poteſt ædificia fornicibus inſtruantur, hos igitur conſtruere pro diverſa ratione Architecti eſt, ſed & rationem habeat, in fornicibus focis & fumariis non commoditatis modo, ſed & nitoris & firmitatis ſicut etiam ſcalarum quæ commodae ſint & una earum primaria domum intrantibus obvia, his poſitis, ad ornatum ædificiorum & fulcra tranſcendere poteſt, exornant autem ſtylopata, quibus ſuperimpoſitæ columnæ, quæ

ſicut ſtylopata tres partes habet, cui tandem trabeatio incumbit, trabeatio etiam tribus conſtat partibus, æpiſtylo nempe, zophoro, & cornice, hinc proceditur ad Tori Echini Cimacii Dorici & Lesbii Trochylique delineationem, tandem ad lima & Apohygim proceditur diverſis ſic membris compactis architecti Græci ac cum ipſis Romani alium adhuc addiderant ornatum nimirum volutas & folia acanthina cum cauliculis triclyphos cum guttis ac tanquam ornatum Zophorum mutuos & denticulos ad ornatum coronae, ex his principiis quinque ordines Architectonici exurgunt Doricus, Ionicus, ac Corinticus a Græcis Tuſcus & Romanns, plura cum ars ex profeſſo tractatur acuratioraque exhibentur, hæc delibaſſe ſufecerit tyroni.

De Architectura Militari.

Architectura militaris eſt ſcientia apta operibus muniendi locum quemcunque idoneum, ut in eo pauci contra multos ſeſe deffendere, & hoſtilem impetum ne logius evagetur, ſuſtinere poſſint, munimentum eſt locus vallis undique cinctus, in quo pauci numero ſed loci conditione ſuperiores validum etiam hoſtem diutius ſuſtinere poſſent, munimentum aut regulare eſt, aut irregulare, babet illud, vallum agerem, vallum primarium, vallum inferius, loricam ambulacrum propugnaculum chordam, ſive cortinam, munimenta omnia vallo ſemper cingenda ſunt, defenſionis linea ad jactum ſclopetarium ſtatuenda eſt, etſi vallum humilius ſit, præſtat multo celſiore, ſicut foſſa lata profundæ, advertendum bene, ut nulla pars monumenti ſit, quæ non ſe ipſam defendere, & ab aliis vicinis partibus defendi poſſit, defenſio operum, quo brevior, & magis expedita, ac multiplex, etiam melior eſt, ala lineæ defenſionis perpendiculariter inſiſtere debet, collum propugnaculi majus ſemper præferendum eſt minori, angulus propugnaculi non facile major recto, ſed nec 60 gradibus debet eſſe minor, obſervandum etiam ut plateæ militum muro in via cooperta ſint, ad hoc Ichnographiam valli ptimarri delineare oportet in mouumento pentagono, aut ſexagono, imo etiam in munimento ſtellato, tale munimentum juxta formam Vaubanianam deſcribere non eſt poſtremum, ita etiam forcipulam, item loricam exteriorem: ſunt & alia opera campeſtria, quæ vel ad caſtra munienda, vel ad fauces, & provinciarum, fluviorumque tranſitus, & vias regias cuſtodiendas foris in campo excitari ſolent, hæc opera minora ſunt, & reductus nominelineæ vocitantur, ſed hæc innuiſſe ſufficit.

EX GEOMETRIA.

LIII. Duo anguli, quos linea cadens ſuper alia linea efficit, junctim ſumti conficiunt 180 gradus, & ſi recta ſecet alteram, anguli verticales ſunt = eadem ratione omnes anguli circa centrum conſtituti, quator rectis = ſunt, vel 360. gradibus. Si vero in duobus triangulis EG, A, B, C, a, b, c, A = a, Ac = ac, & AB = ab, erit etiam BC =, bc, B = b, C = c totaque triangula = erunt.

LIV. Si in duobus triangulis EG A,B,C, & a,c,b, fuerit angulus A = a & B = b, præterea latus AB = a-b triangula = erunt & AC = a-c BC = b-c. Item E, G, A, CB & a, b, c, fuerit latus AC = ac, AB = ab, & BC = erit etiam A = a, B = b, C = c tota triangula = Ita etiam in triangulis EG A, B, C, & a,b,c, fuerit AB = a b, & BC = b c, vel in obliquangulis in ſuper A = a erit etiam AC = a c, B = c, totaque triangula = parallelæ duæ ſi tranſverſa ſecentur, erunt primo anguli alterni =, ſecundo angulus externus = interno oppoſito, tertio duo interni oppoſiti ſimul = 180 gradibus. Et viciſſim.

LV. In quovis triangulo tres anguli junctim ſumti = 180 gradibus, & ſi latus unum continuetur, erit angulus externus = duobus internis oppoſitis ſimul

mul ſumtis. In æquicruro autem Anguli ad baſim ſunt =, & perpendicularis tam angulum verticalem, quam baſim, & triangulum ipſum bifariam ſecat. Ut in triangulo e. g. A, C, B, angnli ad baſim = ſunt, latera quoque = erunt. Angulus ad centrum eſt duplus anguli ad peripheriam eidem arcui inſiſtentis. Quod ſi perpendicularis D A chordam E F bifariam ſecans in G, per centrum circuli tranſit, & arcum quoque E D F bifariam ſecat. Et perpendiculum ex centro circuli ad chordam E F demiſſum tam chordam, quam arcum E D F bitariam ſecat. Diagonalis omis dividit quadratum, Rectangulum, Rhombum, & Rhomboidem, in duas partes =, anguli diagonaliter appoſiti ſunt =, & latera appoſita inter ſe parallela.

LVI. Latus Hexagoni = radio circuli. Duo parallelogramma, quæ eandem baſim, & eandem altitudinem habent ſunt inter ſe =. Area circuli eſt ad quadratum ſuæ diametri, ut 785 ad 10000 quamproxime. Areæ circulorum ſunt inter ſe, ut quadrata diametrorum, Duo parallelogramma ejusdem altitudinis ſunt inter ſe ut baſes; contra ſunt, ut eorum altitudines, ſi baſes = fuerint. Quadratum extructum ſuper hypothenuſam eſt = quadratorum in cathetis.

LVII. Si in figuris rectilineis anguli homologi = ſunt, & rectæ, quæ eos intercipiunt utrobique eandem habent rationem; figuræ ſunt ſimiles, anguli & latera dicto modo ſe habent. Si in duobus triangulis anguli homologi = latera erunt proportionasia, anguli homologi quoque = erunt. Quodſi autem in triangulo, recta baſi parallela ducatur, erunt latera triangulorum, & ipſa quoque triangula proportionalia. Si in duobus triangulis e. g. A B C, & F D E, fuerit B = D & A D proportionatum ad F D, erit quoque A = F, & C = E, & B A proportionatum ad D. F.

PROBLEMATA
EX.
Stereometria.

I. Soliditatem, ac ſuperficiem cubi determinare. Metiri ſoliditatem ac ſuperficiem Parallelepipedi. Metiri ſoliditatem ac ſuperficiem prismatis. Data diametro & altitudine Cylindri invenire ſoliditatem, ac ſuperficiem ejus. Metiri ſoliditatem pyramidis, & coni. Invenire ſoliditatem coni tunctati. Data diametro ſphæræ invenire ſuperficiem, ac ſoliditatem ejus. Una & alia ratione inveniro capacitatem dolii, hoc eſt: determinare numerum menſurarum, quas capit. Corporis irregularis cujuscunque ſoliditatem invenire. Retia deſcribere, exquibus rite inter ſe complicatis corpora Geometrica componi poſſunt. Parallelepipeda, Prismata, & Cylindri, quorum baſes, & altitudines æquantur, ſunt = planum diagonale dividit parallelepipedum in 2. prismata inter ſe = Pyramides, & coni ſuper = baſi, & ejusdem altitudinis, ſunt = Quælibet pyramis eſt tertia pars prismatis, ſuper eadem baſi, & ejusdem altitudinis. Sphæra ſuper = baſi, & ejusdem altitudinis habet ſe ad Cylindrum, ut 2 ad 3, ſupetficies ſphæræ eſt quadrupla circuli maximi ejusdem ſphæræ. Omnia prismata, parallelepipeda, cylindri, pyramides & coni ſi altitudines habent =, ſunt ut eorum baſes, ſi vero baſes = habebant, ut eorum altitudines. Sphæræ ſunt, ut cubi diametrorum. Cubus diametri eſt ad ſphæram propemodum, ut 300. ad 157.

EX GEOMETRIA.

I. Angulum propoſitum metiri. Lineam rectam metiri. Angulum efficere = dato. Super data recta triangulum æquilaterum conſtruere. Datis duabus rectis triangulum æquicrurum conſtruero. Datis tribus rectis triangulum conſtruere. Datis duabus, & angulo intercepto triangulum conſtruere. Datis duobus angulis cum recta interpoſita triangula conſtruere. Metiri diſtantiam duo-

rum locorum, ex eodem tertio acceſſorum. Funè vel catena angulum in campo ex uno loco in alterum transferre. Invenire diſtantiam duorum locorum ad quorum unum tantum acceſſus patet. Per datum punctum parellelam rectæ in charta ducere. A dato puncto ad rectam perpendicularem demittere. Ex puncto in recta dato perpendiculatem erigere. Normam examinare, utrum juſta ſit nec ne. In extremitate lineæ perpenpicularem excitare. Lineam rectam in duas partes = dividere. Datum Arcum in duas partes = dividere. Angulum datum in duas partes = dividere. Per data tria pnncta circulum deſcribere. Super data recta quadratum conſtruere. Datis duobus rectis rectangulum conſtruere. Data recta una cum angulo obliquo Rhombum conſtruere. Datis duabus rectis una cum angulo obliquo Rhomboidem conſtruere. Invenire augulum Poligonis regularis. Invenire ſummam omnium angulorum in quocunque poligono. Super data recta Poligonum regulara qnodcunque deſcribare. Circulo dato Poligonum regulare quodcunque inſcribere. Datis omnibus lateribus figuræ cujusque, & tot Diagonalibus, quot ſunt latera demtis tribus figuram conſtruere. Datis omnibus lateribus, & tot angulis, quot ſunt latera, demtis tribus figuram conſtruere. Dato radio circuli una cum quantitate arcus invenire aream ſectoris. Parallelogrammum ex dato puncto in duas partes = dividere. Rectam datam, in ea proportione ſecare, in qua alia ſecta fuit. Parallelogrammum atque ttiangulum in quotcunque partes = dividere. Data chorda alicujus arcus una cum ejus altitudine, invenire diametrum per conſequens centrum circuli. Metiri diſtantiam duorum locorum ex eodem tertio acceſſorum. Invenire diſtantiam duorum locorum, quorum unus tantum acceſſibilis eſt. Metiri diſtantiam duorum locorum in acceſſorum. Altitudinem acceſſam metiri. Altitudinem inacceſſam meteri. Figuræ cujus vis recti lineæ, quæ per meari poteſt Ichnographiam perficere. Ichnographiam figuræ perficere, quæ ex duabus ſtationibus tota videri poteſt. Ichnographiam figuræ perficere, quam totam circumire licet. Campi, vel agri aream invere.

EX TRIGONOMETRIA.

Quid Trigonometria, a quo inventa, & exculta ſit? Hiſtorici potius eſt, quam Mathematici ſuffecerit ſcire triangulum eſſe objectum Trigonometriæ, quod metiri, ex Geometria jam novit; ſciat ideo perbene diſtinguere, quid ſubtenſa, quid chorda, ſinus, ſinus maximus, ſeu totus, rectus, & verſus, ſeu ſagitta, ſinus complementi, coſinus, &c. ſciat tangentes, ſecantes, contangentes, ſeu conſecantes diſtinguere, Logarithmos, & ipſorum utilitatem, tabulas Brigii, ſive etiam Cl. Wolffii ſibi proprias reddere, ex quibus ſciet, poſito graduum numero triangulorum gradus, & arcuum, ſive majores quadrante, ſive minores fuerint, alioquin tam ſinui recto, quam verſo ſuus eſt coſinus, & omnis ſinus rectus ſubtendit duos arcus, quorum alter quidem minor, alter autem major eſt. Debet Trigonometra ſcire ſinum arcur invenir 45°. 60°. 30°. 36° 12°. &c. ſecantes quaſcunque determinare, tangentes qualeſcunque reperire, & demonſtrare, quod radius ſit media proportionalis inter tangentem, & contangentem, cum extremorum dnorum etiam Logaritmorum ſumma = eſt mediæ, alioquin ſinus Totus, ſive radius aſſumitur in operationibus eſſe = 10000000, ſubinde etiam —000 = 10000, jam his poſitis ſi duo Catheti dentur, & angulus rectus facile eſt determinare Hypotenuſam, & vice verſa; ſi etiam datis duobus angulis cum catheto reliqua latera, pari ratione, ſi tria latera trianguli, obliquanguli ſint nota, reperientur ſegmenta, ipſaque perpendicularis, idem in triangulis ſcalenis, ex operationibus iɲem trigonometricis rara plane profluit utilitas in Aſtronomiam, cum latere uno, & duobus Agnlis cognito, tota natura trianguli elucere debeat, ita menſurari poſſunt altitudines montium in luna, diſtantia ſatellitis noſtri a terra, ipſiuſque ſolis. At trigonometriæ difficilem operationem, & ipſius uſum paulum infirmat modo recens inventum, quo operationes Geometricæ ſine illius adminiculo fieri poſſe jam dicuntur, ubi literato orbi clarius illuxerint, nos difficilioribus poſitis, libenter faciliora complectemur.

O. A. M. D. G.

IOANNIS LUCII
DE REGNO
DALMATIÆ,
ET
CROATIÆ,
LIBER PRIMUS.

DAlmatia poſt extinctos Illyrici Reges innoteſcere cœpit, quomodo Reipublicæ, & Monarchiæ Romanæ tempore dilatata fuerit, ipſorum Hiſtorici referunt: quæ vero poſt Imperii declinationem in Dalmatia evenerunt, apud plures Auctores, ſed adeo confuſa reperiuntur, ut vix aliquid certi, vel diſtincti percipi queat. Cum autem huius Operis propoſitum ſit obſcura illuſtrare, & confuſa diſtinguere, ideo pro antiquorum Scriptorum intelligentia, quædam breviter recenſenda erunt. Dalmatiam enim, ſicuti in Illyrico ſtatuunt, quicumque mentionem eius faciunt, ita cum Græci terminos Illyrici diverſos quam Romani ponant, antequam Dalmatiæ fines inquirantur, breviter prænarranda erunt quæ de Illyrico ante Romanorum adventum referunt Scriptores; deinde relatis variis finibus, quos vigente Imperio Romano habuit Illyricum, & Dalmatia tractanda erunt ea, quæ poſt eiusdem declinationem in Dalmatia geſta ſunt, & quomodo, quove tempore Dalmatiæ pars in Regnum Croatorum tranſiverit: ut Regni Dalmatiæ & Croatiæ ſtatu antiquo cognito, & per temporum ſucceſſiones cum hodierno collato, clariora evadant, quæ de Rebus Dalmaticis ſcripta reperiuntur.

CAPUT I.

De Illyrico.

ILlyriorum antiquam, ſed fabuloſam, originem Appianus refert, eos Adriatici maris accolas fuiſſe Scylax Cariandenſis teſtatur, conterminos Macedonas viciſſe, Amyntamque Philippi Patrem vectigalem reddidiſſe, Diod. Siculus, & Iuſtinus referunt; ſed variante fortuna Philippus Bardileum Illyrici Regem, quamvis difficili, cruentoque prælio fugatum, partem Macedoniæ occupatam primo cedere, mox iterum victum, parere coëgit; ejus vero filium Clitum, & Glauciam alterum Illyriorum Taulantiorum Regem, jugum detrectantes, Alexander, qui Magnus cognominatus fuit, coërcuit, ut Arrianus refert. Alexandri deinde ſucceſſoribus de Macedonico Regno inter ſe pugnantibus, Illyriorum Reges jugum excuſſerunt; nam eundem Glauciam Pyrrhum puerum recepiſſe, & Caſſandro Macedoniam regenti, maximamque pecuniam pollicenti, tradere noluiſſe, ſed educatum in Regnum Epirotarum reſtituiſſe, Plutarchus tradit. *a* Quæ omnia ſicuti Illyrios a ab antiquo bellicoſos, & Macedonibus conterminos demonſtrant; ita adeo exigua ſunt, ut ex eis ſtatus totius Illyrici, ejuſque termini percipi non poſſint, nec deinde Romana in Illyrico bella, niſi præcognito ejus maritimo ſtatu: ideo proximi maris memoriæ antiquæ colligendæ ſunt, ut inde, & fines Illyrici & Romana in eo bella percipi poſſint. Sinum Adriaticum, quem Græci Ionium dicunt antiquiſſimis temporibus Illyricum vocatum, teſtantur Poëtæ Argonautarum, & Colchorum itinera deſcribentes, ut

In Pyrrho.

Callimachus a Strabone relatus libro primo de Colchis ait:

Seceſſum Maris Illyrici ſimul ac tetigerunt,
Finem remigio mox ſtatuere ſuo:
Harmoniæ dirumque ubi ſerpentem induit olim
Ad lævam ſedes conſtituêre ſibi.

Et Apollonius Argonauticòn l. 4. de eiſdem:

Hi juxta Illyricum, ex profunditate nigrum
* *Mare vel fretum.* *flumen* *
Ubi Harmoniæ eſt, & Cadmi buſtum, turrim
excitarunt
Encheleænſium inquilini.

Virgilius quoque primo Æneïdos de Antenore.

Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi.

Quem ſequitur Epitomator Trogi Iuſtinus lib. 24. de Gallis Alpes trangreſſis: *Ex his portio in Italia Romam cepit, & portio Illyricos ſinus ducibus avibus (nam augurandi ſtudia Galli præter cæteros callent) per ſtrages Barbarorum penetravit*, quod mare deinde Adriaticum vocatum idem teſtatur Iuſtinus lib. 20. *Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit.* & Stephani Epitomator: *Eſt item Inſula cum urbe ſibi cognomine Iſſa, in* Dalmatico *mari, & Illyrico.*

Hunc Sinum Pelasgos in poteſtate habuiſſe, Dionyſius Halicarnaſſæus tradit, nam relata eorundem peregrinatione, & ad unum ex Padi oſtiis Spineticum nomine, appulſu ſubdit, *ibique condiderunt Vrbem Oſtio fluminis cognominem, proſperaque præ cunctis eum ſinum adcolentibus uſi fortuna, & diu potiti maris imperio, Delphos deo decimas e maritimis proventibus, ſi qua alia Civitas, magnificas miſerunt.* Similiter Strabo, *Spina nunc vicus, quondam Græca urbs nobilis, quando & Spinetarum theſaurus Delphis oſtenditur, & alioquin fertur eos Maris dominium obtinuiſſe.* Hæc autem ante bellum Trojanum eveniſſe, teſtatur idem Dionyſius, qui de cæteris Pelasgis per Italiam ſparſis differens ait, *Tempus quo res Pelasgorum cœperunt deficere, incidit in alteram ferè ante bellum Trojanum ætatem, duraverunt tamen pene ultra ejus belli tempora: donec contractæ ſunt in gentem minimam.* Poſt Pelaſgos Diomedem eidem mari dominatum eſſe ex Strabone apparet. *Ipſo autem intimo ſinus Adriatici Timavum eſt, Diomedis templum memorabile; habet enim portum, & elegantem lucum, & fontes ſeptem potabilis aquæ ſtatim in mare alto, & lato excidentis amne.* Et infra. *Diomedem circa illud mare ditionem tenuiſſe teſtantur Inſulæ Diomedeæ, & quæ de Dauniis & Argo Hippiore ferunt.* Poſt Diomedem liburnos ejuſdem maris dominium habuiſſe, arguunt quæ de ipſis Plinius, Strabo, & Appianus referunt. *Flumen Batinum, Truentum cum amne, quod ſolum Liburnorum reliquum eſt. Ab Ancona Gallica ora incipit Togatæ Galliæ cognomine, Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere, inprimis Palmenſem, Pretutianum, Hadrianumque agrum, Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli.* Præter quæ Italiæ loca, Dyrrachium quoque in poteſtate habuiſſe Appianus refert, & Corcyram Strabo, de quibus ſuo loco plura. Tuſcos deinde ſucceſſiſſe ex Livio elicitur *Tuſcorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuere, mari ſupero inferoque, quibus Italia Inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum Mare ab Adria Tuſcorum Colonia vocavere Italicæ gentes, Græci eadem Tyrrhenum, atque Adriaticum vocant.* Item Strabo *Adriam ferunt illuſtrem fuiſſe urbem, unde & Sinui Adriatico nomen, exigua mutatione litterarum factum eſt.* Quod Plinius melius declarat relatis Padi Oſtiis *Omnia ea flumina foſſasque primi à Sagis fecere Tuſci, egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ ſeptem maria appellantur, nobili portu Oppidi Tuſcorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.* nempe ex Adriatico, ſive Hatriatico, Adriaticum; ſed cum vetuſtiſſimi Pelasgorum dominii maritimi memoria apud quosdam tantum auctores reperiatur, Diomedis vero, & Liburnorum, præter Auctores relatos, Regionum & Inſularum nomina ad hæc uſque tempora ſervata, eorum dominium teſtantur: Adriatici quoque maris nomen Atrienſium Tuſcorum Imperium demonſtrat: & ſicut ex communi gentis vocabulo quintus ordo Architecturæ Tuſcanus dictus fuit, ita ex Atria particulari eorum Civitate, domorum laxiorum pars præcipua Atrium denominatum eſt, ut teſtatur Varro *Impluvium, Compluvium a pluvia, Tuſcanicum dictum à Tuſceis, poſteaquam illorum cavum ædium ſimulare cœperunt, Atrium appellatum ab Atriatibus Tuſceis, illinc enim exemplum ſumptum.* Inde ex proximi maris dominii conſecutione, laxiorumque ædium inſtitutione, nomina impoſita, quæ hucuſque ſervantur, Atrienſium potentiam, opumque abundantiam indicant; ſed deinde Tuſcis a Gallis pulſis, quamvis circum-Padana regio ab eiſdem occupata Gallia Ciſalpina vocari cœperit, tamen mare Adriaticum nomen a Tuſcis impoſitum retinuit; ex quo Gallos maris uſu caruiſſe, veroſimile videtur: nam eorumdem expeditionum terreſtrium per Illyricum, Græciam, Italiam, & Aſiam uſque, memoriæ reperiuntur, maritimarum autem nulla; Illyrios quoque ex relatis Pelasgorum, Diomedis, Liburnorum, & Atrienſium rebus parum mari uſos dicendum videtur, & claſſibus deſtitutos, alieno nutu navigationem exercuiſſe, ut infra latius; Atrienſibus autem ſede ſua pulſis, Adriaticum Claſſibus deſtitutum latrociniis ſtatuiſſe; Navigantibusque infeſtum reditum ex Theopompo illis temporibus proximo refert Strabo, *Bonarum frugum ferax eſt ora Illyrici oleis, & vitibus egregia; niſi quod quædam loca prorſus aſpera ſunt, & fuit tamen ab initio neglecta fortaſſe, quod ſoli præſtantia ignoraretur, potior tamen cauſa fuit, quod eam homines ſævi & latrociniis dediti tenebant.* Prope quæ tempora

Civil. 2.

Decad. 1. l. 5.

Lib. 5.

Lib. 3. c. 16.

Lib. 1.

De lingua latina l. 4.

Lib. 7.

Lib. 1.

Lib. 5

Plin. lib. cap. 13

Intra An. ab Vrb. con. 232. & 359.

Lib. 7.

pora Dionyſium Syracuſiorum Tyrannum colonias in Adriatico deduxiſſe, & cum Illyriis bellum geſſiſſe, Diodorus Siculus refert; qui relato quomodo ex Sicilia Carthaginenſes Dionyſius ejecerit, Italiæque proxima loca ſubegerit, ad Adriaticum quoque in poteſtate redigendum animum intendiſſe ſcribit: *Olymp.* 98. *an.* 3. *ſub idem tempus in Sicilia Dionyſius Syracuſiorum Tyrannus Vrbibus ad mare Adriaticum condendis animum intendit: hoc ideo moliebatur, quod Ionium uti vocatur, ſinum ſuæ poteſtatis facere in animo habebat, ut tutam ſibi ad Epirum navigationem aperiret, Urbeſque ad manum haberet, quo navibus ſuis appellere commode poſſet:* & relatis auxiliis Illyriis præſtitis contra Molottos, ſequitur: *Intra hæc rerum eventa, Parii quodam oraculo excitati, colonia in Sinum Adriaticum deducta Inſulam, quæ Phari nomen habet, adjuvante illos Dionyſio in illo condunt; Is enim annis non multis ante in Adriam, coloniam Urbem* Liſſum *ædificaverat, cujus Urbis occaſione adjutus dum a cæteris negotiis vacat Dionyſius navalia pro CC. triremibus extruit.* Deinde narrata CCIOO Illyriorum ex adverſa Continenti in Inſulam Phari transvectione, & Civitatis oppugnatione, ſubdit. *At qui* Liſſii *Præturam à Dionyſio commendatam habebat, numeroſa triremium claſſe navigia Illyriorum adortus, partem demergit, partem in ſuam poteſtatem redegit, Barbarorum ſupra quinquies mille interfectis.* Ex quibus Dionyſium, in Adriatico coloniam, & claſſem numeroſam habuiſſe conſtat, illum vero cum Gallis Senonibus Adriatici accolis, qui paulo ante Romam incenderant, ſocietatem contraxiſſe Iuſtinus refert, cum Venetis autem, Gallis, vicinis, amicitiam habuiſſe arguitur ex iis, quæ de eodem refert Strabo. *Dionyſius quoque Tyrannus Siciliæ, inde equorum ad certamina educandorum armenta inſtituit, ut etiam apud Græcos pullorum Venetorum fama innotuerit, eoque nomine Veneti longo tempore claruerunt.* Nam ſicuti Venetos intima Sinus coluiſſe conſtat, ita eouſque tutam navigationem, & commodam Dionyſium extendiſſe oportet, ut inde armenta equorum deduceret, & integrum maris Adriatici dominium ſortitum cenſendum eſt, filiumque ejus dominium prædictum retinuiſſe, ut innuit idem Diodorus: *In Apulia duas condidit Urbes, quo tutum per Jonium navigantibus tranſitum præſtaret, nam barbari maris accolæ magno navium prædatoriarum numero divagantes, Sinum Adriaticum mercatoribus infeſtum reddebant, poſt hæc vitæ pacatiori ſe dedens, exercitationes militum bellicas exoleſcere permiſit.* & narrata Syracuſiorum rebellione: *ſub id vero tempus ad Cauloniam Italiæ morabatur Dionyſius, Philiſtum igitur excercitus Ducem circa Hadriam tum verſantem cum claſſe accerſit, utque recto curſu Syracuſas petat, injungit; cumque ad eundem uterque locum citato itinere properaret; Dionyſius ſeptimo die poſt reditum Dionis Syracuſas pervenit:* quæ Dionyſios in Adriatici ditione perſeveraſſe arguunt, donec ad Syracuſas recuperandas claſſem ex eo deduxerit junior. Quid autem poſtea uſque ad Romanorum adventum in Adriatico geſtum ſit, nemo refert: unus tantum Dionyſii temporibus proximus Scylax Cariandenſis Adriaticas oras deſcribens, Illyrici ſitum indicat. *Poſt Liburnos gens eſt Illyriorum, qui oram maritimam accolunt ad Chaoniam uſque, quæ juxta Corcyram Alcinoi Inſulam eſt.* Quem ſequuntur Latini tempora Romanis antiquiora referentes; ut Virgilius loco ſupra relato, & T. Livius, relato Pelaſgorum in Adriaticum Duce Cleonymo adventu, ait: *Læva importuoſa Italiæ littora, dextra Illyrici, Liburnici, & Iſtri gentes fere.* Ex quibus animadvertendum eſt Iſtros, & Liburnos antiquitus ab Illyriis diſtinctos fuiſſe, quos deinde Romani in Illyrico incluſerunt, ejus fines ſæpe variantes, ut ſuo loco patebit. Ad quorum pleniorem intelligentiam, recenſenda ſunt ordinatim, prout apud Auctores reperiuntur Romanorum bella in Illyrico geſta, omiſſis brevitatis cauſa Iſtricis (cum Iſtriam Auguſtus Italiæ adſcripſerit) ut inde Illyrici Dalmatiæque termini melius elici poſſint.

Primum Romanorum in Illyrico bellum ejusque cauſas Polybius refert l. 4. *Agron Illyriorum Rex, filius Pleurati copiis terreſtribus, & navalibus omnes priores Illyriorum Reges longe anteibat, hic Demetrio Philippi patri pecunias largienti receperat ſe Mydioniis, quos Ætoli obſidebant, opem laturum . . . interea loci adveniunt ad Mydioniam lembi C. in quibus erant* 100. & relata Illyriorum victoria: *ita Illyrii peracto, quod mandatum a Rege fuerat, ſupellectile cæteraque omni præda lembis impoſita confeſtim naves ſolvunt, & patriam ſuam repetunt. . . . . Rex, agro poſtea quam lembi rediiſſent, eique omnia Duces narraſſent quæ in pugna acciderant, incredibili exultans lætitia, quod Ætolos gentem ferociſſimam viciſſet, ebrietati, & id genus liberalioribus epulis indulgens, in pleuritim incidit, quæ poſt dies paucos ipſum ſuſtulit. Regnum Teutha uxor ſuſcepit, fide amicorum in rerum adminiſtratione utens. Hæc more ingenii muliebris, quum nihil, niſi præteritam victoriam ob oculos habere, de externis nihil quicquam cogitare, ſuis primum conceſſit, ut ſinguli quos cunque haberent obvios inter navigandum deprædarentur: deinde parata claſſe exercitum priorem non minorem emittit: Facta ducibus poteſtate, ut pro hoſtibus populos omnes haberent. Prima expeditio in Elæorum, & Meſſeniorum fines ſuſcepta eſt, perpetuis Illyriorum incurſionibus obnoxios.* Deinde narrata Gallorum præſidiariorum perfidia, Phœnices Epiri Urbis occupatione, Epirotarumque obſidione, ſequitur *Scerdilaidam cum quinque Illyriorum millibus itinere terreſtri per fauces ad Antigoniam adventare.* inde victoria Illyriorum de Epirotis, & auxiliis Ætolorum, & Acarnanum, ſubdit: *Illyrii qui Phœnicem occupaverunt una cum Scerdilaida ſe conferunt, nec longe a copiis auxiliaribus metantur caſtra, cupientes initio dimicare, ſed difficultas locorum impediebat:*

Urb. Con. 360.

Iſſam.

Iſſa.

Lib. 20.

Lib. 5.

Lib. 16.

Dec. p. l. x. Vr. Con. 453.

l. 2. *p.* *C.* 516.

522.

523.

simul allatæ sunt a Regina litteræ, quibus quantocius redire, quod pars Illyriorum ad Dardanos defecissent, imperabat. Ita Epirum populati, inducias cum Epirotis faciunt: per quas quicquid liberorum hominum in potestate habebant, cum ipsa Urbe pretio accepto eis restituunt: postquam mancipia, & supellectilem omnem Lembis suis imposuissent, cæteris navigantibus Scerdilaidas per Antigoniæ fauces pedibus remeavit . . . cæterum Illyrii antea soliti eos, qui ex Italia navigabant, injuriis afficere, quo tempore Phœnicæ morabantur, plures simul a Classe discedentes, mercatorum Italicorum alios deprædati sunt, alios trucidarunt, nec paucos cepere vivos, & secum abduxerunt. Romani, qui semper hactenus delatas ad se querimonias de Illyriis erant aspernati, tunc cum plures simul ea gratia in Senatum venissent, Legatos in Illyricum decernunt Cajum, & Lucium Coruncanos, ut de iis, quæ diximus, accurate cognoscerent. Teutha reversis ex Epiro Lembis, copiam, atque multitudinem advectæ ex Epiro supellectilis demirata, (longe enim felicitate cæteras Epiri urbes anteibat Phœnice) ad lacessendos injuriis Græcos duplo animosior est reddita. Verum quia domi res turbatæ erant, nihil tunc movit; isto autem negotio transacto eorum Illyriorum, qui rebellaverant; Issam, quæ sola parere ipsi recusabat, obsidione cinctam tenebat. Eodem tempore Romanorum Legati advenerunt, qui cum ad colloquium essent admissi, de suis injuriis expostularunt. Teutha quamdiu verba facientes audiebat, ingentem animi ferociam, & superbiam præ se ferre: postquam vero dicendi finem fecissent, ita infit, curæ sibi futurum, ne qua Romano populo ab Illyriis publice fiat injuria: cæterum ut impediat quominus privatim, quam potest quisque utilitatem e mari capiat, hoc vero regibus in more nequaquam esse. Tulit indigne hæc illius verba junior Legatorum, & apud Reginam libertate usus, conveniente illa quidem, sed cui omnino tunc locus non erat: At Romanis, inquit, o Teutha, mos hic est pulcherrimus, ut, privatim factas injurias publice persequantur, & injuriam passis opem feramus; operam igitur Deo volente dabimus, ut cupide ac cito Regia instituta emendare te cogamus. relataque violatione Legati junioris; & Romanæ Classis apparatu, *Teutha Veris Initio, lembos a se refectos majore quam antea numero in Græciam redire jussit.* & narrata obsidione Corcyræ, & Ætolorum subsidio profligato ab Illyriorum lembis, quaternis simul alligatis, & Acarnanum sociorum nonnullis navibus armatis, *Corcyrenses vero propter illa quæ acciderant, plane omni spe salutis dejecti, non amplius diu obsidione tolerata, pacem cum Illyriis faciunt, & præsidium in Urbem suam recipiunt, ac simul cum eo Demetrium Pharium, secundum hæc Illyriorum Duces naves extemplo solvunt, & classe Dyrrachium appulsa, ejus urbis obsidionem iterum moliuntur. Circa idem tempus C. Fulvius Cos. cum* cc. *navium classe, itemque Aul. Posthumius Cos. alter cum terrestribus copiis Roma proficiscuntur,* & relato Classis Romanæ ad Corcyram appulsu, & Corcyrensium consentiente Demetrio (qui apud Reginam criminatus fuerat) deditione; deinde Apolloniatum, & Dyrrachinorum solutis obsidionibus, Illyriorumque fuga. *His quoque in fidem receptis ad ulteriora Illyrici progrediuntur, subactis* obiter *Ardyeis. Adfuere mox plures legationes aliorum populorum, & in his etiam Parthinorum, nec non Atintanum, qui omnes quum se fidei Romanorum permitterent, sunt in amicitiam recepti: ita* ventum *ad Issam, quæ etiam Urbs ab Illyriis oppugnabatur, adventu Romanorum solutum est obsidium; Issei in fidem recepti: sed & per vim dum oram illam prætervehuntur, ex Illyricanis oppidis quædam Consules expugnarunt: in his Nutriam, ad quam non solum multos milites, sed etiam Tribunorum aliquos, & Quæstorem ipsum amiserunt: capti sunt & lembi 20. præda onusti redeuntes eorum qui Issam obsidebant. Pharii quidem in Demetrii gratiam immunes omni damno remanserunt: alii omnes varie dissipati* Arbonem *confugerunt: Teutha cum Oppido paucis Rizonem evasit: id nomen est oppiduli egregie muniti, procul a mari ad ipsum Rizonem fluvium siti; post hæc Romani plerosque Illyrici populos Demetrio subjiciunt, magnoque illi dominatu tradito utrumque exercitum Dyrrachium reducunt. Romam inde C. Fulvius cum majore parte copiarum est reversus. Posthumius cum 40. navibus longis est relictus, & novo exercitu, quem è circumjacentibus oppidis conscripsit, ut ad omnes Ardyeorum, & aliorum qui fidei Romanorum se permiserant, motus si quid ingrueret paratum esset subsidium. Sub initium Veris Teutha Legatis ad Romanos missis pacem hisce conditionibus cum illis sancit. Ut tributa, quæ ipsi imperarentur, quotannis penderet: Illyrico toto, præter pauca admodum loca, excederet (quod præcipuum erat maximeque ad Græcos pertinebat) ne ultra Lissum pluribus quam duobus lembis, iisque inermibus liceret ei navigare.* Hæc Polyb. in fragmentis autem Dion. *Quum Romani Isseis, qui ipsis adhæserant, vicissim rem gratam alacri mox animo facere vellent, ut iis opem ferrent, quorum egregia in se studia fuissent, ac* Sardianos *eo nomine, quod navigantes e portu Brundusino maleficiis infestarent, ulciscì viderentur, misere Legatos ad Agronem deprecatum pro Isseis, & cum eo qui nulla injuria provocatus, ipsos læderet expostulatum; Agronem Legati non amplius superstitem repererre, quod relicto filio puero, cui nomen Pinnes, diem obiisset; At uxor ejus Teutha, quæ noverca Pinnes erat, jam* Sardianis *imperabat, nec pro ferocia quidquam eis moderati respondebat: sed ut mulier, quæ præter insitam à natura temeritatem, etiam à potestate, quam obtinebat, diffluueret, e Legatis alios vinxit, alios occidit, quod liberius loquuti essent: At nunc quidem hæc fecit, & animos inde, quasi quæ vires suas, ex prompta crudelitate demonstrasset, sumpsit; sed paulo post fœminei generis imbecillitatem redarguit, quod celeri momento, præjudicii tenuitate, prolabitur in iram, nec minori celeritate, præ formidine sibi metuit. Quum primum enim bellum contra se decretum a Romanis accepit, timore correpta, trepidavit, ac tum Romanos quos adhuc habe-*

Simul

iter directum versus.

Naronem

525.

N. 12.

Ardiæos

Ardiæis.

524.

bat,

bat, redditurum se promisit: tum de iis, qui fuerunt interfecti, sic se purgavit, ut a latronibus occisos diceret. Itaque quum Romani expeditionem suam inhiberent, & cædis auctores sibi dedi poscerent, rursus eos contempsit, quod pericula, necdum adessent, ac neque se deditum illorum aliquem dixit, & exercitum in Issam Insulam misit. Post ubi consules adesse sensit, iterum sibi metuit, ac remisit animos, & ad parendum eis in omnibus rebus paratam semet ostendit. Non tamen ad modestiam penitus revocata fuit, nam ubi consules ad Corcyram transmississent, resumpsit animum, & a Romanis desciscens, adversus Epidamnum copias misit. Romanis autem civitates illas liberantibus, ejusque navigia cum pecuniis intercipientibus, rursum dicto audiens futura videbatur. Sed quod iidem mare trajicientes, propter collem Atyrum damnum accepissent, rem distulit, eos, quod hyems adpetiisset, discessuros concepta spe quadam arbitrata. Verum ubi sensit, Albinum loco se non movere, ac Demetrium ob stoliditatem, & amentiam Teutæ populiqu Romani metum transiisse ad hostes, aliosque nonnullos persuasisse uti transfugerent, tota formidine percussa Regno cessit. Appianus autem in Illyricis ex versione Stephani Abbatis Gradii Patritii Ragusini Bibliothecæ Vaticanæ custodis. *Agron partis Illyrici Rex fuit, quæ ad Ionii maris pertinet sinum, quem Pyrrhus Epivolarum Rex, & qui deinceps Pyrrho successerunt, habuere. Is Agron rursus & Epiri partem aliquam, & Corcyram præterea, & Epidamnum, Pharumque autem bello capta præsidiis tenuit: cum autem cætero quoque Ionio immineret, insula quædam, cui nomen Essos ad Romanos confugit: hi legatos una cum Essiis, miserunt, qui cognoscerent Agronis adversus eos objecta, in hos adhuc navigantes impetu facto quidam Illyrici lembi Legatum Essiorum Cleemporum, & Romanum Coruncanium interficiunt, reliqui fuga evaserunt: hac de causa cum Romani Illyrios terra, marique bello aggressi essent, Agron infante filio superstite, cui Pine nomen fuit, diem suum obiit, regno eidem filio relicto sub novercæ tutela. Demetrius autem Phari Præfectus eam insulam, itemque Corcyram (utraque enim in ditione Agronis fuerat) Romanis illuc appellentibus prodidit, qui pellectis in suam amicitiam Epidamnensibus, ad illos, Essyosque ab Illyriorum obsidione liberandos advenerant, nec frustra, namque Illyrii, non solum omissa statim obsidione domum quisque suam reversi sunt, sed pars eorum, qui Atintani vocantur ad Populum Romanum transiere, interea uxor Agronis misit Romam Legatos cum captivis ac transfugis veniam oratum eorum, quæ nequaquam suo, sed mariti sub imperio commissa fuerant: responsum accepere Legati, Corcyram, Pharon, Esson, Epidamnum, & ex Illyriis Atintanas in Pop. Rom. ditione jam esse: Pines autem cæterum Agronis imperium retinere licet, ac amicus Romanis esset, si se ab superioribus injuriis abstineret, daretque operam, ut Illyrici lembi non amplius duo, & hi quidem inermes, ultra Essum ne navigarent, nec mora ulla in muliere fuit, quin acciperet omnia: & hæc prima inter Po. Ro. atque Illyrios irritamenta, fœderaque fuere. Secundum ea Romani Corcyram, & Appolloniam libertate donaverunt, ac ne Demetrio quidem proditionis merces defuit.*

Lyssum.

Secundum Illyricum contra Demetrium, de quo Polybius. *Demetrius Pharius oblitus beneficiorum, quæ Romani in ipsum contulerant, quum iam ante contemnere eos cœpisset, quando formidabiles ipsis imminere Gallos videbat: tunc quoque propter metum a Carthaginensibus impendentem eosdem flocci faciens, spe sua omni locata in Regia Macedonum, quod bello Cleomenico socia arma cum Antigono junxerat: hic inquam Urbes Romanæ ditionis in Illyrico vastare, & in suam potestatem redigere erat aggressus, & ultra Lissum contra leges pacis L. Lembis navigans multas e Cycladibus Insulas incursaverat. Quæ cum animadvertissent Romani, & Regiam Macedonum florere intelligerent, res suas in Provinciis ad ortum Italiæ sitis collocandas sibi esse in tuto existimarunt. Hannibalis enim molitiones antevertere posse sperabant, & facile efficere, ut Illyriis errorem emendare contentis, Demetrio succenserent, ut ingratum ejus animum, ac temeritatem castigarent . . . . . Cæterum Romani id consilium quod ostendimus sequuti vere ineunte anni primi Olymp. 140. L. Æmilium ad res Illyrici gerendas cum exercitu mittunt. Hannibal vero cum omnibus copiis Carthagine nova profectus, Saguntum versus iter instituit . . . . circa idem tempus simul, ac de consiliis Romanorum rescivit, extemplo idoneum præsidium cum omnibus, quæ postulat usus, Dimalum mittit, in ceteris Urbibus occisis, qui contrariæ factionis erant, illarum gubernacula amicis suis tradidit, ipse ex omni subditorum numero fortissimos selegit ad sex millia, eosque Phari collocat. Romanorum consul ubi in Illyricum legiones perduxit, cognita hostium confidentia, tum propter Dimali munitionem, & copiam commeatuum, tum etiam, quod nunquam capta Urbs illa crederetur, ut hostes perterrefaceret, hanc omnium primam adoriri constituit. Igitur Tribunos militum, aliosque ordinum ductores hortatus, admotis etiam operibus variis locis eam instituit expugnare. Capta Urbs est die septimo, eaque res hostium animos confestim ita fregit, ut ex omnibus mox Urbibus advenirent, qui in Romanorum fidem se permitterent dederentque, Consul convenientes quibusque leges dicere, eosque in fidem recipere, deinde Pharum versus ad ipsum Demetrium cum Classe navigare,* & relata obsidione, & expugnatione Phari Demetriique fuga *diruto Pharo, deinde Illyrico* universo *in potestatem redacto, rebusque omnibus ex animi sententia compositis, affecta jam æstate triumphum egit magnificum, neque solertiæ duntaxat, verum etiam fortitudinis laudem ex Provincia reportavit.* Dion in fragmentis. *Demetrius Pharius insolentia elatus, cum ob tutelam Pinnei, tum ob conjugium Triteutæ Pinnei matris, quam post obitum Teutæ duxerat, gravis erat incolis omnibus, & finitimorum etiam agros vastabat. Cum autem fretus amicitia populi Ro. ani, ea scelera agere videretur, Æmilius Paulus, & M. Livius Coss. hac re intellecta, eum accersiverunt. Qui*

534.

Reliqua.

eum minime pareret, sed socios populi Romani infestare non desineret. Issam contra eum copias duxerunt. Appianus autem *cæterum fides, quam is Agronis filio fefellerat, merito erat suspecta, nec ille multum distulit ingenio suo uti; cum enim Romanis bello, quod per triennium adversus Celtas, eos maxime qui ripas Eridani colunt, gessere, occupatis, nequaquam ad se persequendum satis spatii videret esse, ad infestandum latrociniis mare se contulit, adjunctis eam in rem Istris, Illyrica item gente, Atintanisque auctor fuit desciscendi a Romanis. Hi autem, uti primum a Celticis rebus otium fuit, piratas quidem statim classe comparata intercepere, dilata in sequentem annum contra Demetrium, ejusque defectionis socios expeditione: porro Demetrium ad partes Philippi Macedonum Regis transgressum, ejusque ope reversum in patriam, & classe reparata novas agentem ex Jonio prædas interemere, Pharumque ejus patriam cum eo sentientem funditus delevere: cæterum Illyrii Pinæ precibus iterum enixe pro iis nitentis concessi sunt. Et secunda quidem Romanorum cum Illyriis contentio, ejusque exitus, & compositio hujusmodi maxime fuit.*

Tertium Illyricum cœpit contra Gentium Pleurati filium Illyrici Regem, tempore secundi Macedonici contra Perseum belli, obortis de Gentio suspicionibus, de quibus T. Livius *cum Macedonicum bellum expectaretur, Gentium quoque Illyriorum Regem suspectum Issenses Legati fecerunt: simulque quæsti fines suos secundo populatum, simul nuntiantes uno animo vivere Macedonum, atque Illyriorum Regem, communi consilio parare Romanis bellum, & specie Legatorum, Illyrios speculatores Romæ esse, Perseo auctore missos, ut quid ageretur scirent. Illyrii vocati in senatum, qui cum Legatos se esse missos a Rege dicerent ad purganda Crimina, si qua de Rege Issenses deferrent, quæsitum equidem ita non adiissent Magistratum, ut ex instituto loca lautia acciperent: Sciretur denique veniisse eos, & super qua re veniissent, hæsitantibus in responso ut Curia excederent dictum, responsum tanquam Legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit: mittendos ad Regem Legatos censueruut, qui nunciarent, qui socii quererentur, apud senatum exustum a Rege agrum non æquum eum facere, qui ab sociis suis non abstineret injuriam* referensque Macedonicum bellum. *Lucretius frater Consulis Dyrrachium trajicit ibi X. ipsorum Dyrrachinorum XII. Issensium LIIII. Gentii Regis lembos nactos, simulans se credere eos in usum Romanorum comparatos esse, omnibus abductis die tertio Corcyram, inde Cephaleniam trajicit* & lib. 3. ejusdem Dec. *In Macedonia bellum erat, suspectum tamen, & Gentium Illyriorum Regem habebant, itaque & octo naves ad C. Furium mittendas censuit senatus Issam, qui præsidio duarum Issensium navium Insulæ præerat . . . . . Perseus (cogitans) si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque, jam diu dubium in societatem pertici posse, Uscanam, ubi cum Illyrica juventute præsidia Romanorum erant, aggressus est, Civitas deditione capta, Uscanenses, & Illyrii venditi, Romani in custodiam positi in Penestiam exercitum reducit ad Oeneum Oppidum in potestate redigendum, & alioquin opportune situm, & transitus ea est in Labeates, ubi Gentius regnabat . . . . . ad Gentium Legatum Pleuratum Illyricum apud se exulantem mittit.* idem refert. Polyb. in fragmentis de Pleurato Illyrico apud Perseum exulante, qui per juga Scodri montis maximo labore transiens, Gentium Lissi invenit, at cum Is pecunias posceret, Perseus vero tradere nollet, dilata conventio est, donec fervente cum Romanis bello Perseus promissis c c c. talentis, & x. tantum traditis, Gentio, ut Legatos Romanorum apud se existentes violaret, suasit, adeoque in bellum præcipitem egit, quo victus, & Scodræ obsessus cum universa familia Romanis se dedit, ut Livius Dec. 5. l. 4. refert. *Ad Scodram inde ventum est, id quod belli caput fuerat: Non eo solum quod Gentius eam sibi cœperat veluti Regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est, & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausula a latere Urbis, quod in orientem patet præterfluens Barbana ab regione occidentis ex Labeatide palude Oriens: Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini, quod ortum ex monte Scodro multis, & aliis auctum aquis mari Hadriatico infertur. Mons Scodrus longe altissimus regionis ejus ab Oriente Dardaniam subjectam habet, a Meridie Macedoniam, ab Occasu Illyricum,* & relata Oppidanorum erumpentium fuga inducias factas refert. *triduo in hoc dato, cum castra Romana quingentos ferme passus ab urbe abessent, navem conscendit, & flumine Barbana navigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum; sed ut apparuit falsa spe excitus Caravantium fratrem multis millibus armatorum actis, ex ea regione in quam missus erat adventare, qui postquam evanuit rumor, tertio post die navem eandem secundo amni Scodram demisit, præmissisque nuntiis, ut sibi appellandi Prætoris potestas fieret copia facta in Castra venit.*

Dec. 5. lib. 2.

Hoc modo Regnum Illyricum extinctum, & a Romanis in Provinciam ordinatum fuit, ut idem Livius ead. Dec. 5. l. 5. (L. Anicius) *Scodræ quo quinque Legati ab Roma venerant, evocatis ex tota Provincia Principibus, conventum habuit, ibi pro Tribunali pronunciavit de sententia consilii S. P. Q. R. Illyrios esse liberos jubere, præsidia ex omnibus oppidis, arcibus, & castellis se se deducturum, non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses, & Taulantios, Dissaretiorum Tirustas, Rizonitas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent, Daorseis quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio cum Armis ad Romanos transiissent, Scodrensibus, & Dassarensibus, & Salepitanis cæterisque Illyriis vectigal dimidium, eius quod Regi pendissent, imponere, inde in tres partes Illyricum divisit, unam eam fecit, quæ supra dicta est, alteram Labeates omnes tertiam Agravonitas, & Rizonitas, & Olciniatas accolasque earum.* 587.

Quar-

Quartum in Illyrico bellum Dalmaticum primum fuit, de cujus causa Polyb. in fragmentis Num. 124.

Issenses. *Issenses.* *Vrbi vicinosque.*

Posteaquam Lissii *& Daorsii sæpius communi consensu Legatos Romam misissent, quibus significabant,* Lissii *Delmatas, & Agros, & Urbes suæ ditionis infestare; Hæ autem sunt Epetium, & Tragurium, similique modo etiam Daorsii de iisdem querebantur: Senatus misit* 597. *C. Fanium ad res Illyrici visendas, & maxime Dalmatarum hic populus, quamdiu vixit Pleuratus, ei paruit: post obitum vero illius, cum in Regno Gentius successisset, ab illo defecerant Dalmatæ, & bella cum finitimis gerebant,* vicinosque *populos Imperio suo subjiciebant: ita ut eorum nonnulli tributa ipsis penderent, tributum autem erat pecus & frumentum, atque hæc legationis Fannii causa fuit.* & n. 125. *Quum ex Illyrico reversus C. Fannius renuntiasset Senatui, tantum ab eo abesse Dalmatas, ut satisfacere iis, quos continuis injuriis lacessiverant, ullo modo vellent, ut ne aures quidem sibi præbere sustinuisset: quod dicerent, nihil sibi commune esse cum Romanis: addebat Fannius neque hospitii factam sibi copiam, neque aliud quicquam eorum, quæ necessaria sunt fuisse præbitum: equos quin etiam per vim sibi ademtos esse, quos habebant ex alia Urbe, sed & manus sibi inferre eos voluisse, nisi tempori cedentes cum magno silentio eorum finibus excessissent. His diligenter a Senatu auditis, & si offendebantur contumaci & sævo Dalmatarum ingenio, magis tamen eo movebantur, quod multas ob causas opportunum rebantur esse tempus belli cum gente illa gerendi. Nam Romani ex quo Demetrium Pharium ejecerant, penitus illam partem Illyrici, quæ ad Adriaticum mare inclinat, neglexerant. Accedit, quod Italicos homines longa pace torpere omnino nolebant; agebatur autem duodecimus jam annus a bello cum Perseo, & Macedonibus gesto: itaque bello adversus istos suscepto, qua renovare in suis, ut sic dicam, spiritum illum militarem, & alacritatem pugnandi cupiebant, qua terrorem Illyricis injicere ut imperata facere posthac cogerentur. Propter has causas Dalmatis bellum indixerunt, ipsi tamen apud exteros hanc afferebant causam, quod contumeliam Legatis suis factam bello sibi prosequendam judicassent.* Appianus autem *Dalmatæ, alia item Illyriorum natio, in Illyrios Pop. Ro. socios incursionem cum fecissent, legatosque ea de causa Roma venientes, non recepissent, bello petiti sunt. M. Figuli Consulis ductu: hunc primo adventu metantem castra, cæso præsidio, in plana pepulere, non intermisso ad fluvium usque Naronem receptu, Figulus domum reversos aggredi constituit, improvisum hostibus impetum suum futurum nequicquam sperans, offenditque populares excipiendi sui causa undique ex civitatibus confluxisse: nec tamen eo minus in suscepto consilio perseveravit, inque urbem Delminium (unde Dalmatearum, mox Dalmatarum cognomen profectum est) fugatos Barbaros se recipere adegit; cum autem neque oppugnatione quicquam efficere posse animadverteret, adversus oppidum egregie munitum, & operum, machinarumque labor propter altitudinem mœniorum inutilis futurus videbatur, animum adjecit ad alias urbes, ob concursum in Delminium infrequentes, aggrediendas, quibus in potestatem redactis, deinde reversus ad Delminium sudes bicubitales pice, & sulphure, stupaque circumdatas in oppidum catapultis jaculari cœpit, quæ ipso impetu succensæ, & facum instar ardentium volitantes, quæcumque attigissent, inflammabant, plurimaque novo illo teli genere apud obsessos exusta corruptaque sunt; isque fuit finis belli contra Dalmatas a Figulo gesti.* & Epitomator Livii Florus. *Martius Consul* Lib. 47. *adversus Dalmatas parum prospere primum,* 598. *postea feliciter pugnavit, cum quibus bello confligendi causa fuit quod Illyrios P. R. vastaverant, eandemque gentem Cornelius Nasica Consul domuit.*

Quintum inde Illyricum bellum contra Ardiæos, & Palarios Appianus refert:

Ardiæos, & Palarios, cum Illyricum Romanam Provinciam invasissent, Pop. Ro. aliis distractus curis legatione missa ab injuriis deterrere conatus est, cumque nihil profecisset, vi sibi agendum constituit, exercitu decem millium peditum, & equitum sexcentorum eum in usum conscripto, cuius consilii certiores Ardiæi facti, cum ad bellum satis parati non essent, confestim legatos Romam mittunt veniam oratum; Senatus damnorum æstimationem, quibus indigne oppressos affecissent, exsolvere illos jussit, & adversus negligentes parere Senatui Fulvius Flaccus cum exercitu missus; sed bellum non ultra excursionem processit, neque enim finem illi imponere potuerunt. Florus autem Fulvius Flaccus Cons. Vardeos *in Illyrico subegit.* Lib. 56.

Sextum Illyricum contra Japodes de quo Appianus.

Adversus Japodas, quibus intra Alpes sedes est Sempronius Tuditanus, & Pandusas Tiberius gessere bellum, verique simile est, eos ad imperata facienda compulsos. Itemque Segestanos per Lucium Cottam, ac Metellum, verum non multo post utrosque defecisse. & Florus *C. Sempronius Cos. contra Japides primo* Lib. 59. *rem male gessit, mox victoria cladem acceptam* 624. *emendavit virtute C. Junii Bruti, ejus qui Lusitaniam subegerat.*

Septimum in Illyrico bellum, & Dalmaticum secundum Appianus.

Secutis temporibus Cæcilius Metellus Consulatum adeptus nihil delinquentibus Dalmatis una triumphandi libidine bellum inferre decrevit; a quibus amice susceptus, apud Salonas eorum urbem transegit hyemem, & Romam reversus triumphavit. & Florus *L. Cæcilius Metellus Dal-* Lib. 62. *matas obsedit.*

Octavum Illyricum, & Dalmaticum Tertium Eutropius. L. 6.

Ad Illyricum missus est Cneus Cosconius Proconsul multam partem Dalmatiæ subegit, Salonas cepit, & composito bello Romam post biennium rediit.

Nonum Illyricum, & Dalmaticum quartum Appianus. Circa

Quo autem tempore Cæsar apud Celtas cum 700. *imperio erat, Dalmatæ, cæterique benigniori fortuna utentes Illyrii Liburnis, quæ item Illyriorum gens est, Promonam urbem abstulere, Liburni in Pop. Ro. fidem concedentes, Cæsa-*

ris in propinquo agentis opes implorarunt: Cæsar misit qui Promonam tenentibus denunciarent, ut oppidum Liburnis redderent, cumque ii contemnere imperium viderentur, validam armatorum manum submisit, qui omnes ab Illyriis conciſi sunt, neque Cæsar ultus est: non enim Pompejanæ discordiæ implicito satis eam in rem otii fuit; erumpente autem in bellum discordia, Cæsar cum copiis, quas habebat hyeme, a Brunduſio Jonium transmisit, reliqui autem exercitus partem Antonius ad Cæsarem in Macedoniam duxit, ipse quoque Jonio sinu summa hyeme transmisso, cohortes autem peditum quindecim, & tria millia equitum Gabinius per Illyrios eidem adduxit; ora Jonii circuitu peragrata: Illyrii reputantes ea, quæ non multo ante in Cæsarem commisissent, cum ejus victoriam exitio sibi futuram providerent, impetu facto, universum Gabinii exercitum (excepto Duce, paucisque præterea fuga elapsis) conciderunt, magnamque ex tantis spoliis, & cæteri ad bellum apparatus copiam obtinuere. Cæsar gerendis rebus adversus Pompejum, Pompejoque sublato reliquiis ejus partium, quæ multæ, & variæ supererant profligandis, distentus erat: sed cum omnibus constitutis Romam reversus, expeditionem adversus Getas, & Parthos suscepit: metuentes Illyrii, ne se in itinere positos aggrederetur, Legatos Romam mittunt, qui præteritorum veniam poscerent, seque in amicitiam ejus, societatemque darent; Illyriorum gentem, veluti bello inclytam verbis extollentes: ille quamquam institutam adversus Parthos profectionem festinaret, tamen pro dignitate Pop. Ro. illis respondit: minime amicorum loco habiturum eos, qui talia perpetrassent, veniam autem daturum, si se tributo subjicere, obsidesque dare vellent, Dalmatis utrumque pollicentibus, Atinium multis cum pedestribus, & equestribus copiis ad eos mittit, qui lævia quædam tributa imponeret, obsidesque reciperet.

Decimum Illyricum, & Dalmaticum quintum, & ultimum fuit, de quo Appianus sequitur.

710. usque 763. *Ast ubi Cæsar interiit, rem Romanam, quæ illius ductu maxime valida, florensque fuisset, eo sublato, interituram rati, neque Atinii dicto amplius audientes esse, neque tributa conferre, neque obsides tradere sustinuerunt: vim autem parante in eos Atinio, quinque cohortes, eorumque Ducem Bebium ordinis senatorii ceciderunt: Atinius autem cum reliquis Epidamnum se recepit: hunc exercitum senatus, itemque Macedoniam, & quidquid apud Illyricum in Pop. Ro. ditione erat M. Bruto, ei, qui Cæsarem interfecerat, quomodo Syriam Cassio ejusdem cædis participi concessit; sed his quoque bello adversus Antonium, & alterum Cæsarem, cui Augusto cognomen fuit, distenti, nihil quidquam adversus Illyrios gerendi spatium habuerunt.* Hoc bellum Augustus diu per se, per Agrippam, Tiberium, & Germanicum gessit, ut Florus, Dion, & ipse Appianus pluribus testantur, & Eutropius *Dalmatiam sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam.*

L. 7.

Hæc Romanos in Illyrico gessisse, usque ad Augusti tempora, auctores qui extant, referunt: ex quibus sicuti Dalmatiam antiquitus in Illyrico fuisse apparet, ita ejus, & Illyrici fines elici non possunt, considerandæ idcirco nonnulla erunt circa unumquodque bellum, ut melius singula intelligi, finesque Illyrici & Dalmatiæ perscrutari possint.

Primum Romanorum in Illyrico bellum Polybius diligens, si quis alius historicus, quamvis accurate describat, tamen Illyrici Regni statum, & quinam gentium Issenses fuerint, quave de causa a Regina Teuta obsessi, solito suo more haud retulit, quod vel res ad Græcos pertinentes tradere festinaret, vel forsan cum apud alios prædicta reperirentur, superfluum referre existimaverit; Nam Dion, & Appianus, quamvis idem bellum summatim describant, nonnulla, quæ Polybius omisit, ab aliis sumpsisse videntur, at cum præter Appianum nullus rerum Illyricarum scriptor extet, ideo obscurus remanet Regum Illyriorum status; & quamvis hæc antiquitate obvoluta illustrare volentem temeritatis potius arguere, quam diligentiæ commendare quis posset; tamen quia primo Romanorum in Illyrico bello non bene percepto, cætera quoque obscura evadunt, ideo considerandæ erunt ea, quæ ad Illyrici statum, qualis tunc fuerit, aperiendum conferant, ut clariora inde Romanorum in Adriatico gesta evadant.

Dionysium ante Romanos Adriaticum in potestate habuisse, supra relatum est, quid autem ejecto juniore Dionysio de Issensibus, & Phariis Græcanicis Coloniis evenerit, ad Agronis usque ac Teutæ Regnum historicorum nemo memorat, sed cum per L. annos Adriatico potitos Dionysios constet, eo temporis intervallo Civitates has, cum cæteris eorundem coloniis validas evasisse censeri debet, & ex maris dominio, illius navigationem ad se traxisse, & majoribus navibus exercuisse argui debet; indeque opes non modicas (præsertim Issenses, ubi Prætor, Classisque residebat) contraxisse, Insularumque cæterarum possessionem adeptos, & cum aliis Dionysii Coloniis, sociisque, quibus tuta navigatio conducebat, amicitiam continuasse: At cum Diodorus loco supra relato referat, Illyrios ex adversa continenti CCIOO. transfretasse, & Pharum obsedisse, Prætorem vero Dionysii Issæ commorantem, Pharios liberasse multis Illyriis occisis, pluribus simul cum eorum lembis captis: Hanc Illyriorum expeditionem ex littoribus continentis, Pharo proximis proveniisse oportet; Ideo eadem loca Dionysii Prætorem occupasse, ut Illyriorum molestias inhiberet, conjectari debet, circa quæ tempora Tragurii, & Epetii loca occupata verosimile videtur, quæ Polybius Issensium Civitates fuisse primo bello Dalmatico memorat, eorumque commoditate Issenses cum Illyriis negotiationem

go-

gotia exercuiſſe, conjici debet, cum hæc eadem loca Pharo, & Iſſæ opportuniora hodie quoque ab eisdem præ cæteris locis continentis frequententur, & quamvis a Dionyſii Iunioris ejusque Claſſis receſſu ab Adriatico, usque ad Agronis, contra Ætolos expeditionem, c. anni effluxerint, quo temporis intervallo multa in Adriatico eveniſſe oportet, quæ Iſſenſium, eorumque ſociorum ſtatum mutare potuerint, tamen prædictis Coloniis jam validis effectis, in communi neceſſitate navigationem tanto tempore exercitam continuaſſe, & cum cæteris Græcanicis Vrbibus in Ionio amicitiam ſervaſſe, conjectari poteſt: præterquam quod cum ipſis quoque Siciliæ Tyrannis obſequium, amicitiamve Iſſenſibus fuiſſe, argui poteſt, cum Agathoclem quædam Italiæ loca, *Diod.* & Corcyram habuiſſe conſtet. *Plut.* Pyrrhum vero ſinus Jonii dominium tenuiſſe teſtetur Appianus, & eo magis, quod nullius Adriatici Accolarum claſſis memoria reperiatur, Illyrioſque Macedonibus primo ſubditos, deinde ſui juris effectos, cum eisdem crebras contentiones exercendo, maris Dominium tentaſſe, argui non poſſit; Romanos autem alia ex parte primo de Italia ſubigenda ſollicitos, terreſtria tantum bella tractaſſe, deinde Siciliæ cauſa primas claſſes in Tyrrheno contra Carthaginenſes emiſiſſe, diutinaque cum eisdem bella geſſiſſe conſtat, nec Adriaticum attigiſſe quisquam memorat, prout neque Gallicæ Claſſis ulla memoria reperitur, ob id reliquias Siculorum dominii, Iſſenſium nomine, navigationem Adriatici continuaſſe conjectari volenti, nihil obſtare videtur; abindeque Iſſenſibus cum Romanis, Gallis, Venetis, cæterisque quorum, ut tuto per Adriaticum navigaretur, intererat, amicitiam interceſſiſſe conjectari debet, & quamvis ex his, quales quales ſint, conjecturis, ſtatus Iſſenſium certiorari non poſſit, tamen cum Agronem *copiis terreſtribus, & maritimis omnes priores Illyrici Reges anteiſſe* teſtetur Polybius, ideo anteriores, & debiliores ipſo Reges Iſſenſium navigationi obſtare non potuiſſe, concludi poſſe videtur; cum ipſe quamvis potentior a Rege amico requiſitus, & pecunia conductus, claſſem lemborum tantum deducere potuerit, inopinatamque victoriam conſecutus ſit, ex quo, ſicuti Illyriorum Reges terreſtribus copiis valuiſſe, ita maritima claſſe caruiſſe argui debet: & ex hac unica maritima victoria præter ſpem ſuccedente, ad majora inde emolumenta capienda, Agronem animum intendiſſe, ſuisque militibus exercendis, piraticam iisdem conceſſiſſe, ut inde Adriatici dominium, contra tenues Iſſenſium vires, ipſe militibus abundans conſequeretur, quamvis ex conviviorum intemperantia morbo contracto, celeriter vitam amiſerit. Teutha vero ejus uxor, muliebri imprudentia uſa, ut omnes navigantes aggrederentur ſuis permiſit, quod *Illyrios cunctis exoſos, omnibus hoſtes effecit.* *Polyb.* Claſſes autem Illyriorum non publicas, Regiasque, ſed ex privatorum lembis compoſitas arguunt prima Agronis pecunia Demetrii expeditio, & quæ de obſidione Phœnices refert Polybius. *Plures ſimul a claſſe abſcedentes mercatorum Italicorum alios deprædati ſunt, alios trucidarunt,* neque enim ſi publici, Regiique juris lembi fuiſſent, Præfecti illos abſcedere, & vagari permiſiſſent, quod etiam verba a Regina Legatis Romanis dicta confirmare videntur, ſcilicet *licere privatis utilitatem, quam vellent mari capere.* *Polyb.* Illyrios ergo ſicuti lembos tantum habuiſſe conſtat, ita majoribus navibus, publicaque claſſe, & propterea Inſularum, & maris dominio caruiſſe, concludendum videtur; ſed Phœnice quoque Teuthæ rebus proſpere ſuccedentibus, Demetrii forſan uſa conſilio, non amplius ad rapinas, ſed ad acquirenda ſibi proxima loca animum intendit, & aucto lemborum numero, ad acquirendas Græcas in Jonio Civitates claſſem amandavit, hiſque non contenta, muliebri imprudentia Iſſenſes quoque infeſtavit, & quamvis de Ætolorum Claſſe victoriam, & inde Corcyram conſecuta ſit; Demetrium tamen in diffidentiam deductum, ad Romanos cum Corcyra tranſire coegit, obſidionem Iſſæ fruſtra tentavit, majoremque Regni partem amiſit: Hanc autem Iſſæ obſidionem ex verbis Polybii diutinam, fuiſſe elicitur; jam enim obſidebatur, quando Legati Romani ad Reginam venerunt, neque ſoluta eſt ante claſſis Romanæ adnavigationem ad eandem ideo annuam fuiſſe ad minus oportet; ſed cum idem referat, Romana adveniente Claſſe *capti ſunt, & lembi XX. præda onuſti redeuntes, eorum, qui Iſſam obſidebant* *Polyb.* hanc obſidionem non fuiſſe Civitatis aggreſſionem, machinis adhibitis, (prout in ſimilibus fieri ſolet) ſed potius Illyrios hominibus, & Lembis abundantes, mare percurrendo Iſſenſium navigationem perturbaſſe, Inſulam populaviſſe, & intra munitiones incluſos, obſeſſis ſimiles, tenuiſſe dicendum videtur, Romanaque claſſe adveniente, Illyriorum ſine ordine procedentium XX. lembos præda onuſtos captos, quod ex Dione clarius colligitur. Appianus autem, quamvis a Polybio diſcrepet in eo, quod Epidamnum quoque cum Corcyra captum ab Illyriis referat, quod obſeſſum Polybius tradit; tamen Iſſenſes ab Illyriis recte diſtinguit, dum ait: *Corcyram, Pharum, Eſſon, Epidamnum, & ex Illyriis Atintanas in Pop: Ro: ditione jam eſſe;* Iſſenſes ſcilicet inter cæteras Græcanici generis civitates enumerando, ab Atintanis Illyriis diverſos fuiſſe declarat; neque Agroni ſubditos, cum eundem

capto Pharo *cætero quoque Ionio imminuisse*, id est alieni juris loca occupare, tentasse scribat: qua de causa Issenses vicinorum Pharensium deditione, vel expugnatione territos, Illyriorum potentiæ impares, ad amicos *Romanos confugisse*, & proprium legatum *Cleemporum* cum Romanorum legatis ad Teutham misisse, cum eodem, & Dione concludendum est: animadvertendum tamen est, Issenses cum reliquis in ditionem fidemque Romanorum cessisse, Polybium, & Appianum concordare; inter libertate autem donatos ab Appiano Issenses non recenseri, cum in fine primi belli scribat, *secundum ea Romani Corycram, & Apolloniam libertate donaverunt, ac ne Demetrio quidem proditionis merces defuit.* Ex quibus Issenses libertate caruisse opinari posset, quod maximum absurdum esset asserere: Romanos nempe, qui Issensium libertatis tuendæ causa cum Illyriis bellum gesserant, eosdem libertate mulctasse, cæteris vero qui Agroni subditi fuerant libertatem concessisse; sed qui dicendi modum utriusque auctoris observabit, cognoscet, Issenses cum cæteris qui in ditionem Romanorum pervenerant ex eo nominari, quia illos ab Illyriorum injuriis salvos esse volebant; & ob id cum in suo libero statu permanerent, inter libertate donatos ab Appiano non numerantur, prout ex adverso neque Pharii qui in potestate Demetrii relicti fuerunt.

Sed animadvertendum est relatum Polybii fragmentum Num. 124. de Caussis Dalmatici primi belli *Lissios* de Dalmatis conquestos habere, originale vero a Fulvio Ursino Græce editum νισσιων, sed Fulvius ex similitudine vocis, & auctoritate Stephani *Lissum* in Illyrico ponentis, Polybiique, & Livii ejusdem mentionem facientium, λισσιων legendum in notis declaravit, quam lectionem in ejusdem fragmenti versione Casaubonus retinuit: tamen loco νισσιων vel λισσιων, Ισσιων reponi debere, ex ipsius Polybiani fragmenti serie deprehenditur, cum non Lissios longe a finibus Dalmatarum dissitos, (ut infra patebit) de eisdem conquestos appareat, sed Issenses, qui Tragurium, & Epetium ipsorum Urbes a proximis Dalmatis infestatas referebant: Has autem Issensium Colonias fuisse Strabo confirmat, qui *Tragurium ab Issensibus conditum* testatur, simili modo textus Diodori supra relatus corrigendus est, & loco *Lissum* in Adriatico a Dionysio ædificatum, *Issam* reponendum, cum Lissum prope fluminis Drini ostia in continenti Illyrica situm sit, neque portum, tutamque navibus stationem habeat, & ad Ionii fauces transfretandas, tutamque navigationem in Epirum reddendam inepto loco jaceat; ad interiora autem Adriatici in potestate retinenda, Phariisque tanto spatio dissitis auxilia præbenda prorsus inutili, & sicuti Pharum a Græcis conditum fuit, adjuvante Dionysio, eodem Diodoro teste, Issamque Græcanicam Vrbem fuisse Scylax Cariandensis refert *nova Pharas Insula Græca, & Insula Issa, & hæ quidem Græcorum Vrbes* scilicet tempore ejusdem conditæ, Pharos, a Pariis, Issa a Dionysio Siculo, quam Selymnus Chius, Syracusiorum Coloniam testatur. *In Perip.*

Issa nomine Insula est,
Syracusiorum continens Coloniam.

Ita pro *Lisso*, *Issæ* in Diodori textu reponi debet, cum Issæ recte congruant quæcumque ipse Diodorus de statione Classis Dionysii & Prætoris residentia refert. In Adriatici nempe meditullio existens portus bonus, solumque ferax habens ad Classes, e Sicilia, Ionioque venientes excipiendas, proximisque Phariis auxilia præbenda opportunissimo loco sita est: irrepserunt quoque errores, in Polybii, & Appiani versiones latinas: nam Polybii primus interpres, Issam ab Illyriis ad Romanos defeciisse interpretatus est, quod Casaubonus correxit, & pro verbo *defecerat*, *parere recusabat* reposuit: præsuppositi enim prior interpres, Issam ante Romanorum quoque tempora Illyricam Civitatem fuisse, & tunc ad Romanos transiisse; Simili modo Appiani prior Interpres insulam *Essios nomine*, ad Romanos defeciisse ait, quod neque Polybius neque Dion scripsere, neque ipsum Appianum scripsisse ex textu Græco appareret: alterum quoque errorem in Appiani textu Græco irrepsisse constat; nam ubi *Lyssum* ponendum erat, *Essum* repetitum est, indeque adnavigationem ad Essum vetitam prior Interpres scripsit: non enim adnavigatio ad Insulam Issam Illyriis vetita fuit, sed præternavigatio ultra Lyssum in continenti situm, quod ad Græcos pertinebat, ut Polybius refert, & alio loco repetit; ex quibus sic correctis Issenses Græcanici generis fuisse, & uti liberos Romanis adhæsisse concludendum est, ut Sigonius quoque animadvertit: Hoc modo Romani prima vice in Adriaticum venere Issensium caussa, & aliorum, si qui cum Issensibus sentiebant, ut infra dicetur. *De antiquo jure Prov. lib. 1. cap. 7.*

Secundum in Illyrico bellum contra Demetrium fuit, cujus exitum Polybius, Dion, & Appianus referunt, Demetriumque victum, & ad Philippum Macedoniæ Regem fuga delatum scribunt; loca autem, quæ ei ademerunt, præter Dimalum, & Pharum non nominant; Sed Romanis deinde ab Hannibale ad Trasimenum victis, instigante Demetrio, Philippus fœdus cum Hannibale contra Romanos fecit, in quo enumerantur loca, quæ Romani in Illyrico possidebant, ut refert Polybius, *neque in potestate Romani habeant Corcyræos, neque Apolloniates, neque Dyrrachinos, neque Pharum, neque Dimallem* *Cap. 6.* *Lib. 7.*

mallem, & Parthinos, neque Atintaniam, reddunto iidem, & Demetrio Phario omnes illius propinquos, & necessarios, qui intra Romanorum ditionem fuerint. Hinc belli Macedonici primi causam Demetrio Phario Polybius adscribit, & Scerdilaidam Illyriorum Ducem pluries nominat; tum inprimis Agronis, & Teuthæ expeditionibus, tum postea cum Demetrio Phario, contra pacta cum Romanis inita, Græcos infestante, quem etiam a Philippo contra Ætolos conductum his conditionibus refert, *ut annua vicena talenta acciperet, & ut XXX. lemborum classe bellum cum Ætolis mari gereret.* Sed pecunia fraudatum, ditionem Philippi infestasse, qui cum properaret bellum in Italia contra Romanos gerere, centum lembos primus Regum Macedonum construxerat in Ægæo, quibus in Jonium transmissis Scerdilaidæ suspicionem præbuit, qui Romanis id significavit, & societatem cum ipsis contrahens, auxilia decem navium obtinuit, quibus noctu inopinato prope Philippi classem advenientibus, in turpem fugam Philippus, nullo persequente conversus est: eodemque tempore Romanos ad Philippum Legatos misisse memorat Livius *ad deposcendum Demetrium Pharium, qui bello victus ad eum fugisset, alii in Ligures ad expostulandum, quod Regnum operibus, auxiliisque suis juvissent: simul ad visendum ex propinquo, quæ in Boiis, atque Insubribus gererentur: ad Pinnem quoque Regem in Illyrico Legati missi ad stipendium, cujus dies exierat, poscendum aut, si diem proferre vellet, obsides accipiendos, adeo, & si bellum ingens in cervicibus erat, nullius usquam terrarum rei jura Romanos, ne longinqua quidem effugiebant.* Ita Romani post Trasimenam cladem omnes finitimos suspectos habebant, sed præsertim Philippum, quem deinde confecto Punico bello aggressi sunt, ut Polybius, & Livius referunt; cujus Macedonici belli tempore nominatur alter Illyriorum Dux Pleuratus, simul cum Scerdilaida a Polybio; a Livio autem, cum Scerdileto, in fine vero belli, Pleuratum Scerdileti filium Livius nominat, & in pace cum Philippo declaratum *Pleurato Lingus & Partheni dati; Illyriorum utraque gens sub ditione Philippi fuerat;* ex quibus Scerdilaidam Polybii cum Scerdileto Livii eundem fuisse, pronunciatione tantum Græca, a Latina discrepante censendum est.

L. 4. — Dec. 2. lib. 2. — Pol l. x. Liv. D. 3. lib. 3. Dec. 4. l. 1.

Bellum tertium contra Gentium Illyriorum Regem fuit, cujus causas, gesta, finem Livius refert: Gentium Pleurati filium fuisse Polybius & Livius testantur, cumque Pleuratum Illyrium eodem tempore apud Perseum Macedoniæ Regem extitisse scribat, ideo suspicari potest, Pleuratum hunc illius Scerdileti filium fuisse, cui in fine primi Macedonici belli Lingus, & Partheni dati fuerunt, ut supra relatum est, eundemque Illyrici Orientalem partem ultra Drinum, & Macedoniæ conterminam, quam olim Glaucias Taulantiorum Rex (qui Pyrrhum in Regnum restituit) tenuerat, possedisse, & aliqua de causa a Romanis Regno privatum, exulem apud Perseum moram traxisse, ipsumque ad recuperandum sibi Regnum exemplo Demetrii Pharii instigasse, & Gentio (forsan consanguineo) ut societatem belli cum Perseo iniret, suasisse, conjectari potest, quæ societas utrique Regno exitiosa fuit, & sicuti eam partem Illyrici, quia Romani Teutham mulctarant, & Demetrio tradiderant, intra Drinum flumen, & Ceraunios montes fuisse apparet, ita Gentio Regno exuto, Illyrici Regni populos omnes ex nominum collatione intra Naronem fluvium, & Ceraunios montes sitos fuisse constat: Issenses vero, qui primi inter liberos, & immunes a Livio numerantur, sicuti ex ejusdem præcedentibus verbis Gentio non fuisse subditos, immo inimicos patet, ita Livium eosdem cum cæteris Illyriis, quibus tunc *quod incolumi Gentio ad Romanos transiissent*, libertas, & immunitas concessa fuit, Issenses perperam nominasse constat: & iis qui a Gentio defecerant, libertatem, & immunitatem, qua Issenses Pop. Ro. socii fruebantur, concessam scribere debuisse, quod observandum est pro iis, quæ mox dicenda sunt.

Dec. 5. l. 5.

Quartum sequitur bellum Illyricum, & Dalmaticum primum, cujus causam Polybius, gesta vero Appianus, & Florus referunt. Dalmatas Pleurato Gentii patri subditos fuisse, sed eo mortuo a Gentio defeciisse, Polybius narrat, ideo cum inter populos Gentio subditos Dalmatæ non essent, a Livio supra relato 3. bello non nominantur, ex quo citra Naronem illos fuisse oportet; Sed cum referat Appianus, a Dalmatis primum Romanos Naronam usque fugatos, & deinde eosdem a Romanis victos Delminiumque ipsorum Civitatem, a qua, & illis nomen, exustam: hæc, non longe a Narona flumine evenisse oportet; Dalmatasque regionem septentrioni magis proximam, ob id frigidiorem Civitate Narona ab antiquo incoluisse apparet ex eis, quæ Vatinius quarto Dalmatico bello Præfectus scribit M: T. C.

Vatinius Imper. 5. D. Ciceroni Dionysio Epistol tuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit; Sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. Cæsar adhuc mihi injuriam facit, de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis eis adhuc non refert: quasi vero non justissimi triumphi in Dalmatia res gesserim: nam si hoc expectandum sit, dum totum bellum conficiam: 20. Oppida sunt Dalmatiæ antiqua, quæ ipsi sibi adsciverunt amplius sexaginta. Hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego sum, ac cæteri Imperatores. Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum: sex oppida in oppugnando cepi; unum hoc quod fam. l. 5. ep. x.

erat maximum, quater a me jam captum: quatuor enim turres & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam, ex qua me nives, frigora, imbres, detruserunt? indigneque mi Cicero Oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Cæsarem meam causam agas meque tibi in omnes partes, defendendum putes hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale Nonis Decembris Naronæ.

Ex qua Vatinii Epistola distingui posse videntur ea, quæ in supra relato Polybii fragmento obscura habentur, in quo Casaubonus Delmatas populos *vicinos* subegisse vertit, tamen cum textus Græcus ἀςυγείτονας, id est *Vrbi vicinos* habeat, non de quibus libet vicinis, sed de *Vrbi vicinis* tantum intelligendus est, & exinde Dalmitanos Cives, libertate consecuta, vicinos suæ Vrbi populos subegisse, vigintique Oppidis subactis, iisdem ex Vrbe domina nomen Dalmatiæ indidisse censendum est, quæ *Dalmatiæ antiqua* Vatinius vocat, ac inter Naronam, & Tilurum flumina, ac montes Pannonios sita fuisse ex dictis apparet: deinde, Tiluro transmisso, sexaginta alia Oppida sibi asciscendo, usque ad mare, Dalmaticum nomen protulisse; simulque Salonæ situ occupato Tragurium, ac Epetium proximas Issensium Civitates infestando, causam primi belli Dalmatici præbuisse, & sicut Salonam inter sexaginta Dalmatarum recentiora Oppida numerandam ex eo colligitur, quod secundo, & tertio bello Dalmatico ejus mentio fit; ita Naronam quarti belli tempore nondum Dalmatiæ finibus inclusam diserte docet Epistola ipsius Vatinii Naronæ scripta, & alia præcedens clarius.

Lib. 5. ep. 9.

Eodem quarto Dalmatico bello Promonam Liburnis Dalmatæ ademerunt, quam intra Titium, & Tilurum non longe ab hujus fontibus fuisse, situs, nomenque montis *Promina* dicti demonstrat, tuncque eo magis Dalmatiam dilatatam censendum est. Nam Cæsar bello civili impeditus, neque vindictam de exercitu a Dalmatis deleto sumere; neque ipsos coercere potuit, sed eo composito, leve tributum imponere sat habuit.

Cæsare occiso, Dalmatæ se in libertatem denuo vindicarunt, Romanos exercitus superarunt, & eorum reliquias Epidamnum fugare, recipere coegerunt, quo tempore Naronam, cæteraque loca Drinum usque, Dalmatas occupasse argui potest, cum eosdem pluries Augustum fatigasse scribant, & eadem loca deinde Dalmatiæ adscripta fuerint. De qua Dalmatia sic aucta Velleii Paterculi verba intelligenda sunt l. 2. *Universa Pannonia insolens longe pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia tractu ejus gentibus in societatem adductis, ex constituto arma' corripuit.* & infra. *tantus hujus belli metus fuit, ut stabilem illum, & firmatum tantorum bellorum experientia Cæs. Aug. animum quateret, atque terreret.* Hoc ultimum Illyricum, & Dalmaticum Quintum bellum Augustus diu per se, & per Tiberium gessit, quo tandem Dalmatæ subacti fuere, ut relati Auctores referunt, a quo etiam Insulares maria infestantes, compressos Appianus memorat. *Deficientes vero Melitenos, & Corcyræos, qui insulas incolunt, propterea quod mare latrociniis infestum habebant, funditus delevit, interfectis puberibus, cæteris sub corona venundatis: Liburnos mari itidem infestos navibus multare satis habuit.* His de Illyrico, proximique maris dominio usque ad Romanæ Monarchiæ tempora observatis, Illyricæ oræ descriptio ad eadem tempora deducenda est.

CAPUT II.

De Illyrici ora maritima.

ILlyricam oram a Cerauniis montibus antiquitus initium sumsisse, Græci & Romani Scriptores concordes referunt, sed Græci Liburnia ipsam terminant; Romani vero ad intima Sinus Adriatici Venetos usque producunt, & Herodotus antiquissimus Scriptorum Henetos quoque Illyricam esse gentem asserit, quos tamen Paphlagonas fuisse Polybius, Livius, & Strabo testantur; ideo auctores Illyricam oram describentes, ordinatim recensendi sunt, non ut ex eis (quæ adeo parva, vel depravata extant) certa locorum distinctio tradi possit; sed tantum, ut observata temporum ratione, Illyricæ oræ finium diversitas percipi queat, & inde quæ apud nonnullos Romanos Scriptores obscura, vel confusa videntur, declarari possint. Horum antiquissimus est Scylax Cariandensis, cujus textus depravationem conati sunt restituere multi. Hic Lucæ Holstenii amici veteris, & in Geographia antiqua versatissimi ponetur versio, is enim Adriaticas oras describens, ait in Periplo.

Tyrrheni.

Post Vmbros Tyrrheni sunt: pertingunt autem, & hi a Tyrrheno mari in Adriaticum, estque Græcanica in illis Vrbs Spina, & fluvius, ascenditurque in Vrbem adverso flumine ad xx. stadia circiter, & Tyrrhenia ab infero mari in Adriaticum usque sinum porrigitur ab Vrbe Pisa; ad Spinam tridui itinere.

Celtæ.

Post Tyrrhenos Celtarum gens sequitur: pars exercitus relicta in angusto terrarum tractu, usque in Adriaticum mare, isthic intimus recessus est sinus Adriatici.

Heneti.

Celtas Henetorum gens excipit: per quos Eridanus fluit; & ad ipsos a Spina Vrbe unius diei navigatio est.

Istri

Istri.

Post Henetos Istrorum gens est, atque fluvius Ister, exit autem hic fluvius in Pontum, fronte quasi ad Ægyptum conversa; præternavigatur Istrianorum regio unius diei noctisque spatio.

Liburni.

Lias Idassa. Post Istros Liburnorum gens est, in qua gente Urbes maritimæ sunt *Iadera*, Aetienites, Dyirta, Alupci, Olsi, Pedetæ, Hemioni: Hi fœminarum Imperio reguntur, suntque fœminæ istæ liberæ a viris, congrediuntur autem cum propriis servis, virisque vicinarum regionum. Insulæ autem huic regioni objacent, quarum quidem nomina recensere possum, sunt enim & aliæ multæ absque nomine, vid. *Apsyrtis* Insula stadiorum cccx. lata autem cxx. *Electrides*, *Istria*, Mentorides. Hæ autem Insulæ magnæ sunt, juxta est & *Arbatis* fluvius. navigatio juxta Liburnorum regionem bidui est.

Istris. Citri Litria. Catarbatis.

Illyrii.

Post Liburnos gens est Illyriorum, qui oram maritimam accolunt ad Chaoniam usque, quæ juxta Corcyram Alcinoi Insulam est. In his Oppidum Græcum est nomine Heraclea, & Portus. Sunt & hic Barbari, quos Lotophagos vocant, Hierastamnæ, Bulini, Hillini, Bulinis contermini Hylli: hi Hyllum Erculis filium conditorem suum asserunt; sunt autem Barbari, habitantque peninsulam paulo minorem Peloponneso: post peninsulam littus directum accolunt. Bulini autem Illyrica gens est. enavigatur Bulinorum regio. die longiori uno usque ad Nestum sinum.

Nesti.

Præternavigatur. Post Nestum deinde sinuosa navigatio est, vocatur autem totus hic sinus Maricus, qui uno die *circumnavigatur*. Sunt autem hoc in loco Insulæ Proteras, Cratia, Olintha 11. stadiorum intervallo, aut paulo majori a se invicem dissitæ juxta Pharum & Issam; hic enim nova Pharus jacet Græca Insula, atque Issa Insula, & hæc Græca Oppida. Antequam vero ad Naronem fluvium perveneris, ampla regio in mare provenit, atque Insula littori vicina nomine Melita, tum alia huic vicina, quæ Corcyra nigra vocatur, altero autem promontorio juxta Naronem fluvium excurrit, distat a Melita stadiis xx. a continenti autem terra stadiis 8.

Et plurimum abest promontorio suo hæc insula.

Manii.

Post Nestos vero Naron fluvius est, aditu satis amplo, nam & triremes, & Naves illum subeunt ad Emporium usque Lxxx. stadiis sursum a mari distans. Hi autem genere Illyrii sunt nomine Manii. Lacus autem introrsum juxta Emporium illud magnus est, usque ad Autariatas Illyricam gentem pertingens, in quo lacu Insula est cxx. stadiorum, culta admodum & fertilis. Ex hoc lacu Naro amnis profluit, & a Narone ad fluvium Arionem diei navigatio est: post Arionem fluvium dimidii diei cursu, Cadmi & Harmeniæ saxa sunt templumque procul ab Arione fluvio, a dicto flumine navigatur ad Emporium Buthoam.

Encheles, sive Enchelii.

Encheles quoque Illyrica gens est, vicina Rhizunitis, a Buthoa ad Epidamnum Urbem Græcam diei noctisque navigatio est: iter autem tridui.

Illyrii.

Taulantii sunt gens Illyrica, in qua Civitas Epidamnus, quam fluvius allabitur nomine Palamnus. Ex Epidamno, Apolloniam usque Græcam Urbem iter bidui est: Apollonia autem L. stadiis a mari distat, & Æas amnis Urbem præterfluit; ab Apollonia in Amantiam sunt stadia cccxxx. juxta Apolloniam Æas fluvius ex Pindo monte ortus, defluit versus Oricum interius in sinum Ionium: Ab Amantia autem stadiis Lx. in mare effluit: omnibus hisce gentibus in mediterraneis contermini sunt Atintanes, supra Oriciam & Chaoniam, usque ad Edoniam; in Chania regione exigua quædam Insula esse fertur, nomine Erythia. Huc Gerionem venisse perhibent, & boves pavisse, circa hæc loca Ceraunii montes sunt in Epiro, quibus Insula exiguo nomine Sason objacet, hinc tertia diei parte Oricum navigatur.

Orici.

Orici Amantiæ regionem incolunt. Amantienses autem Illyrii a *Bulinis* hucusque pertingunt. Ostium vero Ionii sinus a Ceraunis montibus est usque ad Iapygium promontorium, trajectus autem Ostii hujus sinus a Ceraunis montibus ad Hydruntum Oppidum Iapygiæ, 10. circiter stadiorum est, quidquid intra est, sinus Ionius vocatur. In Adria crebri sunt portus, idem autem est Adria & Jonius. *Bullionibus.*

Scylacem sequitur Schimnus Chius, qui oram maritimam ad Nicomedem Regem Bithyniæ perscripsit, quem Marciani Heracleote nomine vulgatum, nuper idem Holstenius vertit.

Europa.

360.

Post Italiam statim occurrit Ionium mare
Ad cujus Ostium atque fauces ultimi
Iapyges accolunt; sub his Oenotrii, &
Messapiorum portus est Brunduſium
Montesque trans fretum objacent Ceraunii.
Umbri dein Messapiis sunt proximi
Quos delicatæ deditos vitæ ferunt

Ætatem agentes Lydio plane more
Sequitur deinde mare, quod Adriaticum vocant
Theopompus ejus optime explicat ſitum,
Quod qua peninſulam facit cum pontico,
Ibi Inſulas ſimiles Cycladibus obtinet,
Quarum quidem alias nuncupant Apſyrtides,
Electridasque, ſed alias Liburnidas,
Feruntque nonnulli ſinum hunc Adriaticum
Turbis quibusdam barbarorum cingier
Ad L. ſupra. C. Miriades
Agrum optimum atque fertilem colentium
Ferunt enim, & pecora gemellos gignere
Sed aer illos ambiens a Pontico
Differt, licet parum invicem diſtent loco
Neque enim nivoſus eſt, nec aſper frigore;
Sed pluvius usquequaque, & humidus manet,
Mutationes turbidas citasque habens
Æſtate præſertim atque crebros turbinum,
Et fluminum jactus, & iſtic quos loci
Dicunt Typhonas; L. autem oppida
Venetorum in intimo receſſu ſunt ſita,
Hos tranſiiſſe ex Paphlagonum ſolo ferunt,
Laresque conſtituiſſe ad Adriæ ſinum:
Venetos ſequuntur Thraces, Iſtri uti vocant,
Iuxtaque eos duæ ſitæ ſunt Inſulæ,
Quas optimum proferre ſtannum exiſtimant.
Supra haſce degunt Iſtriani, & Mentores,
Eridanus hic fert ſuccinum pulcherrimum,
Id lachrymam eſſe ſaxeam pellucidam,
Stillamque, quam altæ populi exſudent ferunt,
Olimque contigiſſe nonnulli aſſerunt,
Incendium Phaëtontis hæc circa loca,
Ideoque turbas incolarum omnes adhuc,
Incedere atra veſte, & habitu lugubri,
Terras deinceps adjacentes proxime,
Illis Pelagones, & Liburni poſſident,
Queis Bulinum deinde adhæret natio,
Poſt hoſce mox peninſula ingens Hyllica eſt,
Quæ Peloponneſo comparier poteſt,
Sed Oppida illic XV. colere aſſerunt,
Hyllos originis quidem Græcanicæ,
Quorum auctor Hyllus gnatus Herculis fuit,
Malo propinquorum tamen contagio,
Feruntur evaſiſſe Barbari,
Ut aſſerunt Timeus, & Erathoſtenes,
Ac propter illos Iſſa nomine Inſula eſt,
Syracuſiorum continens Coloniam,
Porrecta deinceps Illyris, quamplurimas
Gentes coercet: Nam frequentes admodum
Extare turbas hominum in Illyride ferunt,
Quorum una pars remota degit a mari,
Pars alia littus Adriæ internum occupat,
Pars obtemperat Regiæ potentiæ,
Pars alia ſervit unius libidini,
Pars legibus vivit ſuis: piiſſimos
Eos ferunt, juſtosque, & hoſpitibus bonos,
Civilem amare ſocietatem maxime,
Studere vitæ, & moribus cultiſſimis.
Abhinc diſtat haud procul Pharus Inſula
Pariorum habens Coloniam, atque Corcyra
Quæ nigra dicitur Cnidi Colonia:
Prædicta regio maximum complectitur
Lacum; accolæ Lychnitim illum nominant,
Huic tractui Inſula eſt propinqua, in qua diem
Vitæ ſupremum obiiſſe Diomedem ferunt,
Et inde Diomedea dicta eſt nomine,
Supra hoſce Phrygi ſunt feri, atque Barbari,
Et Civitas Epidamnus imminens mari,
Originis Græcæ Colonia Corcyræ,
Superque Phrygos Enchelei ſunt ſiti,
Queis imperaſſe Cadmus olim dicitur,
Vicina proxime his jacet Apollonia,
Corinthiorum Corcyrorumque opus,
Et Oricus maritima Græca Civitas,
Quam condiderunt Euboenſes Ilio
Capto, repulſi ad ea loca ventorum impetu
Deinde Theſproti.

Schimnum ſequitur Dionyſius Afer, ſive Alexandrinus in Perygiſi

Quin etiam expanſus eſt Iapygiam ad terram
Inde vero dilatatum protenditur Adrium ſalum
Ad Boream, ſed ſurſum ad Occiduum receſſum ſerpit,
Quod etiam Ionium accolæ dixerunt,
Duas vero continentes eructat; intranti quidem
Dextram ad manum cernitur Illyris terra
Dalmatia vero ſupra ultra martiorum ſolum virorum
Ad Lævam vero Auſoniorum expanditur immenſus Iſthmus.

378.

At deinceps poſt hos Calabricæ ſedes terræ,
Gentesque Iapygum extenſæ usque ad Hyrium
Maritimam: Hyrium ubi trahitur Adrium ſalum,
Mare in finitimum Aquileenſe ubi condita eſt,
Urbs Tergeſtorum intimis in finibus maris.
Tot quidem Auſoniam circum depaſcuntur terram,
Inde autem ad auroram converſum circumvolvitur ſalum
Littora ſubradens Liburnica circumque firmam
Hylleorum terram omnem quæcunque adjacet Iſthmo
Bullineorumque littora. Poſt vero immenſum tractum ducens,
Illyricam circum terram volvitur usque ad jugum,
Montesque excelſos, quos Ceraunios vocant:
Illum autem circa ſinum videas inſignem tumulum,
Tumulum quem Harmoniæ, Cadmique fama dicit;
Illic enim in ſerpentem flexuoſum genus mutati ſunt,
Quando Iſmeno opulentam poſt ſenectam migrarunt
Ubi ipſis prodigium illud Dii fecerunt; circa namque terram
Illam utrinque ſita ſunt duo ſaxa
Quæ ambo concurrunt agitata, cum aliquod principium
Eſt incolis mali quod advolvitur ipſis

481.

Verum quum Adriatici ſiniſtrum alveum maris
Intraveris in navi Iapygiam in terram
Invenies fortis Diomedis confeſtim inſulam
Quo heros venit, infenſa Venere
Quando peroptatorum adiit gentem Iberorum
Suæ Uxoris conſiliis, malevolæ Ægialeæ
Deinceps autem maris ad ortum Ionii
Abſyrti Inſularum apparet immenſus tractus
Quas olim Colchorum filii incurſarunt, quando defeſſi fuerunt
Deinceps autem poſt has Liburnicæ ſitæ ſunt
Verum ad Auſtrum poſt ſaltus Ceraunios navi currenti
Inſulæ apparent ex ulteriori loco Ambraciotarum
Atque pinguis Corcyra charum ſolum Alcinoi.

In his tribus Græcis auctoribus qui Antiquiorum de Adriatica ora opiniones tradunt, obſervanda ſunt nomina quæ-

quædam populorum & locorum, quæ apud Romanos Hiſtoricos ſive Geographos non reperiuntur, & ſicut in ſtatuendo Illyrico a Cerauniis montibus ad Hyllos uſque vel Bulinos conveniunt, ita Liburnos & Iſtros ab Illyriis concordes excludunt, multa etiam obſcura continent, quæ ut rectius intelligi poſſint, infra quando de Adriatici navigationis variatione tractabitur, explananda erunt. Hos ſequitur Strabo, qui Illyricam oram deſcribens ait:

Ardiæos. *Pertingit Pannonia etiam uſque ad Dalmatiam, & fere* Sardiæos *verſus meridiem ſi proficiſcatur. Quidquid autem regionis ab intimo*

Ardiæos. *Adriæ ſinu, uſque ad* Sardiæos, *& Rhizonicum ſinum protenditur, montoſum eſt, interpoſitum mari & Pannonibus; atque hinc ſane videtur, non incommode initium nos facturos continenti oratione, ambitum iſtum ſolum deſcripturos, paucis modo repetitis eorum, quæ ſupra dicta fuerunt. Docuimus enim, in Italiæ deſcriptione primos in Illyrici ora maritima eſſe Iſtros, conterminos Italiæ & Carnis: Principesque noſtros hodie Italiæ fines ad Polam uſque Iſtriæ Vrbem protuliſſe; hi igitur fines circiter DCCC ſtadia ab intimo ſinus abſunt, totidemque ſtadia ſunt a Promontorio, quod eſt ante Polam ſitum ad Aconam, Venetico agro ad dexteram relicto. Tota ora Iſtriæ ſtadiorum 1300. ſequitur Iapodum ora ſtadiorum M. ſiti ſunt Iapodes ſub Alpio monte, qui finis eſt Alpium, admodum alto, ac partim ad Pannonios & Iſtrum pertingunt, partim ad Adriam: bellicoſa gens, ſed ab Auguſto Cæſare prorſus defatigata: Vrbes eorum Metulum, Arupinus, Monetium, Vendum, regio eſt inops, Zea fere & Milio victitant: armatura iis Gallica: notis compuncta ſunt corpora in morem reliquorum Illyriorum & Thracum. Poſt Iapodum oram Liburnica ſuccedit, longior priore ſtadiis D. eſt in ea ora fluvius, quo adverſo ſubvehuntur merces uſque ad Vrbem Scardon & Liburna: Iuxta totam quam explicavi oram Inſulæ ſunt Abſyrtides, ubi Medea dicitur fratrem ſuum Abſyrtum interfeciſſe, qui ipſam perſequebatur. Deinceps eſt Cyractica pone Iapodes. Sequuntur Liburnicæ numero 40. tum aliæ, notiſſimæ autem Iſſa, Tragurium ab Iſſenſibus conditum. Pharus quæ olim Parus Pariorum Colonia, patria Demetrii Pharii. Tum ora maritima Dalmatarum, & Navale eorum Salona, eſt hæc gens ex earum numero, quæ diuturnum cum Romanis bellum geſſerunt. Habuit Oppida memoratu digna ad L. de quibus & Vrbes nonnullæ Salona, Priamo, Ninia, Sinotium novum ac vetus, ab Auguſto iſta ſunt combuſta, eſt & Andretium Caſtellum probe munitum, & Dalminium magna Vrbs, unde nomen genti; eam Vrbem Naſica exiguam redegit, agrumque pecori paſcuum ob incolarum avaritiam. Proprium hoc habent Dalmatæ, quod ſingulis octennis agros denuo dividunt, nam quod nulla utuntur, id reſpectu vicinorum Italorum eis eſt peculiare: alioquin id cum multis Barbaris habent commune, quod numismate inter ſe non utuntur. Porro mons, cui nomen Ardium, Dalmatiam mediam ſecat; ut altera ejus pars ad mare ſpectet: altera in diverſum, ſequitur Naro amnis, & qui apud eum ſunt Daorizi, Ardiæi, Plerei, quorum his propinqua eſt Melæna Inſula, Corcyra appellata & Vrbs a Creidiis condita, Ardiæis vicina eſt Pharos, ante Paros dicta: eſt enim a Pariis condita. Veralios autem poſteri dixerunt Ardiæos. Sed hos a mari in mediterranea abegerunt Romani, coegeruntque agriculturæ vacare. Eſt autem regio ea ſterilis atque aſpera, neque agricolis conveniens. Itaque ea gens tantum non funditus periit. Quod quidem aliis quoque in eo tractu gentibus uſu venit: quorum enim ſumma olim fuit potentia, nunc, vel omnino nulli ſunt, vel ad imam redacti conditionem, ut de Gallis Boii & Scordiſci, de Illyriis Autariatæ, Ardiæi, Dardani, de Thracibus Triballi, primum a ſe invicem attriti, deinde a Macedonibus & Romanis prorſus oppreſſi. Poſt Ardiæorum & Pleræorum oram Rhizeorum ſinus & Vrbs, aliaque Oppida, & Drilo fluvius, quo adverſo navigatur Orientem verſus, uſque ad Dardanicam; attingit autem Macedonicas & Pannonicas gentes verſus meridiem, ſicut & Autariatæ & Daſſaretii; aliique populi, aliis partibus ſe & Autariatas attingunt.*

& deſcripta Dardania.

Poſt ſinum Rhizicum Liſſus eſt, & Acroliſſus, & Epidamnus a Corcyræis condita.

inde ad Ceraunios uſque Montes.

Et Montes Ceraunii initium faucium ſinus Ionii & Adriatici. Fauces enim utrique ſunt communes, eoque tantum differunt, quod primæ maris ſeu exteriori parti nomen Ionii tribuitur, Adriæ autem interiori uſque ad intimum ſinus receſſum, quamquam hodie totum mare hoc nomen gerit.

Et relatis de Ionio, & Adriatico antiquorum opinionibus.

Quæ ſupra hanc ſita eſt regio montuoſa eſt, tota frigida, ac nivalis, maximeque ad Septentrionem vergit, ita ut vites raræ ſint, & in editis, & in planis locis. Hæ ſunt Pannonum montanæ Planicies verſus meridiem ad Dalmatas uſque, & Ardiæos pertinentes, verſus ſeptentrionem ad Iſtrum deſinentes, verſus ortum Scordiſcos attingentes ad Montes Macedonum & Thracum. Autariatæ autem maxima fuit, & optima Illyriorum gens, cui quondam contra Ardiæos bellum perpetuum fuit de Sale, qui in confinio coquebatur, ex qua verno tempore, ex quadam convalle defluente hauſta, & per quinque dies repoſita, pactum erat, ut Salina alternis fruerentur vicibus; pactis poſthabitis bellis decernebant; Sed Autariatæ cum Triballos domuiſſent, qui ab Agrianibus uſque ad Iſtrum XV. dierum itineris ſpacium occupabant, ſupra alios etiam Thracas & Illyrios ſeſe extulerunt, ſunt autem potentia ſua exuti prius a Scordiſcis, deinde ab ipſis Romanis, qui Scordiſcos etiam debellarunt, diuturna uſos potentia. & infra. *Quemadmodum autem Illyrici oram deſcribentes, uſque ad Ceraunios Montes progreſſi ſumus, qui extra Illyrici montes ſiti, ſuum tamen proprium habent terminum.* & deſcriptis gentibus intra Dyrrachium, & Ceraunios Montes. *His porro Epirotis admixtæ ſunt Illyricæ gentes,* item, *neque deſunt, qui omne id, quod ad Corcyram uſque eſt regionis, Macedoniam appellant, eam afferentes cauſam, quod & tonſura, & lingua, & chlamyde, aliisque id genus Macedonicis utuntur, nonnulli etiam duplici ſermone.* item, *In vi-*

um incidunt, & qui ab Apollonia, & qui a Dyrrachio proficiſcuntur. Tota hæc via Ignatia vocatur, prima pars ad Candaviam Illyrici Montem per Vrbem Lychnidum, & Pylonem, qui locus in via diſtinguit a Macedonia Illyricum . . . inde Teſſalonicam uſque.

Hæc Strabo partim ſe veteribus Geographis, partim de ſui temporis Illyrico tradit, quod ad quartum annum Tiberii, quo Strabonem ſcripſiſſe conſtat, referendum eſt; & ſicuti cum cæteris convenit a Ceraunîis montibus ad intima uſque ſinus Adriatici Illyricum extenſum fuiſſe, ita fixum aliquem, certumve ejus terminum in intimo ſinus non ponit, & quamvis *primos in Illyrici ora maritima Iſtros conterminos Italiæ & Carnis* ponat, tamen utrum Italiæ an Illyrico tribuerentur Carni, non diſtinxit. Quos antequam Auguſtus rerum potiretur Illyrico tributos, ex Appiano apparet. *Cæſar & Antonius totum Romanum Imperium inter ſe denuo partiti ſunt, feceruntque terminum utriusque ditionis, Codropolim, Oppidum Illyricum, quod videbatur ſitum in intimo ſinu Adriatico;* Codropolim vero in Carnis fuiſſe hodiernum nomen loci fori Iulii Codropio, dicti in ipſius ſinus intimo exiſtentis demonſtrat. Sed cum Gallia Ciſalpina Italiæ tributa fuerit, Carnos quoque (niſi prius) tempore ſaltem Auguſti ſimul cum Iſtria, ut Plinius teſtatur, Italiæ acceſſiſſe oportet, & Imperante Tiberio Occidentalem Illyrici terminum Iſtriam fuiſſe, Orientalem autem, qui ad Montes Ceraunios extendebatur, Strabo ad Ignatiam viam, quæ a Dyrrachio ad Theſſalonicam ducebat, reducit; reliqua vero Macedoniæ tribuere videtur; quod Dion belli Pompeiani tempore cenſitum quoque fuiſſe refert. *Dyrrachium ſitum eſt in terra, quæ Illyriorum quondam Parthinorum erat nunc veluti id quoque temporis pro Macedonia ducitur*, ita ut prope Dyrrachium Orientalem oræ Illyricæ terminum tempore Strabonis fuiſſe, & Iſtriam Occidentalem concludi debeat. His de Illyrici terminis relatis, ſingulos ejus oræ populos deſcribendo, primus Iapodes inter Iſtros & Liburnos poſuit Strabo, deinde Liburnos, Dalmaticam oram, Naronem amnem, & populos Daorizos, Ardiæos, Pleræos, Rhizonicum ſinum, Drilonem fluvium, Liſſum & Acroliſſum, inque Epidamno Illyricæ oræ deſcriptionem terminat, ex quo populos prædictos ſub generali nomine Illyriorum intellexiſſe Strabonem oportet, quamvis id non exprimat.

Civ. 5.

Lib. 3. c. 5. & 19.

Lib. 41.

Proximus Straboni Pomponius Mela de Illyrico lib. 2. cap. 3.

Deinde Ceraunii montes, ab iis flexus in Adriam. Hoc mare magno ſeceſſu littorum acceptum, & vaſte quidem in latitudinem patens, qua penetrat tamen vaſtius, Illyricis usque Tegeſtum, *cætera Gallicis, Italicisque gentibus cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima ejus tenent, ſequentia* paulatim *Enchelæ, Pheaces; deinde ſunt quos proprie Illyricos vocant. Tum Pyrei, & Liburni, & Iſtria. Vrbium prima eſt Oricum, ſecunda Dyrrachium, Epidamnos ante erat. Romani nomen mutavere, quia velut in damnum ituris omen id viſum eſt. Vltra ſunt Apollonia, Salona, Iadera, Narona, Tragurium, ſinus Polaticus, & Pola quondam a Colchis (ut ferunt) habitata, (in quantum res tranſeunt) nunc Romana Colonia, Amnes autem Aeas, & Nar, & Danubius, qui jam dictus eſt Iſter, ſed Aeas ſecundum Apoloniam, Nar inter Pyreos, & Liburnos, per Iſtros, iſter emittitur.* Tergeſtum *intimo in ſinu Adriæ ſitum finit Illyricum.*

Taulantii.

Tergeſte.

Ex Danubio.

Tergeſtæ.

& cap. 7. de Inſulis.

In Adria Abſoros, Celaduſæ, Abſyrtis, *Iſſa*, Trucones, *Hydria, Electridas, Corcyra, Tragurium, Diomedia, Aeſtria, Aſine, atque ut Alexandriæ, ita Brunduſio adjacens Pharos.* ex quibus, Melam auctores Strabone antiquiores, ſecutum conſtat, cum hinc Iſtros, inde Macedonas in Illyrico includat, qui Strabonis tempore excludebantur, neque Japodes, & Dalmatas nominat, ſed univerſam Illyricam oram a Strabone deſcriptam in Iſtriam, Liburniam, Pirrheam, & Illyricum diſtinguat, Virgilium, & Livium imitatus. Melam ſequitur Plinius lib. 3. cap. 21.

Abſoros. Dyſcelados. Abſyrtis. Pityſa vel Tituna. Saſon.

Illyricum

Arſiæ gens Liburnorum jungitur uſque ad flumen Titium; Pars ejus fuere Mentores, Hymani, Encheleæ, Dudini, & quos Callimachus Peucetias appellat: nunc totum uno nomine Illyricum vocatur generatim, populorum pauca effatu digna, aut facilia nomina; conventum Scardonitanum petunt Iapodes, & Liburnorum Civitates 14, e quibus Lacinienſes, Stulpinos, Burniſtas, Albonenſes nominare non pigeat. Ius Italicum habent eo Conventu Alutæ, Flanates, a quibus ſinus nominatur, Lopſi, Varubarini, immunesque Aſſeſiates, & ex Inſulis Tulſinates Carietæ: cæterum per oram oppida a Neſactio Alvona, Flavona, Tarſatica, Senia, Lopſica, Ortopula Vegium, Argiruntum, Corinium, Enona Civitas, Pauſinus, flumen Tedanium, quo finitur Iapidia; Inſulæ ejus ſinus cum oppidis præter ſupra ſignificatas Abſirtium, Arba, Tragurium, Iſſa, Pharus, Paros ante, Crexa, Giſſa, Portunata, rurſus in continenti Colonia, Iadera, quæ a Pola 160. m. P. abeſt inde 30. M. colentum Inſula 18. oſtium Titii fluminis.

Et Liburnia.

Cap. 22. Liburnia.

Liburniæ finis, & initium Dalmatiæ Scardona in Amne eo XII. M. P. a mari dein Tariotarum *antiqua regio & caſtellum* Tariona, *promontorium Diomedis, vel ut alii peninſula Hyllis circuitu C. M. P. Tragurium, Civium Romanorum marmore notum. Sicum in quem locum D. Claudius Veteranos miſit, Salona, Colonia ab Iadera 222. M. P. petunt in eam jura deſcripti in Decurias. 372. Dalmatæ 22. Devoni 239. Ditiones 69 Mezei 52. Sardiates; in hoc tractu ſunt Mandetrium, Tribulium, nobilitata populi Romani præliis Caſtella. petunt & ex Inſulis Iſſei, Colentini, Separi, Epetini. Ab his caſtella Piguntiæ Rataneum, Narona Colonia tertii conventus*

Dalmatia. Autariatarum. Tarona.

ventus a Salona 72. M. P. appoſita cognominis fluvio a mari 20. M. P. M. Varro 89. Civitates eo ventitaſſe auctor eſt. Nunc ſoli prope noſcuntur Ceraunii decuriis 24, Daorizi 17. Deſitiates 103. Docleatæ 33. Deretini 14. Deremiſtæ 30. Dindari 33. Glonditiones 44. Melcomanni 25. Nareſii 102. Scirtari 72. Siculotæ 14. populatoresque quondam Italiæ, Vardei non amplius quam 20. decuriis: præter hos tenuere tractum eum Oenei, Partheni, Hematini, Architæ, Armiſtæ. A Narone amne C. M. P. abeſt Epidaurum Colonia, oppida Civium Romanorum Rhizinum, Aſcrivium, Butua, Olchinium, quod antea Colchinium dictum eſt a Colchis conditum: amnis Drilo ſuperque eum Oppidum Civium Romanorum Scodra a mari 18. M. P. Præterea multorum Græciæ Oppidorum deficiens memoria, nec non & Civitatum validarum. Eo namque tractu Labeatæ, Enderudini, Saſſei, Grabei proprieque dicti Illyrii & Taulantii, & Pyrei, retinet nomen in ora Nymphæum, Promontorium, Liſſum Oppidum Civium Romanorum ab Epidauro C. M. P.

Cap. 23. Macedonia,
A Liſſo Macedonia Provincia.
& Cap. 26. De Inſulis Adriaticis.

Illyrici ora mille amplius inſulis frequentatur natura vadoſi maris extuariisque tenui alveo intercurſantibus. Claræ ante oſtia Timavi calidorum fontium cum æſtu maris creſcentium juxta Iſtrorum agrum. Ciſſa, Pullariæ, & Abſyrtides Graiis dictæ a fratre Medææ ibi interfecto Abſyrto. Juxta eas Electritas vocavere, in quibus proveniret ſuccinum, quod illi electrum appellant, vanitatis Græcæ certiſſimum documentum: adeo ut quos earum deſignent, haud unquam conſtiterit. Contra Iader eſt *Liſſa quæque* appellatæ contra Liburnos *Creteæ*, aliquot, nec pauciores Liburnicæ, Celaduſtæ: Contra Surium, *bubus*, & capris laudata Brattia, Iſſa Civium Romanorum *reliqua*, & cum oppido Pharia. Ab his Corcyra, Melæna cognominata cum Gnidiorum oppido diſtat 22. M. P. inter quam, & Illyricum Melita, unde catulos Melitæos appellari Callimachus auctor eſt 12. M. P. ab ea tres Elaphites. In Ionio autem mari ab Orico M. M. P. Saſonis piratica ſtatione nota. Animadvertendum eſt primo titulos capitum non ſuo loco poſitos fuiſſe, nam c. 21. quamvis de Illyrico generatim aliqua, ſed mutila referantur, tamen Liburniæ fines, & loca deſcribuntur, ideo Liburnia ex cap. ſequenti ibi transferri debet cap. vero 22. quod Dalmatiæ tantum loca continet (ut conferre volenti patebit) Dalmatia præponi: deinde obſervandum eſt, quamvis ſupra relata Plinii loca exſcripta ſint ex textu a Delicampio recognito cæteris impreſſis correctiori; tamen extat in Bibliotheca Vaticana manuſcriptus Plinii Codex membranaceus n. 1951. qui quamvis erroribus non vacet, præſertim in diſtantiis locorum, tamen aliqua habet, quæ reſtitutioni textus mirabiliter conferunt; nam quæ capiti 21. inſeruntur, *Trag. Iſſa, Pharos, Paros ante*, manuſcriptus non habet, neque eo loci poni debent, cum Tragurium cap. ſequenti inter Civitates Dilmatiæ recte numeret Plinius, ut Pintianus animadvertit infra referendus; Iſſam autem & Pharum inter inſulas Adriaticas cap. 26. ponat: ideo hæc nomina uti ſuperflua omittenda ſunt cap. 22. *dein Tariatarum antiqua regio, & caſtellum Tariona*, cum de Tariotis neque Strabo, neque quisquam auctorum mentionem faciat, manuſcriptus autem habeat, *Aut ariatarum antiqua regio, & Caſtellum Tarona*. Hæ duæ dictiones *Aut ariatarum*, ex Scriptoris incuria disjunctæ pro nomine proprio Autariatarum accipiendæ ſunt, (ut ex primo elemento A majusculo dictionis *aut* dignoſcitur) & conjunctæ pro antiquiſſima gente Illyrica, & regione *Autariatarum* ſumendæ, quorum Strabo, & plures alii auctores mentionem faciunt, ut ſuo loco conſiderabitur, & *Tarona* vel potius Natona pro Tariona reſtitui.

Liſſacæ. *Graræ.* *Trucones.* *Bubuæ.* *Leucopetra ſalis.*

In capite autem 26 major diverſitas inter manuſcriptos Codices, & impreſſum perſpicitur, nam Vaticanus pro *Liſſa quoque* habet *Liſſace*, & pro *Creteæ*, *Graræ*, & inter *nec pauciores Liburnicæ*, ponit *Trucones*. Ferdinandus autem Pintianus in obſervationibus Plinianis Archietypon ſuum, *nec non Trucones Liburnicæ* habere, Salmanticenſe vero exemplar cum excuſo concordare ſcribit: Mela tamen docet, Trucones ponendas, cum easdem inter Adriaticas inſulas memoret: dictio vero *Liburnicæ* ſuperabundare videtur, vel loco alterius nominis proprii inſulæ poſita: ſequitur contra Surium bubua, & capris laudata Bratia: *Iſſa Civium Romanorum reliqua & cum Oppido Pharia*. Vaticanus autem *contra Surium bubua, & capris laudata Bratiaſa Civium Romanorum & cum Oppido Pharia*. Pintianus hic in notis contra Surium Bubus. Codex Salmanticenſis *contra Surium Bauo*, Toletanus *Boua*, ut ſit proprium nomen inſulæ *Bauo* ſeu *Boua*, quid ſi legas non *intra Surium*, ſed *inde* vel *item Tragurium*, nam Tragurium in hoc ſinu, Ptolomæus, Strabo, Pomponius celebrant: Superius quidem facta eſt mentio Tragurii, ſed falſo illic reddita creditur Romana exemplaria *Banode contra Surium*, ut forte ſcribendum ſit *Bano, Decon, Tragurium*, nam *contra Surium* quid ſit, ego etiam cum Hermolao neſcire me fateor. Cum Pintiano fatendum eſt, textum eſſe corruptum, & cum, ex caprarum abundantia, hodie quoque Bracchiam laudari, bubus autem carere conſtet, pro *Bubus*, reponi debet ex Vaticano bubua vel prout hodie vocatur *Bua*, Ammiani *Boas*, quæ Civitati Tragurii ponte jungitur, & ſicuti dictionem *Bratiaſa* Vaticani male exſcriptam pro *Bratia Iſſa* ſumendam

facile ſuaderi poteſt, ita in impreſſo *reliqua* (niſi ſit nomen proprium alicujus inſulæ, ſed male ſcriptum) ſuperabundare videtur: ſed ſi verba *contra Surium* mutanda eſſent, ut vult Pintianus (cum revera quid ſignificent non conſtet) quamvis Tragurium inter inſulas ponant, Mela, & Ptolomæus, & de Inſula a proxima Civitate ſic dicta intelligi debeant, tamen quia Bubuæ, vel Buæ (quamplures exemplares Plinii memorant) non relinqueretur locus; ideo potius eadem verba accipienda ſunt pro nominibus propriis inſularum, quæ a promontorio Diomedis Orientem verſus protenduntur, & ex Scylace ſupplenda ſic. Proteras, Solentum, Bubua, Bracchia &c. ut infra expendetur. Addenda quoque ſunt ante Corcyram ex Vaticano nomina Inſularum *Leucopetra*, & *Salle*.

Plinium ſequitur accuratiſſimus Geographorum Claudius Ptolomæus, qui Tabula Europæ Quinta Illyricum per dimenſiones certas latitudinum, & longitudinum, cælo reſpondentes, deſcripſit, & loca finesque regionum ita ordinavit, ut ex ſimplici ejusdem inſpectione omnia appareant, quæ alias etiam longa oratione difficile explicarentur, ideo omiſſis, quæ de tabulæ conſtructione tradit regionum, & locorum deſcriptionem pro tabulæ intelligentia ponere placuit. lib. 2. cap. 17. *Poſt Iſtriam Italiæ, reliqua Liburniæ quæ in Illyride eſt maritima, ſequitur ora Alvona, Flanona, Tarſatica, Oenei flum: Oſtia, Velcera, Senia, Lopſica, Tedanii flum: Oſtia, Ortopola, Vegia, Argiruntum, Corinium, Enona, Iadera Colonia, Titi fluminis Oſtia, Scardona. Dalmatiæ autem Civitates juxta littus Sicum, Salonæ Colonia, Epetium, Peguntium, Oneum, Naronis fluminis Oſtia, Riſinum, Epidaurus, Aſcrivium, Rhizonicus ſinus, Bulua, Ulcinium, Drilonis fluminis Oſtia Liſſus; fluit autem Drilon fluvius a monte Scardo, & ab altero Monte ſito, juxta medium ſuperioris Miſyæ; Ab eodem etiam alius amnis defluit Drinus nomine, qui in Saum flumen exit, ab Occidentali parte Tauruni Civitatis. Tenent autem Provinciam, qui Iſtriæ hærent lapides, ſupra vero Liburniam magis Occidentales Mazei, poſt Derriopes, & Derii ſupra Deriopes, Dindarii ſupra quos Ditiones, ſupra autem Derios Ceraunii, interiora autem Dalmatiæ tenent Daurſii, ſupra quos Comenii, & Vardei ſupra hos Narenſi, & Sardiotæ, & iterum ſupra hos Siculotæ, Docleatæ, & Piruſtæ, & Scirtones verſus Macedoniam. Civitates autem mediterraneæ Liburnorum hæ ſunt: Tediaſtum, Arucia, Ardetium, Stlupi, Curcum, Auſancali, Varvaria, Salvia, Adra, Arauzona, Aſiſia Burnam, Sidrona, Blanona, Cuporum, Nedinum. Dalmatiæ Civitates mediterraneæ Andecrium Aleta, Nerona, Delminium, Equum Colonia, Saloniana, Narbona Colonia, Enderum, Chinna, Doclea, Rizana, Scodra, Termidana, Siparuntum, Epicaria, Eiminacium, Inſulæ autem adjacent Liburniæ, Abſorus, in qua Civitates duæ, Crepſa, Abſorus, & Curicta, in qua Civitates etiam duæ Tulſinium, Curicum, & Scardona Inſula, in qua Civitates duæ Arba, Colentum: Inſulæ vero adjacent Dalmatiæ Iſſa Inſula, & Civitas, Tragurium Inſula, & Civitas, Corcyra nigra, Melitinæ.*

Diverſitas inter Melam, Plinium, & Ptolomæum, obſervanda eſt, nam quam partem Illyrici Strabo in Iapidiam, & Liburniam diſtinguit; Plinius & Ptolomæus Liburniæ ſoli adſcribunt, ac Iapidiæ tamquam partis Liburniæ mentionem faciunt. Poſt Liburniam Dalmaticam oram Strabo ponit, quam quamvis Naronam usque extendere videatur, cum tamen inter reliquos Illyrici populos, Ardiæos, contra Pharum ſitos nominet, hos citra Naronem fuiſſe oportet, ideo hanc Ardiæorum oram Dalmatiæ detrahere, & cum cæteris nominatis reliquis Illyriis tribuere videtur, quos Plinius, & Ptolomæus Dalmatiæ adſcribunt, inter quos Illyrios proprie dictos, Plinius memorat; Mela vero, ſicuti Dalmatiam non nominat, ita Strabonis Dalmaticam oram cum Ardiæis, Naronem uſque in Liburnia includit. Inſulas quoque recenſens Strabo, Iapidicas nominat, Liburnicas vero 40: numero ſine nomine ponit, quibus notiſſimas Iſſam, Tragurium, & Pharum addit, ſed cujusnam regionis, populive fuerint, reticet: has autem Plinius inter Liburnicas numerat, Ptolomæus vero Dalmatiæ adſcribit, ſimul cum Corcyra nigra, & Melitine. Pro quibus concordandis, temporum ratio adhibenda eſt. Mela etenim antiquiora Strabone tempora refert, Strabo autem plura ab antiquis ſumens, Dalmatiæ fines ſui temporis ponere omiſit: Plinius vero licet brevitatis ſtudio quædam confundat, majorem locorum diſtinctionem præbet; Ptolomæus denique ſicuti poſterior, & in Romanæ Monarchiæ apice conſtitutus, quando ſcilicet jam omnia explorata, & dimenſa reperiebantur, ita cæteris quoque accuratior, ordinate, & diſtincte loca, & regiones diſtinguit.

Quibus diverſitatibus, pro ſcriptorum intelligentia, obſervatis, concludendum eſt, Illyricam oram Ptolomæi, ſive Monarchiæ Romanæ tempore, ab Iſtria, ſive ab Arſia flumine, ad terminum a Scardo monte provenientem, & inter Liſſum, & Epidamnum in mare terminantem, extenſam fuiſſe, & in Liburniam, ac Dalmatiam diſtinctam.

CAPUT

CAPUT III.

De Finibus Illyrici, regionumque ejus nominibus mutatis, vel obsoletis.

ILlyrici antiqui fines a Cerauniis montibus initium sumpsisse, ab Oriente Macedonas, ab Occidente vero Liburnos conterminos habuisse supra relatum est, a Septentrione vero Pannonas, ut infra dicetur; in quo terrarum tractu plurima populorum, regionumque nomina mutata, vel coarctata fuerunt: pro quorum intelligentia tres tabulæ exhibentur, in quibus conficiendis, sicuti multæ difficultates occurrerunt; ita quis non credat, regionum nomina determinatis, certisque finibus circumscripta, sed tantummodo descripta ea, quæ ex penuria auctorum conjecturis elici potuerunt, ut ex tabularum inspectione diversitas Regionum, nominumque ob oculos poneretur: & exinde auctorum loca relata intelligibilia evaderent, ut cuilibet conferre volenti patebit. Prima enim tabula Illyricum antiquum ante Romanorum adventum exhibet; Secunda ejusdem extensionem, usque ad Augusti tempora declarat. Tertia vero Monarchiæ tempus usque ad Imperii divisionem præbet: ex quibus per temporum successiones diversitas Illyrici, regionumque ejus perspicitur. Illyrici antiqui loca, populosque oræ maritimæ Scylax describit, de quibus capite sequenti: ex mediterraneis autem duos tantum populos nominat, scilicet Auteriatas, & Atintanas, hosque a Dyrrachio, usque ad Ceraunios montes supra omnes populos ab ipso nominatos collocat; illos autem attingere lacum, ex quo Naro fluit, scribit; sed sicuti Atintanorum situs etiam ex relatis Polybii, Appiani, & Strabonis locis percipitur, ita Autariatarum regio, quousque extenderetur, neque Scylax, nec quisquam alius auctorum tradit, quædam tantum Strabo, & Appianus referunt, quæ expendenda sunt, ut antiquissimæ Autariatarum regionis fines indagari possint. Autariatæ maxima, & optima Illyriorum gens, Triballos domuit, & simul cum Dardanis, Bessos, Emum montem incolentes, conterminos habuit, ut ex antiquis auctoribus refert Strabo; idcirco ultra Scodrum, sive Scardum montem fines eorum antiquos ab Oriente extensos fuisse necesse est, a meridie vero mare attigisse testatur Appianus. *Ardiæi cum maris finitimi optima Autariorum loca circa littus invasissent, eos expulere. Post hos Liburni navibus plurimum insignes.* Ab Occidente autem quousque extenderetur, nemo auctorum refert; sed cum Plinius antiqua populorum nomina referre solitus, antiquissimam Autariatarum regionem post Scardonam ponat; ideo Titius fluvius pro Occidentali Autariatarum termino poni potest; quorum regionis amplitudinem Strabo significare videtur, cum multos populos Autariatas attingere referat: descripto enim Drinonis fluxu ait: *attingit autem Macedonicas, & Pannonicas gentes versus meridiem, sicuti & Autariatæ, & Dassaretii, aliique populi aliis partibus se, & Autariatas attingunt.* Sed quonam tempore res eorum floruerint, nemo memorat: id tamen ante tempora a Scylace relata evenisse oportet; Cum longe a mari ipsos collocet, ideo tunc temporis loca maritima jam Autariatas amisisse dicendum videtur; Sed si ex relatis Appiani verbis de Autariatarum locis maritimis ab Ardiæis occupatis, tempora scrutari liceret, ante Liburnorum potentiam id evenisse dicendum esset, at cum neque Scylax, neque Poetæ Argonautarum iter per Illyricum sinum describentes, Ardiæorum mentionem faciant; ideo hæc ad antiquissima tempora ante bellum Trojanum referri deberent, quæ inter inexplorata relinquenda sunt, & tantum Autariatas antiquissimam Illyricam gentem, ejusdem majorem partem tenuisse, rebusque eorum florentibus, ultra montes fines habuisse dicendum est. Hos simul cum Cimbris ad Delphos castra posuisse, refert Appianus. *Fama est, Autarios Apollinis indignatione in extremam decidisse cladem, quippe eosdem, Celtasque quos Cimbros vocant, ad Delphos posuisse Castra, statimque omnes dispersos aufugisse; multos ante inceptam pugnam pluvia in eos cum procellis, fulguribusque desæviente. His vero, qui ad propria rediissent, infinitam ranarum vim subortam, quæ putrescentes flumina corruperunt. Vapore deinde ex terra exhalante pestem Illyriorum, ac insecutam corruptionem, quæ potissimum Autarios invaderet; Donec profugi a Patria, ac pestem deferentes, cum nemo ob timorem suscipere auderet, 23. dierum progressi iter, ad Tellurem paludstrem, inhospitamque venere, & juxta Basternarum gentem condidere Urbes.* Hæc Appianus, more suo fabulis proxima, ex aliquo antiquo auctore; certiora autem Diodorus lib. 3. *Qui Autariatæ nominantur, hos ranæ in nubibus cretæ, & pro usitatis delapsæ guttis patriam deserere, & in locum, ubi nunc sedes habent, profugere compulerunt*, quem exscribit Ælianus de Animalibus l. 17. c. 41. *Quæ Animalia sedibus homines expulerunt: Autariatæ* Indi, *plurimis ranis inchoatis, & imperfectis de Cælo lapsis, in alium locum migrare coacti sunt.* Hic *Indi* perperam pro *Illyriis* positum apparet, pro ut etiam Epitomatoris Stephani, qui Autariatas gentem Thesproticam, pro Illyrica, ponit, ut Casaubonus in notis ad Strabonem animadvertit. Hos a Scordiscis Gallis potentia exutos refert Strabo, modum autem Polyænus stratagematum lib. 7. cap. 49. tradit. *Galli expeditionem adversus Autariatas susceperunt, cum diu bellum duceretur, Celtæ cibaria, & vinum herbis venenosis inficiunt,*

Illyrii.

Supra c. 2.

& ipſi noctu relictis Caſtris, fugam capeſſunt. Autariatæ credentes eos metu profugiſſe caſtra invadunt, & vino, cibariisque largiter fruuntur, ſtatimque immoderato ventris profluvio prolabuntur. Celtæ ſupervenerunt ac proſtratos occiderunt. Autariatæ ergo a Scordiſcis debellati, ſimul cum Dominio ſenſim nomen quoque amittebant; & exinde montes ipſorum partim a Scordiſcis, partim a Pannonibus occupatos, nomen ab eisdem ſumpſiſſe conjectari poteſt: adhuc tamen tempore quo Alexander Magnus victor de Getis revertebatur a Danubio, nomen ſervabant, & cum cæteris Illyriis ſe eidem oppoſuiſſe, tamen ob eorum imbecillitatem cum *minus enim bello, quam cæteras ejus regionis gentes (Autariatas) valere*, ſcribat Arrianus lib. 1. ab Agrianis quoque facile repreſſos refert: Autariatæ quoque inter Lyſimachi milites
Lib. 20. recenſentur a Diodoro, & Polyæno;
L. 4. c. 11. & tandem a Romanis, non proprio, ſed Dalmatarum nomine ſubacti fuerunt, quamvis Strabo, antiquis Scriptorum nominibus uſus Autariatas a Romanis tandem oppreſſos ſcribat.

Ardiæos deinde Autariatis ſucceſſiſſe, arguunt ab Appiano relata de locis eorum maritimis ab Ardiæis occupatis & a Strabone de bello ſalis cauſa geſto: cum inter populos, quorum ſumma olim fuit in Illyrico potentia, poſt Autariatas immediate Ardiæos ponat. *De Illyricis, Autariatæ, Ardiæi, Dardani*, ſed quando res eorum floruerint, quive fines regionum fuerint, nemo refert; idcirco ea pauca, quæ de eisdem reperiuntur, expendenda ſunt, ut fines eorum conjici poſſint: refert etenim Polybius loco ſupra citato, Romanos liberatos ab Illyriorum jugo, vel moleſtiis Corcyræis, Appolloniatibus, & Dyrrachinis, ulterius in Illyricum progreſſos. *Subactis obiter Ardiæis adfuere mox plures legationes aliorum populorum, & in his etiam Parthinorum, nec non Atintanum, qui omnes cum ſe fidei Romanorum permitterent, ſunt in amicitiam recepti: ita ventum ad Iſſam.* Hic animadvertendum eſt, verſionem Caſauboni, textui græco omnino non congruere, nam ubi græce (ἅμα κατασφαλέντες *ſimul* dicitur, *obiter* ipſe vertit, ita, ut facile ſubactos Ardiæos innuere videatur, quos integris viribus terra, marique diu oppugnatos, prorſusque ſubverſos, non leviter ſubactos, ſignificare videtur Polybius, cum non ſolum milites multos, ſed etiam Tribunorum aliquos, & Quæſtorem in expugnatione Oppidorum & præſertim Nutriæ a Romanis amiſſos ſubdat; Simili modo verbum *ventum* ad Iſſam, nam Polybius non ad Iſſam appulſum, ſed iter directum Iſſam verſus ſcribit (προὔτεινον ὡς ἐπὶ τὴν Ἶσσαν) ut Nicolaus Perottus prior interpres verterat; ex quibus apparet, Ardiæos loca maritima poſſediſſe a Dyrrachio Iſſam verſus. Quod autem Ardiæi principale nomen inter Illyrici Regni populos haberent, argumentum ſumi poteſt ex dictis Polybii verbis, nam Parthini, quamvis Dyrrachio proximi, & Atintanes ſupra eosdem, & Appolloniatas exiſtentes, Romanis ad eorum loca delatis rebus Ardiæorum integris, ſe movere auſi non ſunt: ſed his debellatis quamquam Romani ab eorum finibus jam receſſiſſent, tamen eis ſe dediderunt, ut evenire ſolet, quando præcipua alicujus Provinciæ regio, & loca tutiora capta ſunt, cæteri ſaluti ſuæ conſulant: Itaque tunc temporis Ardiæorum regio præcipua Illyrici fuit, de qua Strabo pluribus in locis mentionem facit. *Ardiæis vicina eſt Pharos* ſcilicet Inſula, & deinde *poſt Ardiæorum oram Rizeorum ſinus, & Urbs*, ex quo, Ardiæorum oram a viciniis Inſulæ Phariusque ad Rizonicum ſinum extenſam fuiſſe conſtat: Ad cum idem paulo ſupra referat, *Pertingit Pannonia etiam uſque ad Dalmatium, & fere Sardiæos verſus meridiem ſi proficiſcatur. Quidquid autem regionis ab intimo Adriæ ſinu, usque ad Sardiæos & Rizonium ſinum protenditur, montoſum eſt interpoſitum mari, & Pannonibus.* & infra dicat. *Hæ ſunt Pannonum montanæ Planicies, verſus meridiem ad Dalmatas usque & Ardiæos pertinentes, verſus Septentrionem ad Iſtrum deſinentes, verſus Ortum Scordiſcos attingentes ad montes Macedonum & Thracum.* Ideo merito ſuſpicatur Caſaubonus ſuperabundare in verbis Sardiæos litteram. S. & Ardiæos ibi quoque legi debere, quod etiam ex ſupra relatis ejusdem Strabonis verbis proximos Rizonico ſinui Ardiæos ſtatuentis, confirmatur, quod ſi eandem litteram ſuperabundare quis diceret in relato Dionis fragmento, referentis *Sardiæos* circa Brunduſium mare infeſtaſſe, & Teutham *Sardiæs* imperaſſe, Illyrios Polybii eosdem cum Ardiæis Dionis, ponere poſſet, quod quodammodo ex Strabone elici poſſe videtur, qui relatis Peſſorum in monte Æmo habitationibus ſubdit: *inter hos & Ardiæos Daſſaretii ſunt, & Hybrianes, aliæque obſcuræ Gentes, quas Scordiſci infeſtaverunt, donec tandem regionem eam cultoribus vacuam redegerunt, feceruntque ut inviæ eſſent ſylvæ per aliquot dierum itineris ſpatium.* Daſſaretas autem circa Lacum Lichnytem & Drinonis fluentia intra Scodri montis juga habitaſſe Livius teſtatur: ideo ſi Ardiæi Daſſaretiis contermini fuerunt, ultra Rizonicum ſinum Drinonem verſus regionem eorum extenſam fuiſſe, & Strabonem diverſa tempora reſpexiſſe, dicendum ſit, quando ſcilicet Ardiæorum nomen florebat, regionem ipſorum Drinum uſque extenſam fuiſſe, quod cum relatis Polybii verbis congruere videtur. Illyrios vero a quibus Polybius mercatores Italicos vexatos ſcripſit, Dion Ardiæos nominavit, & prout in fragmento Dionis abundat littera S. ita apud Florum quoque littera V. relato loco. *Fulvius Flac-*

cus

eus cons. Vardeos in Illyrico subegit, ut ex verbis Appiani eodem quinto bello relatis patet; similiter apud Plinium loco relato. *populatores quondam Italiæ Vardei* pro *Ardiæi* positum, florente scilicet Ardiæorum summa potentia, majorem Illyrici Regni partem possidentes, promiscuum, cum Illyriis nomen Ardiæos habuisse, & in mediterraneis usque ad Pannonas regionem eorum protensam fuisse, ex supra dictis Strabonis locis elicitur, cum idem regionem quoque Ardiam ab Ardiæis denominare videatur: recensens enim loca inter montem Æmum, & mare Adriaticum sita ait: *ad vero Adriam tota pene est Ardia, & media Pannonia, ipsa quoque sublimis tota.* ita inter Pannoniam & Adriaticum, Ardiam statuens Strabo, de ea parte Illyrici locutus videtur, quam florentibus rebus Ardiæi possederunt, sed successu temporum, cum eorum nomen simul cum regione diminueretur a Rizonico sinu usque ad vicina Pharo loca primo restrictum fuit, deinde citra Naronem: nam quando Gentio vltimo Illyrici Rege se dedente, Romani Regnum Illyricum in Provinciam redegerunt; inter populos a Livio numeratos, Ardiæi non nominantur, ob id tunc ad eam tantum regionem, quæ citra Naronem contra Pharum sita est, restrictos fuisse argui potest, & Dalmatis qui a Gentio defecerant jam adhæsisse, ex qua tandem ob Piraticam a Romanis in mediterranea translati, & in varias partes distributi, agriculturæ vacare coacti nomen amisere, loco quorum succedere Varalii, ut idem Strabo refert, sed Varalios antiquo nomine Ardiæorum nominavit, prout etiam supra Autariatas a Romanis oppressos scripsit. Hæc de Autariatis, & ipsorum loco succedentibus Ardiæis occidentalem, & majorem partem Illyrici incolentibus, donec a Romanis subacti fuerunt, reperire licuit; Atintanes autem cæterique populi inter Drinum & Ceraunios montes siti, Teuthæ adempti, inter Demetrium Pharium ac Romanos divisi fuerunt; mox Demetrio ejecto, Pleurato Lingus, & Parthini dati, deinde Atintanes consentientibus Romanis Philippo Macedonum Regi accessere, ex quo, & exinde secutis inter Romanos & Macedonas bellis, ea pars Orientalis Illyrici in Macedonum nomen transiit, Epirusque nova nuncupari cœpit, & a Cerauniis montibus ad Drilonem flumen fines Orientales Illyrici reducti fuerunt, ut capite præcedenti relatum est, & in secunda tabula apparent, Regnum nempe Illyricum, prout reperiebatur tempore Regis Agronis & Teuthæ, quando Romani prima vice transfretarunt, Illyricique, ex occidentali parte, usque ad Carnos dilatatio, simulque nomina locorum, prout ponuntur a relatis auctoribus bella in Illyrico per Romanos gesta, usque ad Augustum referentibus: ex nominum enim collatione situumque dispositione res ab eisdem relatæ, facilius percipiuntur. Tertia autem tabula Illyrici coarctationes ex parte Orientali prope tempora Augusti, & ab eodemmet Augusto ex parte Occidentali factas, Dalmatiæque dilatationem: eademque fere est cum tabula Ptolemaica; sed continet tantummodo ea locorum nomina, quorum situs citra controversiam exploratus habetur, ex quibus tabulis regionum nomina antiqua, obsoleta, mutata, vel coarctata per temporum successiones apparent: Semper tamen inter mare & Pannonas Illyricum interpositum fuisse, ex supradictis constat, & Strabo loco supra citato confirmat, idem fere etiam Plinius & Ptolomæus; At prout ante Strabonis tempora montes ex quibus prospectus in Adriaticum ipsasque montanas Planicies Pannones possederunt, ita tempore Strabonis ex parte ab eisdem retrocesserant: Nam *Ardium montem Dalmatiam ita secare*, scripsit Strabo, *ut altera ejus pars ad mare spectet, altera in diversum*, quod de monte ab Ardiæis denominato, & Pannonibus olim finitimo intelligi debet: ex tabulis enim Ptolomæi, clare perspicitur, Pannones a Dalmatis recessisse ad Savum, Dalmatiamque Savum usque dilatatam fuisse: quod sicuti ultimo bello tempore Augusti eveniisse, conjectari potest; ita hic Strabonem antiquos Illyrici fines referentem, terminos sui temporis describere, omisisse censendum est; nisi, eum sibi ipsi contradixisse, concedi velit, & cum Piruastas quoque & Mazeos Pannoniis adscribat, quos intra Illyrici fines ponit Ptolomæus, ideo post Strabonem Pannonias ab Illyrico magis restrictas perspicitur.

His de Illyrici finibus, regionumque nominum diversitate, usque ad Monarchiæ Romanæ tempora observatis: cum Mela & Plinius Illyricum proprium memorent, non inutile erit indagare, quænam pars ejusdem, hoc nomine nuncupata fuerit. A Cerauniis Montibus usque Illyricum protendit Mela, populosque ejus recensens, ait: *Parthini & Dassaretæ, prima ejus tenent, sequuntur* paulatim *Encheleæ, Phæaces deinde sunt, quos proprie Illyrios vocant, tum Pyrei, Liburni & Istria.* & infra. *Nar inter Pyreos & Liburnos emittitur.* Pyreos proximos Naroni flumini ponere videtur, eosdemque esse cum Plinii & Appiani Palariis, ac Strabonis Pleræis ipsos in peninsula contra Melitam situantis, dignoscitur: exinde regionem aliquam ultra Naronem, Taulantiis, Encheleis, Phæacibus & Illyriis propriis Melam tribuere patet, quod ex Plinio clarius perspicitur, qui c. 22. eadem loca describens, ait: *eo namque tractu fuere Enderundini, Iassei, Grabei, propriique dicti Illyrii, & Taulantii, & Pirei.* & infra. c. 26. in fine: *ab his Corcyra Melena cognominata, cum Gnidiorum Oppida distat* 22. *m. p.* *Taulantii.*

m. p. inter quam & Illyricum Melitæ. Illyricum nempe proprium, ultra Melitam esse Drinum versus indicat Plinius, quamvis ordine inverso Pyreos (quos ante Illyrios proprios ponere debebat,) post Taulantios ponat, ipsosque Taulantios, citra Drinum situare videatur, qui ultra eumdem incoluerunt; Illyricum ergo proprium inter Naronem & Drinum situm fuit. Melam vero, qui antiqua Phæacum, & Encheleænsium nomina obsoleta addidit, potius ad antiquas fabulas respexisse, quam situm eorumdem indicare voluisse; censeri debet; nam Phæaces Insulam Scheriam incoluisse, *Odyss. l. 6.* Homerus memorat, quam deinde Corcyram denominatam testatur Strabo; nisi quis Dyrrachinos uti Corcyræorum Colonos, pro Phæacibus accipere velit.

Encheleas autem esse antiquum nomen obsoletum regionis ejusdem, quam Plinius & Mela Illyricum proprium vocant, ex eo dignoscitur, cum supra relatus Schimnus referat, Encheleis imperasse Cadmum, ejusque posteros Strabo. *Enchelei regebantur a Cadmi & Harmoniæ posteris, ibique ea commonstrantur, quæ fabulæ de iis prodiderunt.* Encheleas vero fuisse gentem Illyricam, testatur Stephanus, eosdemque pro ea parte Illyrici, quæ inter Naronem & Drinum sita est, sumit Scylax, & sicuti populos Illyrici a Drino flumine, Ceraunios montes usque, propriis regionum nominibus Romani in sui potestatem redegerunt, scilicer Atintanum, Parthinorum, & citra Naronem Dalmatarum ita quando Gentius Regno exutus fuit, Illyricum Regnum intra Naronem & Drinum coarctatum erat, (ut ex nominibus populorum a Livio relatis, constat) quæ regio, sicut apud antiquos ex fabula Cadmi, cæteris Illyricis celebrior habita fuit, ita eadem ex Regum sede peculiaris vel proprii Illyrici nomen, simul cum Regno servavit, Illyricique nomine a Romanis in provinciam ordinata fuit, ac Illyricum proprium ab eorum Scriptoribus dicta, ad differentiam tam Orientalis partis antiqui Illyrici ultra Drinum, (quæ in Macedonum nomen transibat) quam Occidentalis citra Naronem, cujus pars antiqua Dalmatiæ ascribebatur, pars vero reliqua a Romanis addita, nomina antiqua Liburniæ & Istriæ servabat; Donec Dalmatæ Augustum fatigantes, Illyrici citra Drinum nomen sibi vindicarunt; Augustoque ipso Istriam ab Illyrico avellente, Illyricum intra Drinum & Arsiam restrictum, in Dalmatiam & Liburniam dividi cœpit; ex quo tempore proprii Illyrici nomen obsoleviisse, conjici potest: Melam vero & Plinium, antiquorum Scriptorum nomina secutos, proprii Illyrici mentionem feciisse; at post Augustum, Illyricum universum, in superius & inferius divisum fuisse, lapis inter Epidauri ruinas inventus, declarat.

P CORNELIO DOLABELLÆ COS VII EPVLON
SODALI TITIENSI LEG PROP D AVG ET TIB CÆS AVG
CIVITATES SVPERIORIS PROVINCIÆ HILLYRICI

quem Dolabellam legatum proprætorem inferioris quoque, totiusque Illyrici fuisse, alter lapis Jadræ existens testatur,

TIB CÆS D AVG F AVG IMP PONT MAX
TRIB POTEST XX COS III LEG IX LEG XI
P CORNELIO DOLABELLA LEG PROPR

Ex quibus Inscriptionibus (quamvis nemo Auctorum id referat) argui potest, superius Illyricum, Illyricum proprium simul cum Dalmatia comprehendisse; inferiorem vero Liburniam cum Iapidia, & prout oræ maritimæ Illyrici termini supra ex Ptolomæo sumpti fuerunt, ita ex ejusdem totius Illyrici tabula, tamquam ex certiori termino percipi possunt, & ea, quæ antiquitatis obscuritate involuta præcesserunt, & quæ deinde Imperantium voluntate mutata, & Barbarorum vastationibus perturbata, subsecuta sunt: sed animadvertendum est, aliquos locorum situs hodiernos a Ptolemaicis discrepare, quod erroribus, qui innumeros longitudinum & latitudinum textus ejus irrepserunt, tribuendum est; ut observare volenti patebit; Illyrici ergo fines Romanæ Monarchiæ tempore fuere ab Oriente Drinus flumen & Scodrus mons, a Septentrione partim Savus, & partim Pannonia superior: ab Occidente Arsia fluvius, a meridie mare.

CAPUT IV.

De Illyrici ordinationibus a Romanis factis, & navigationis Adriatici Variatione.

ILlyrii vectigales sibi reddiderunt Macedonas, partemque regionis eorum occuparunt, ut Iustinus & Diodorus supra relati scribunt: a Philippo deinde Alexandri magni patre victi, in duo Regna divisi, & post mortem Alexandri, successoribus ejus inter se bellantibus, Macedonum jugum excusserunt, & in unum Regnum Agronis tempore coaluerunt, ut ex relato primo Illyrico bello constat: Agro etenim, *copiis terrestribus & navalibus, omnes priores Illyriorum Reges longe anteibat*, ut scribit Polybius, quem vicinis formidabilem evasisse ait. Sed succeden-

cedente Teutha, & cunctos navigantes vexari concedente, omnibus exosos fecit Illyrios, muliebrique imprudentia usa Romanos quoque offendit, eaque devicta, prima Illyrici Regni mutilatio secuta est: Romani enim Ardiæis subactis; Parthinis & Atintanibus in deditionem susceptis, partem Demetrio Phario assignarunt, quam auctores non distinguunt, neque ubi Dimalum Urbs Demetrii primaria existeret tradunt; Sed eamdem quoque paulo post Demetrio deficienti, ademerunt; Secunda mutilatio Regni evenit, quando mortuo Pleurato Rege, Dalmatæ a Gentio filio deficientes, se in libertatem vindicarunt, simulque circumvicinos populos citra Naronem subigentes, ab Illyrico Regno segregarunt; ita ut Gentii Regnum Romanis deditum intra Naronem & Drinum restrictum fuerit, & in Provinciæ formam primo ordinatum. Aliis deinde secutis in Illyrico bellis, varias quoque ordinationes factas fuisse oportet, quarum memoriæ exciderunt, cum tres tantum in Illyrico conventus Plinius memoret, quos ex Varrone deducit; Ideo Reipublicæ quoque tempore extitisse oportet, scilicet Scardonitanum, Salonitanum, & Naronensem: Salonam autem bello civili Pompejano Coloniam fuisse innuunt, quæ Hirtius refert *Salonam Oppidum maritimum, quod Cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant*, Illyriosque Cæsari adhæsisse ipsemet testatur Cæsar. Hæc ad Augusti usque tempora referuntur de Illyriis. Sed sicuti eumdem per se, & per Tiberium diu bellum gessisse in Illyrico, ipsumque restrinxisse, ex supra relatis constat, ita tunc suo nutu ordinasse censeri debet, quamvis memoria ordinationis exciderit. At cum oræ maritimæ ordinatio ex Adriatici navigatione deducenda sit, ideo ejus rationem, modosque ab antiquo usurpatos tradere necesse erit, ut quæ de Illyrici ora dicenda sunt, percipi possint.

De bell. Alex.

Civ. 3.

Relictis ergo, que de Pelasgis, & Diomede fabulis involuta referunt Græci, Liburnorumque & Atriensium rebus (quorum ditionis memoriam, quamvis Liburniæ & Adriatici nomina hucusque servent: tamen apud Auctores nulla eorumdem gesta reperiuntur) ad ea tempora deveniendum est, quæ ab Auctoribus relata navigationis quoque rationem præbere possunt. Ad tempora ergo Dionysii Syracusiorum Tyranni respiciendum est, qui occupata Insula Issa opportunissimo loco sita, ibique Classe residente, Colonias per Adriaticas oras deduxit, associatisque, quos potuit ex circum jacentibus populis, cæteris coercitis, navigationem Adriatici in potestate habuit, filiusque ipsius, post quos Issenses, & eos, qui cum illis sentiebant, usque ad Romanorum adventum, prout potuerunt, continuasse conjectandum est: Romanos autem navigationis rationem mutasse oportet: nam sicuti Dionysium partem Italiæ possidentem, Adriaticas tantum insulas occupasse constat, ita cum cæteris amicitiam, societatemve inire contentum fuisse argui debet: quod eo magis postea de Issensibus, ipsorumve sociis valida Classe destitutis præsumendum est. Romanos autem primo in Illyricum adventu, quamvis totius Italiæ Dominos, navigationem tamen in eo statu, in quo repererunt reliquisse, sed Gallis postmodum devictis, universaque Illyrica ora in potestatem suam reducta, ob id integro Adriatici dominio positos, & in eo variis Coloniis deductis, navigationem quoque tutiorem reddidisse oportet; sicut enim providentiæ Romanæ insigne fuit argumentum vias terrestres immensis sumptibus publicæ commoditati stravisse; ita navigationis quoque commoditati ab ipsis consultum censendum est, & antiquam navigationis formam mutatam; sed sicuti mutationem non uno aut altero anno secutam dici debet, ita diversa tempora respicienda sunt, pro quibus expendendis, navigationis Adriatici modus, navigiorumque forma, qua hodie utuntur Nautæ, explicanda est, ut ex notis antiqua facilius conjici possint.

Qui extra Adriaticum degunt, majoribus navibus ad longum iter instructis utuntur, & sinum illius intrantes, ex una parte Italica littora importuosa, ex altera Insulas Illyricas vitare solent, navigationemque per medium sinum dirigunt; & si ventus propitius faveat, vela non demittunt, donec ad destinatum locum perveniant, & non, nisi contrario furente vento, inviti portum subeunt: eo quia longis itineribus assueti, & quidquid necessitas exigit intra navim habentes, stationes pro virili fugiunt; cum portus suis navibus excipiendis idoneos in promptu non habeant, eorumque appulsus sæpe ingruente vento, periculosus evadat, &, quod pluris pendunt difficilis ab iisdem exitus propitio redeunte vento pateat: ideo quando necessitas cogit, exteriorum Illyrici Insularum ampliores portus appellunt, internarum autem sinuosos anfractus omnino fugiunt; idemque in reditu ex Adriatico servant; Qui vero Adriaticum accolunt mediocribus, & minoribus utuntur navibus. Qui mediocribus, neque per medium sinum incedunt, neque omnes Insulas fugiunt, imo inter exteriores & medias, vel inter easdem & continentem libenter navigant: hoc etenim pacto, undarum moles marisque fluxum vitant, & ad victum necessaria ex Insulis habitatis sibi comparant, qui autem minoribus utuntur lembis (hi utplurimum remis aguntur) littus continentis lambentes tutiori, pacatiorique, quamvis

longiori, itinere, procedunt, & quocumque ingruente vento, portus ſibi notos in continenti, vel in proximis Inſulis ſitos (quorum infinitus pene eſt numerus) remorum auxilio ex arbitrio capiunt, tempore autem propitio redeunte, ex eisdem facile ſolvunt.

His tribus navium generibus Adriaticum hodie frequentatur. At cum antiquitus Inſularum accolas navigationem exercuiſſe relatum ſit, hos mediocribus navibus uſos oportet, (cum ejusdem generis navibus hodie quoque utantur,) & quoad ipſis licuit; Illyriorum lembos a navigatione avertiſſe conjectari debet; ſed Romanorum Coloniis in continentem deductis, portubusque opportuno loco munitis, Lemborum Illyriorum numerum creviſſe, & continentis habitatores mediocribus fabricatis navibus promiſcue cum Inſulanis navigationem exercuiſſe, dicendum eſt. His conſideratis, ſicuti Græcos ante Romanorum tempora majoribus navibus in Adriaticum invectos, navigationem exercuiſſe apparet, ita ex illis, quæ antiquiores ex relatis Scriptoribus de Illyrica ora referunt, ipſos faciliorem & ſuis navibus tutiorem viam tenuiſſe, per medium ſcilicet ſinum & Inſulas, in quibus Græcorum Coloniæ erant, ut plurimum procul a continenti appuliſſe, idcirco de ipſa continenti, uti de loco non bene cognito quædam fabulis etiam involventes, commenti ſunt, & a Plinio vanitatis redarguuntur: tunc temporis autem inſulares cum Illyriis negotia exercuiſſe dicendum eſt, & a continenti aſportatas merces exteris ad Inſulas venientibus communicaſſe, atque ab eis quas cum Illyriis permutarent, recepiſſe, qua de cauſa, Iſſenſes in continenti Tragurium & Epetium Colonias habuiſſe oportet; ita duplici quæſtu Iſſenſes opibus floruiſſe, ante Romanorum adventum cenſendum eſt, & in eo ſtatu manſiſſe, donec Romanorum ditione per Illyricum extenſa, ipſi quoque continentis Illyricæ habitatores adnavigationis, quæſtusque maritimi participationem admiſſi fuerunt: indeque Inſulanorum, & præſertim Iſſenſium res ſenſim decreviſſe oportet, adhuc tamen bello civili Pompejano Iſſa prærogativam nobiliſſimi illarum regionum Oppidi retinebat: quibus congruunt, quæ Plinius de Illyrici ordinatione ex Varrone refert: Nam Romani Illyrico in poteſtatem ad Montes usque redacto ſolita ſua Providentia, pro magiſtratuum reſidentia, loca, quæ claſſibus facile adiri poſſent, & ſimul commoda Provincialibus evaderent, elegerunt, & in tres partes diſpertito Illyrico, Naronæ, Salonæ & Scardonæ conventus inſtituerunt, ex quo tres hæ Civitates cæteris celebriores evaſerunt: Naronam autem, ſicut antiquitus Emporium fuiſſe, teſtatur Scylax, ita Romanorum quoque tempore, ex navigabilis fluminis commoditate, Provincialiumque concurſu frequentatam fuiſſe oportet, ejusdem conditionis Scardona fuit, Salonæ vero ſicuti ante ſecundum Dalmaticum bellum memoria nulla reperitur, ita ante primum Civitatem fuiſſe, ex Tragurii & Epetii vicinitate argui non debet. Salonæ enim ſitus, quamvis cunctorum maritimæ oræ continentis Illyricæ pulcherrimus ſit, fertiliſſimo ſolo, nobili flumine, & portu capaci præditus, tamen cum ea maris uſu ab antiquo caruerit, Civitatis formam habere non potuit. At poſtquam Romani maris uſum Dalmatis permiſerunt, ex opportunitate ſitus, portusque commoditate, ad ripas fluminis Iadri habitationes brevi tempore dilatatæ fuerunt, Salonaque, Scardonam & Naronam habitatorum frequentia, & ædificiorum magnificentia ſuperavit, ſicut enim hæ duæ Civitates opportuno provincialibus ad conveniendum loco, & ad res ex continenti ad mare deducendas ſitæ ſunt, ita longe a mari aperto diſtantes, (cum difficilis ad ipſas acceſſus fuerit) raro ab exteris adibantur, quia vero Salona ex commoditate portus, ſituque ad mediterranea etiam longe diſſita excipienda aptiſſimo, ab exteris frequentabatur; ideo ſumma Illyricæ oræ navigatio, ex Iſſa Salonam reducta fuit. Hæc ad Auguſti usque tempora de Illyrici ordinatione, & Adriatici navigatione obſervanda ſunt. Claſſis deinde ſtationem apud Ravennam ipſe Auguſtus inſtituit, & per Illyricam oram Colonias plures deduxit, vel jam deductas reſtituit, ipſumque totius Adriatici navigationem ad rectiorem, tutioremque modum direxiſſe, & pro Claſſis Ravennatis commoditate ordinaſſe veroſimile eſt: hancque ab antiquiſſimis non diſcrepaſſe: Romanæ etenim Claſſis ſedes proxima fuit Spinetarum, & Atrienſium ſedibus, eodem modo hodiernam quoque ſupradictis omnibus ſimilem eſſe conſentaneum eſt, cum Civitatis Venetiarum ſitus non admodum ab eisdem locis diſtet, & ſicuti Auguſtum, reliquosque Imperatores maris ſimul, & circumjacentium populorum Dominos commoda in Adriatico auxiſſe cenſeri debet, quibus donec Romanum viguit imperum uſi ſunt navigantes, ita ipſo declinante Romanæ providentiæ Imitatores Veneti, qui propriam Rempublicam melioribus, quam cæteri mortalium legibus inſtituerunt, ac exinde omnibus rebus publicis, & Monarchiis, quarum memoria exiſtit, diuturnius imperium ſervant, navigationem per temporum viciſſitudines eximie dirigentes, maris Adriatici dominium conſecuti, eidem quoque nomen proprium impertiti ſunt, feliciterque per tot ſecula ſervant. &

ſicuti

ſicuti in præcipuis Adriatici portubus Romanæ magnificentiæ veſtigia apparent, ita quoque Venetæ providentiæ, quocumque eorum dominium pervenit, monumenta exiſtunt: ita ut ex hodiernis Romana, & antiquiora de Adriatici navigatione facile quisque conjectari poſſit.

Illyricam oram, quamvis Strabo, Plinius & Ptolomæus accurate deſcribere videantur, quædam tamen obſcura remanent, & nonnulla prætermiſſa ſunt, quæ indicare inutile non erit. Nam Strabo Liburnicam oram metitus ait: *eſt in ea fluvius, quo adverſo ſubvehuntur merces uſque ad Dalmatas & Vrbes Scardon & Liburna:* de Titio Strabonem locutum, quamvis ipſum non nominet, conſtat; Nam Scardonam Liburniæ Civitatem prope Titii Oſtia in ſinu ab ipſa Scardonitano dicto ſitam fuiſſe, nomen ruinæque adhuc extantes, argumento ſunt, quamvis autem ſinus ipſe per XII. milliaria Sardonam uſque maritimus ſit, Titius tamen celeri adeo fluxu per eundem in mare apertum fertur; ut præter ſaporem, omnino fluminis fluxui ſimilis ſit: Hac de cauſa, una cum Strabone Plinius quoque deceptus eſt, qui *Scardonam in amne eo XII. M. P. a mari* exiſtere ſcripſit: per quem ſinum, quamvis maritimum, contra fluminis fluxum, Scardonam uſque, merces deferebantur, ubi Titius ex declivi in mare cadit, & ob id ulterius navigari nequit: quamvis ſupra declivitatem, & lacum Navium capacem, & Inſulas habeat, prout ſinus maritimus proximus: quæ autem de Civitate Liburna tradit Strabo, interpretes ejus, cum nullus auctorum Civitatis Liburnæ mentionem faciat, Scardonaque in ripa Liburniæ poſita ſit, textum ipſius multis in locis depravatum reſtituere conati, quod de duabus Vrbibus refert Strabo, de ſola Scardona intelligendum crediderunt, ita ut ſenſus eſſe debeat, *Vrbem Scardon Liburnam*, niſi quis de Burno, cujus Ptolomæus, Plinius, tabulæ Peuting., & Procopius memorant, Strabonem intellexiſſe velit, cum circa eadem loca ſitum fuiſſe Burnum, ex eisdem conſtet.

Titio.

Omiſerunt quoque iidem Tiluri fluvii mentionem, quem Neſtum olim vocatum teſtatur Stephanus; *Neſtus oppidum, & fl. Illyr. gentile Neſtius ut Artemidorus L. 2. Georg. & Neſtis regio*, hic prope Titium ortus longo Orientem verſus curſu delatus, flexoque in Occidentem fluxu, inter montium crepidines, navium minorum, per tria milliaria capax, in mare exit prope Almiſſum, cujus fluminis pontem memorant Antonini itinerarium, & Tab. Peut.

Omiſerunt itidem Lacum Labeatidis regionis, & flumen Barnabam ex eo proveniens, Claſſium per XII. milliaria capax, a Livio memorata, cum enim ipſorum temporibus omnia jam in Illyrico, explorata & dimenſa eſſent; quid mirum, ſi ipſis antiquiores Græci auctores ſupra relati, obſcura quædam, quædam confuſa, & nonnulla hyperbolibus involuta fabuloſa referant? Præſertim de Peninſula Hyllis, quam paulo minorem Peloponneſo, & XV. Civitates habuiſſe ferunt; cum vero nullibi in Illyrica ora peninſula tanti circuitus exiſtat, ideo quidam peninſulam hanc Iſtriam eſſe crediderunt, quam tamen, cum ipſa Hylli, Græci nominant. Non inutile ergo erit hujus peninſulæ ſitum indicare, ut quæ de ipſa hyperbolice ſcripta reperiuntur, una cum quibusdam obſcuris eorundem auctorum locis, intelligi poſſint.

Schym. Steph.

Situm peninſulæ Hyllis, inquirenti navigationis per Adriaticum, normam, qua utuntur naves, quæ ventorum auxilio ſolis velis feruntur, ſcire oportet; hæ enim littora importuoſa, & ſinus inter Promontoria poſitos vitare coguntur, ut breviori, & tutiori via, iter conficiant. Primus, in Adriaticum intrantibus, ſinus littoris Illyrici curvus & importuoſus inter Epidamnum & Buduam occurrit, alter vero inter Liburnicas Inſulas & Iſtriæ Promontorium Polæ proximum: circa hæc loca, hinc inde delatæ naves, propitium ventum expectare coguntur, quo hoſce ſinus tranſire tuto poſſint: inter eos ſinus autem Inſulæ, continuato fere ordine diſpoſitæ, faciliorem navigationem præbent, & littus Illyricum, ab Epidauro, Iſtriam uſque, abſcondunt, niſi ubi contra, Iſſam, Inſulæ quædam invicem diſtantes littus continentis, ejuſque Promontorium, navigantibus aperiunt. Hoc quamvis neque in mare admodum porrectum ſit, neque, præter unicam Syrtim, quidquam ominoſum habere videatur, tamen a nautis experientia edoctis, adeo timetur, ut in præternavigatione totius Adriatici, nuſquam majori cautela ſibi opus eſſe exiſtiment, quam ibi, ubi (cum in medio ſinus Adriatici ſitum ſit loco:) maximus fluxus, & velocior, quam in quibuscumque aliis ejusdem ſinus locis exiſtit; nam mare, quod per Venetorum ſtagna reciprocando, ſtato ſex horarum ſpatio, ad evidentem certamque menſuram creſcit & decreſcit, circa dictum Promontorium inſenſibili pene decremento vel incremento, velocitate tamen ſumma & incertitudine nautis formidabili fertur, quibus accedit aquarum motus velox, una ex parte a Titio, ex altera vero major & velocior a Narone & Tiluro fluminibus procedens, & inter Inſulas, & continentem, quaſi per canalia contrario curſu ad Syrtim in extremo Promontorii angulo ſitam, perveniens, ubi invicem pugnant non ſolum aquæ, verum quod mirabilius eſt, ſæpe ſæpius venti contrarii hinc inde ad Syrtim uſque, ſimul perveniunt, naves vero

plenis velis, ex contrariis partibus illuc delatæ, vento repente deſtitutæ, vorticibus aquarum exponuntur, & ſi Auſter ſuperveniat, incredibile pene eſt, quam ingentes undæ Syrtim verberent, immanesque vortices prope eam oriantur; ob id præter cautelas, quas ubique adhibere nautæ ſolent, circa hoc Promontorium exiſtentes, antequam e Portu ſolvant, diligentius omnia perſcrutari coguntur, ut eis tuto pertranſire liceat, ventoque propitio flante, longe ab ipſa Syrti navigant; eo quia, quo ab ea longius, eo aquarum vis reciprocatioque remiſſior eſt: inde Peninſula hæc, ſive Promontorium celebre evaſit; Diomedisque appellationem ſortitum eſt, teſtem (ut ex loci natura concipere licet) rerum ab eo geſtarum. Græci autem præternavigantes, qui ipſius ſitus, e propinquo explorandi, neceſſitatem non habuerunt, peninſulæ magnitudinem commenti ſunt, & XV. Civitates eam habere, ut fertur, ſcripſerunt, ex alieno tamen relatu, ipſismet, qui ſcripſerunt, non probato. Quod autem hæc peninſula Hyllis, eo in loco ſit, quo Plinius eam ponit, circuitu C. M. P. quamvis ipſe plura perturbate ſcribat, tamen ex eis, quæ Scylax, Schymnus & Dionyſius referunt, eodem in loco eſſe apparet; nam poſt Liburnos, & Bulinos, Hyllos ante Naronem amnem, & ſinum ejus (a Scylace Manium dictum) ponunt; ſed clarius Schimnus, qui ex Timæo, & Eratoſthene deſcriptis Hyllis, Iſſam prope illos ponit; eo, quia navigantibus, antequam in proſpectum Iſſæ perveniant, ex inſularum impedimento Hyllis non appareat: quamvis vero de ſitu peninſulæ ex dictis lector ſatis inſtructus eſſe poſſit: eam tamen Peloponneſo magnitudine parem quis concedat? cum neque in Peninſulæ formam, ſed tantum mediocris Promontorii, inter tot Chorographicas tabulas deſcripſerit quisquam, quod autem illam magnitudine parem Peloponneſo tradant Græci, iis ſimile eſt, quæ de Iſtro in Ionicum confluente, & de Ponto Adriatico proximo, & cum ipſo peninſulam faciente, referunt; in Peninſulæ tamen formam revera exiſtere hoc Promontorium, gnaris locorum patet, ſed ſinus ex utraque parte Iſthmum efficientes, ac circumjacentia loca, adeo ſaxoſa & ſterilia ſunt, ut ab antiquo deſerta, vix a ſolis paſtoribus, piſcatoribusve adita fuiſſe cenſeri debeat, quæ nunc quoque nautis incognita eſſent, niſi, 150. abhinc annis Bulini, & Hyllini ſimul convenientes, & Turcarum vim fugientes, in intimo communis Orientalis ſinus littore, villam extruxiſſent, quam veteri quoque ac communi ejus vocabulo ſinus *Buſylli nam* nuncuparunt, ut in Patriæ Chronico latius; prout alia ex parte ad fauces occidentalis ſinus Stolponæ (ſive Strapini dicti) villam aliam ſupra inſulam, a cornibus dictam, fundarunt: quarum commodo, qui Promontorii pericula fugiunt, marisque agitationem, ac nauſeam vitant, alterutrum ſinuum adeunt, & per Iſthmum terreſtri itinere incedentes, ad alterum ſinum deveniunt, pacatiori deinde mari inter Inſulas procedentes, abindeque Peninſulam ſinusque ipſos notos effecerunt: in ea Peninſula ſicuti XV. Civitates fuiſſe, Græci commenti ſunt; ita nullibi Civitatis ullius veſtigium apparet, præter rudera Prætorii, ab Antonino, & tabulis Peut. memorati, in Peninſulæ Orientali parte ſiti, quod quadratæ ſtructuræ fuiſſe, forumque in medio formæ eclipticæ habuiſſe, porticibusque circumdatum & ciſternas in angulis pro aquarum, quibus ſitus indiget neceſſitate ſupplenda, ruinæ demonſtrant. Illud ſicuti ad navigantium tutelam, in portu deſerto ſed a Romanis frequentato ædificatum cenſeri debet; ita portus ipſe quibuscumque Illyricæ continentis portubus navigantibus commodior exiſtit, facilem etenim ingreſſum, tutam ſtationem, proſpectum in altum mare, facillimumque egreſſum quibuscumque generis navibus præbet; ita ut ad Promontorii pericula vitanda proximum a natura refugium paratum videatur; qui ab inſula, ex oppoſito ipſum ab undarum injuria tutante, Sancti Michaelis Archangeli nuncupari ſolet, indigente tamen vocabulo Mirara dicitur: ex deſcriptione itaque accurata Peninſulæ Hyllis, hyperboles a Græcis de ea relatæ, apparent.

Schym.
Steph.

Situs tamen Hieraſtamnorum & Bulinorum inquirendus eſt. Bulinorum enim regionem ſicuti conterminam Hyllis ponit Scylax, ita ejus præternavigatio longæ diei unde principium ſumere debeat, non apparet, prout neque ubi ſinus Neſtus, ad quem in fine diei pervenitur, ponendus ſit, ideo ex uſitato navigandi modo conjecturæ ſumendæ erunt. Nautæ enim iter per diætas metientes, diſtantias a portubus, fluminibus, vel Promontoriis non ſumunt, ſed ab eorundem circumviciniis, præſertim vero, qui majoribus navibus per altum mare vehuntur, prout in aſpectu aliquas Inſulas, Promontoria, vel montium cacumina habent, recto itinere procedentes, diſtantias proſpectu tantum, non appulſu, per diætas metiuntur. Ideo ſicuti Scylax præternavigationem regionis Liburnorum duorum dierum ponit, ita eandem ab Iſtriæ Promontorio, extra Liburnicas Inſulas, recto tramite Iſſam verſus, metitum dignoſcitur; cum tempore æſtivo flantibus eteſiis, bidui ſpatio eædem Inſulæ præternavigentur; ad quarum extremas cum nautæ perveniant, ſi eteſiæ noctu quoque ſpirent, ut ſolent, Iſ-

ſam

ſam, Pharumphe verſus iter proſequuntur; ſi vero ceſſent, inde non ſolvunt, donec ventum propitium longæ diei ſpatio conſecuturos, non auſpicentur, nocturnam navigationem ob peninſulæ Hyllis pericula vitantes. Ideo Bulinorum, regionis præternavigatio ad Neſtum uſque ſinum, de qua Scylax, ubi ſupra intelligenda eſt eo modo, quo navigantes quando ex Occidente in proſpectum Promontorii Diomedis, ſive Peninſulæ Hyllis perveniunt, ut ſinum Manium pertranſire poſſint, Pharum verſus, navigationem dirigunt, & longæ diei itinere, vento propitio ipſum Phari portum appellunt, ſique ventus lenior ſit, ad primam ex ejusdem ſinus Inſulis (Proteram forſan ex hoc a Scylace dictam) perveniunt, at ſi circa Promontorium vento forte deſtituantur, omni conatu contendunt, Miraræ portum ante noctem appellere; reliquum autem ſinus ii, quibus neceſſitas ineſt, Naronam flumen adeundi, intra ipſum ſinum, ſpatio unius diei navigant; qui vero itinere recto progrediuntur, extra peninſulam (Stagni dictam) Raguſinæ ditionis, contra Naronis Oſtia, & prope Melitam Inſulam, eodem temporis ſpatio perveniunt, ſi hæc Peninſula ſtagni, pro altero Promontorio ſinum Manium efficiente, ſumatur, quæ de illius præternavigatione longæ diei a Promontorio Hyllis ad Neſtum ſinum modo ſupradicto dicuntur, aptabuntur, & inde ad Naronem intra Peninſulam, vel extra Melitam uſque, diei: quod autem hæc peninſula Neſti ſit, præter relatarum diſtantiarum congruentiam, nomen Civitatis in Iſthmo ejus poſitæ, quamvis Manium, Ston indigetatæ indicat:

Obſervandum eſt hic Scylacem Inſulas, quæ in ſinu Manio ſunt, & quæ in exteriori parte Peninſulæ jacent, diſtinctim nominare, Naronæque Emporii a mari diſtantiam ponere, & ejus circumvicina deſcribere, quod nullibi facit, quos autem Diodorus ccIↃↃ. ex adverſa continenti adverſos, Pharum obſediſſe ait, & generali vocabulo Illyrios nominat, hos Scylax in Bulinos & Neſtos ſinus Manii accolas diſtinguit, & quamvis textus Scylacis quibusdam in locis mutilibus appareat, ex eis tamen, quæ extant, Græcos, & ex ipſis, Scylacem, ex frequenti ad proximas Græcanicas Inſulas, præſertim Iſſam, appulſu majorem horum locorum notitiam habuiſſe, dignoſcitur, quam reliquæ oræ Adriaticæ, quod Strabo quoque innuere videtur, qui inter Liburnicas notiſſimas Iſſam, Tragurium, & Pharum ejusdem ſinus Inſulas, aſſerit: quarum tres tantum nominat Scylax, cum quatuor revera ſint, præter parvos ſcopulos, & ſicut Cratia, reſpondet Bratiæ a Stephano, Plinio, Antonino, & Tab. Peut. nominatæ, ita Olynta, Inſulæ Solentii, in Tab. Peut. Bolentiæque ab Antonino memoratæ, nunc Solta dictæ, quarum parvam inter ſe intercapedinem, nautæ portulam vocare ſolent. Proteras autem eſt ea, quæ Girona dicitur, Soltæ proxima, duplicique portu prædita, quam ab Oriente quoque venientes adire ſolent, tranſitum opportunum Peninſulæ Hyllis expectantes; quarta a Strabone, & Ptolomæo a Civitate proxima Tragurium dicta, Plinii Bubua, Amiani Boas, nunc Bua, vel Bove, quæ cum civitati ponte jungatur, indeque continenti ob id, tantum aditur ab iis, qui Tragurium appellant, & ideo forſan a Scylace prætermiſſa fuit, ac regioni Bulinorum adſcripta, quam ſicuti proximam Peninſulæ Hyllis ponit Scylax; ita Tab. quoque Peut. eodem loco, quamvis in mediterraneis ſitam teſtantur. Bulinorum idcirco regio apud Scylacem exiſtimanda eſt, eſſe ea, quæ navigantibus inter Liburnicas Inſulas, & Iſſam in continenti montuoſa, ſimul cum Peninſula Hyllis apparet, ſicut Hieraſtamnorum regio Occidentalis Bulinis ponenda eſt, cujus præternavigationem omiſit Scylax, eo quia Liburnicarum Inſularum (quarum metitus eſt iter) objectu, non apparet, & ſi quis ad flumen uſque Titium, eam extendi diceret, finem antiquum inter Illyrios, & Liburnos eundem Titium eſſe ſtatuere poſſet, ut de Autariatis ſupra dictum eſt, & Romani Geographi ponunt; ſed ſicuti præternavigationem regionis Bulinorum diei unius ſpatio recto tramite Pharum verſus a Peninſula Hyllis metitus eſt Scylax, ita ejusdem deſcribens littus, ait: *poſt Peninſulam (id eſt Hyllis) littus directum accolunt Bulini*, littus autem a Peninſula Naronem uſque directum eſt, parvo Spalatenſis agri interjecto Promontorio.

Proſequitur deinde Navigationem Scylax a Narone fluvio ad Arionem, & ſic ex interioribus ſinus Manii, Orientem verſus, recto tramite, nullo habito reſpectu circuitus Peninſulæ Neſti, vel ejus Iſthmi, idem quoque Plinium feciſſe, ab eodem Narone Epidaurum verſus, infra patebit; Arion autem fluvius is eſſe dignoſcitur, qui prope Raguſium in portum, ab antiquis Agrovonitis, Gravoſa, indigetatum fluit, Ombla dictus, cum nullus alius fluvius Epidaurum uſque inveniatur, & portus hic tutus nautisque commodus diei navigatione a Naronis Viciniis diſtet, a quo Gravoſæ portu nunc (a S. Cruce dicto) Butoam navigantes Epidauritanos portus crebro appellere ſolent, ubi rupes, & prope eas antrum ingens exiſtunt, in quo antro ſerpentes fuiſſe, poſteriorum quoque temporum fert opinio; ibique Cadmum in ſerpentem mutatum, nec non tumulum ejus, fanum, & Oraculum extitiſſe commenti ſunt Græci, de quo Apollon. Argonaut. 4. de Colchis.

Hi juxta Illyricum ex profunditate nigrum
flumen, ubi Harmoniæ eſt, & Cadmi
buſtam turrim excitarunt Encheleæn-
ſium inquilini.

Quod inter Naronem, & Drilonem ponere videtur Nicander in Theriacis.

Accipe; & octipedem raptum de flumine
cancrum
Lacte novo terito, tum natam Naronis
irim
Marginibus, quaque Illyricis Drilo perfluit
agris,
Armoniæque, & Sidonii frondamina Cadmi
Paſcua ubi gemini ſerpunt per rura Dra-
cones.

Quod autem circa Epidaurum fuerint Saxa Cadmea, ex Scylace elicitur, qui abhinc Butoam navigari ſcribit, nullus enim opportunior locus navigantibus portubus Epidauritanis, quod ex Plinio confirmatur, qui loco ſupra relato Liburniæ, & Dalmatiæ portus continentis ad navigationem aptos recenſens, diſtantias quoque inter eosdem ponit.

Iader a Colonia a Pola C. M. P.
XCII. *Salona Colonia ab Iadera CCXXII. M. P.*
Narona Salonis LXXII. a mari XX.
A Narona amne C M. P. abeſt Epidaurum
Colonia
Liſſum oppidum Civium Rom. ab Epidauro
C. M. P.

Ex quibus inter Naronam, & Butoam Epidaurum navigantes appellere ſolitos, eo loci apparet, ubi Cadmi Saxa & antrum ſunt. Hos Cadmeos portus, uti navigationi opportunos Romani, cum cæteris Illyricis muniverunt, & in Peninſula, ipſos efficiente, Coloniam Epidaurum condiderunt, Civiumque & navigantium commodo conſulentes aquam X. abinde milliaribus eduxerunt, ut aquæ ductus ruinæ demonſtrant.

Sed ſi quis Scylacis textus reſtitutionem adhuc tentare vellet, prout in cap. Liburni, Holſtenius multa nomina recte mutavit, ut ex margine apparet, ita in eodem capite aliqua præpoſterata videntur, nam ubi de inſulis refert illa verba, *& aliæ multæ absque nomine* ponenda videntur, poſt *hæ autem Inſulæ magnæ ſunt*, ita ut rectus ſenſus eſſe debeat. *Inſulæ autem huic regioni objacent, quarum quidem nomina recenſere poſſum, ſunt enim Abſyrtis Inſula ſtadiorum. CCCX. lata autem. CXX. Electrides, Iſtria, Mentorides, hæ autem Inſulæ magnæ ſunt, & aliæ multæ absque nomine juxta eſt Arbatis fluvius; navigatio juxta Liburnorum regionem bidui eſt.* Similiter in capite Neſti aſteriſco aliquid deeſſe ſignificavit Holſtenius, & poſt *Corcyra nigra vocatur* verba *Plurimum abeſt Promontorio ſuo hæc Inſula* (quæ Voſſius in ſua verſione poſuit) cum cuinam Inſulæ adaptari poſſint, non conſtet; omiſit; cum tamen in textu Græco extent, ideo, eadem transponendo & Inſulæ Phari adaptando, aliqualiter ſenſus percipi poteſt, hoc modo, *antequam vero ad Naronem fluvium perveneris, ampla regio in mare procurrit, atque Inſula littori vicina nomine Melita, tum alia huic vicina Corcyra nigra vocatur, a Melita abeſt ſtadiis XX; a maritima Regione, ſtadiis VIII. & plurimum abeſt Promontorio ſuo (Pharus) Inſula a maritima iſthac regione, altero vero promontorio pertingit ad Naronem fluvium.* Cum enim Inſulæ Phari Promontorium intra ſinum Manium ſitum ſit, contra Naronis Oſtia, & cum maritima regione, ſive Peninſula Neſti rectam navigationem earum interpoſitione impediant; ideo Scylax Phari, & maritimæ regionis promontoria, proximarumque Inſularum Melitæ & Corcyræ ſitum deſcribere voluit: adhuc tamen aliqua in textu deeſſe noſcuntur, quæ ex earundem Inſularum & Peninſulæ accurata delineatione, cuilibet per ſe ſupplere facile erit; nam ſi ſtadiis XX. inter Melitam, & Corcyram C. addantur (quæ facile ab Exſcriptoribus prætermiſſa fuere) quadrabit diſtantia inter easdem Inſulas, prout VIII. ſtadiorum diſtantia a proxima maritima regione, ſive Peninſula Corcyræ congruit, & quamvis Holſtenius, pro *Lias Idaſſa* Scylacis Vrbibus ab aliis auctoribus antiquis non nominatis, Iadram notiſſimam Liburnorum Civitatem, recte repoſuerit; tamen cum Scylacem multa alia locorum nomina, quæ apud reliquos auctores non reperiuntur, uſurpare conſtet; ideo forſan Idaſſa antiquiſſimum Liburnicum nomen Civitatis erat, quod ab Atrienſibus deinde in Iadram, vel Iadertum ſimul cum Adriatico mutatum fuit.

Schymnus autem Illyriorum partem remotam a mari degere, partem littus Adriæ internum occupare, partem obtemperare Regiæ potentiæ, partem legibus vivere ſuis, hoſque hoſpitales eſſe aſſerit, (cum ipſum Romanorum temporibus ſcripſiſſe conſtet) ad ea tempora reſpexiſſe videtur, quibus poſt primum bellum inter Pinnem Demetrium, & Scherdilaidam Illyricum diviſum fuit; cum tamen eosdem vicinis moleſtos, piraticamque exercuiſſe referat. Polybius, iis temporibus hoſpitalitas Illyriorum adaptari non poteſt, neque Agronis ipſorum prædeceſſoris, ſed ſicut Schymnum multa ex antiquioribus auctoribus referre patet; ita hæc cum aliis de Adriatico, ex Theopompo ſe ſumpſiſſe ipſe teſtatur, qui poſt Dionyſii Iunioris ejectionem vixit. Hoſpitalitatem ante Romanorum adventum in Adriaticum a Dionyſio introductam, continuatam quoque, temporibus a Schymno relatis, concludendum videretur, niſi Livius loco citato latrocinia circa eadem tempora memoraret, quando Cleomenem cum Græcorum claſſe in Adriaticum veniſſe refert. His de totius Illyrici ordinatione, Adriatici-

que

cique navigationis variatione pro antiquorum intelligentia relatis; partes ejusdem prout a Romanis constitutæ fuerunt, recensendæ sunt.

Illyricum Romani Imperatores in Liburniam & Dalmatiam distinxerunt, sed cum Liburniæ mentio ante Romanorum tempora reperiatur, Dalmatiæ vero nomen sero apud eorundem Scriptores appareat; ideo primo Liburnia describenda erit, deinde quomodo in Dalmaticum nomen translerit, explanandum; ut his perceptis, facilius intelligantur, quæ post Imperii declinationem in Dalmatia evenerunt, quorum causa hoc opus institutum est.

CAPUT V.

De Liburnia.

PRimam Illyrici ab Augusto constituti, Provinciam, Iapidiam, Istriæ proximam ponit Strabo, antiquiores autem supra relati Auctores, Iapodes non nominant, quos intra Alpes habitasse refert Appianus sexto relato Illyrico bello. Hos ipsos Celtas fuisse asserit Stephanus, *Iapodes natio Celtica, prope Illyricum*, Dion. lib. 12. & cum Scylax de Celtis intima sinus colentibus, loco relato, dicat. *Post Tyrrhenos Celtarum gens sequitur, pars exercitus angusto terrarum tractu, usque ad Adriaticum mare: istic intimus recessus est sinus Adriatici.* In intimo autem sinus Strabo Timavum ponit. *In ipso autem intimo sinus Adriatici Timavum est*, de quo Virgilius Georg. 3.

Tum sicut aerias Alpes, & Norica si quis
Castella in Tumulis, & Iapidis arva Timavi.

Et antiquus ejus Scholiastes Servius *Salustius (primam modo Iapidiam ingressus hujus est Fluvius Timavus)* prout etiam Plinius, Venetorum, & Carnorum oram describens l. 3. cap. 18. *Carnorum hæc regio junctaque Iapodum amnis Timavus.* Ideo Celtas, a Scylace relatos, Iapodes fuisse, eosque cum cæteris Celtis sive Gallis, Alpes transgressos, & ipsarum extremis occupatis, prope mare in intimo recessu sinus Adriatici circa Timavum ab antiquo consedisse, censeri debet, quorum regionis præternavigationem, tamquam in intimo sinus positæ, metiri omisit Scylax, & a Venetis ad Istros transit. Ex his clariora evadunt, quæ de iisdem refert Strabo, relatis enim Alpium ramis, & fluminibus ex ipsis in Istrum influentibus, ait *Iapides quoque permixta nunc Illyriis & Celtis gens, circa hæc loca habitant, & extremitas his vicina est; Hi cum aliquando florerent, & suam habitationem ad utrumque terminum extendissent, latrociniisque invalescerent, tandem ab Aug. Cæsare debellati & confecti sunt.* Et infra Segesticæ civitatis situ descripto, *sita est enim sub Alpibus, quæ ad Iapodes usque porriguntur, gentem partim Celticam, partim Illyricam.* Celtas nempe Iapodes, qui antiquitus ad intima sinus circa Timavum, & Alpium extremas confederant, (ut ex Scylacis loco citato dictum est,) rebus deinde illorum florentibus, ad utrumque terminum, habitationem extendisse dicendum est; ut Strabo ait, & utraque latera Alpium insedisse, ut Dion. L. 49. *Cæsar (id est Augustus) Iapides ipse bello petiit, quorum eos, qui citra montes haud procul a mari habitabant, non omnino difficulter in suam potestatem redegit, qui vero montium vertices, & utraque latera incolebant, eos, non sine maximo labore, perdomuit*, & a tergo Istriæ proximam Liburniæ partem occupasse, ut Plinius L. 3. cap. 19. Istria ut Peninsula excurrit latitudinem ejus XL. M. P. circuitum vero CXXLL. M. prodidere quidam, item adhærentis Liburniæ, & Flanatici sinus alii Liburniæ, CLXXX. M. Nonnulli in Flanaticum sinum, Iapidiam promovere a tergo Istriæ CXXX M. P. Dein Liburniam C L M. fecere. Quorum Iapidum maritimos, & Subalpinos Sempronius Tuditanus Cos. sexto Illyrico vicit, ut Appianus loco citato refert, idemque fragmentum Fastorum Triumphalium testatur.

C SEMPRONIVS C. F. C. N. TVDITANVS
COS DE IAPVDIBVS KAL OCT A DCXXIV

ex quo fragmento declaratur inscriptio ab eodem Plinio relata, qui loco proxime citato sequitur. *Tuditanus qui domuit Istros, in statua sua ibi inscripsit ab Aquileia ad Titium flumen, stadia* CC. Tuditanum scilicet eam regionem subalpinam subegisse, quæ ab Aquileja Titium usque protenditur, quæ tunc temporis Iapidibus tribuebatur (cum Titius Liburnicum flumen non longe a Tedanii fontibus Iapidiam a Liburnia dirimentis oriatur) & de *IAPVDIBVS* triumphasse; Quam Iapidiam Subalpinam, in primam & secundam divisam fuisse, Salustii fragmentum *Primam Iapidiam* memorantis a Servio supra relatum innuere videtur, cum prima, secundam quoque præsupponat, & cum ipse Servius (qui integram Salustii historiam vidisse debuit) primæ tribuat flumen Timavum, eandem uti antiquiorem & a Romanis primo subactam, primam quoque vocatam argui debet, reliquam vero, ad Flanaticum sinum pertingentem, secundam, & quamvis non constet ad quodnam tempus Salustii fragmentum referri debeat, tamen antiquam Iapidiæ divisionem secutum, ex supra relatis Fastis, & statuæ inscriptione dicendum est, sicut & Plinium, qui L. 3. cap. 5. Iapodes inter Carnos, & Istros ponit, Livius vero dum iter C. Cassii ab Aquileïa in Macedoniam re-

Dec. 5. *lib.* 3. 583. fert, Iapodes post Istros nominat, *sub idem tempus Carnorum, Istrorum, & Iapidum legati venerunt, duces sibi ab Consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent*, conquestosque de injuriis sibi illatis subdit; Cassius autem aliam viam ab ea, quam deinde, 40. annis Tuditanus emensus est, facere non potuit, ideo Livium sui temporis nominibus Provinciarum usum, apparet, quando nempe Iapidia prima, Carnis tribuebatur: Iapodes autem reliquos Augustum bis intra 20. annorum spatium fatigasse refert Appianus, *Iapodes Transalpini gens valida, ac fera, bis intra viginti fere annos Romanas copias repulere*, & tunc primo Transalpinos domitos subdit, *ac Transalpini quidem Iapodes tunc primum Populi Ro. ditioni additi sunt.* Deinde vero iidem Iapodes tam Inalpini, quam Iapidiæ secundæ, origine Celtæ mixti cum Illyriis (scilicet Liburnis) habitarunt, Iapidiæque nomen retinuerunt, ut Strabo locis citatis refert, donec, & ipsis in Liburnorum nomen transeuntibus, antiquus terminus Liburniæ Istriam usque restitutus fuit, ut supra ex Plinio, & Ptolomæo observatum est. Schimnus tamen Chius supra relatus post Istros (quos Thraces vocat) Pelagones ante Liburnos ponit, quod de Iapodum regione intelligendum videtur; Sed cum Scylax ipso, & antiquior, & accuratior, cæterique usque ad Strabonis tempora, neque Pelagones neque Iapodes hoc loco ponant. Ideo antiquitus Iapodes, cum cæteris Celtis Alpina incolentibus censitos, ad sinum Flanaticum non perveniisse, & Liburnos Istris conterminos fuisse, concludendum videtur. Liburnos ergo ante Romanorum tempora ab Istria usque ad Illyrios, oram maritimam coluisse, plures ex relatis antiquioribus tradunt, sed terminum inter Liburniam & Illyricum, diversimode statuunt; nam sicuti Scylax, Livius & Mela post Liburnos, Illyrios immediate ponunt, & Scylax Illyrios in Hieraftamnos, Bulinos, Hyllinos, & cæteros distinguit, ita Schimnus & Dionysius, Bulinos & Hyllos ab Illyrico separare videntur, & quamvis Mela Naronem inter Pyreos, & Liburnos exire dicat, & inde Liburniam ad Naronem usque protendere videatur, tamen Scylacem prædictos Illyrios citra Naronem ponere ex iis quæ proxime refert, apparet; Schimnus autem & Dionysius poëtico usi dicendi modo, an locorum situationem ordinatim posuerint, ambigi potest, & cum Strabo antiqua nomina Hieraftam. & Bulin. non memoret; Plinius vero tantum Peninsulæ Hyllis; ideo sicut inter Peninsulam Hyllis, & fluminis Titii sinum, terminus inter Liburniam, & Illyricum poni debet, ita ipse Titius pro antiquo termino Liburniæ, statui potest, prout tempore Romanorum fuit: Observanda tamen sunt, quæ Scylax supra relatus scribit, qui Liburnos & Istros diversos ab Illyriis ponit; Romani autem sicuti in Adriatico primum bellum cum Illyriis gesserunt, ejusque partem consecuti sunt; ita reliquum quoque Adriaticæ oræ scilicet Liburnos, & Istros Illyrios appellarunt; prout etiam ab una Achæorum Republica universam Græciam Achaiam nominarunt: verum qui ex ipsis antiquiora tempora referunt, Scylacem sequuti, Liburnos ab Illyriis distinguunt, ut Livius, Virgilius, & Mela locis citatis: sicuti ergo Liburnos inter Romani Illyrici populos numerare oportet, ita eosdem, Illyrici generis, ab antiquo fuisse, affirmari nequit; Stephanus autem sive ejus Epitomator Græcorum more omnium nationum origines fabulis involventium, sibique tribuentium a quodam Attici generis viro, Liburnos dictos asserit: sed prætermissa Liburnorum origine incerta, de Insulis Illyricis repetenda sunt, quæ Plinius eodem L. 3. cap. 26. tradit, ibi enim easdem cum cæteris Græcis auctoribus, Liburniæ adscribere videtur, quod Apollonius in Argonauticis quoque fecit.

Lib. 4.

Idcirco ex Hylleo provecti solo navigabant
Longe ac præteribant quæcumque prius Colchis,
Erant ex ordine, Liburnas in mare Insulas,
Cum Issam horrisonam, tum Pityusam desiderabilem.
Verum post istas ex intervallo perstrinxerunt
Corcyram,
Vbi Neptunus destituerat Asopi gnatam,
Comptis Corcyram capillis procul a regione Phliuntica,
Abreptam amoris imperio, ac quia istam hanc nigrantem
Vndequaque caliginosa silva Nautæ ex mari,
Contemplabantur, Corcyram Melenam cognominarunt,
Exinde Melitam quoque moderabili pergaudentes vento.

antiquus ejus Scholiastes. *Liburni gens habitantes has Insulas Issam, Disceladum, & Pityam, post quas in Corcyram venerunt*, & de Ladesta Stephanus *Ladesta, vel Ladestum, una de Liburnidibus Insulis Theopompo lib.* 21. *de rebus Philippicis.* & quamvis Corcyram, & Melitam inter Liburnicas non numerent supra relati auctores, tamen cum alteram Corcyram in extremis sinus faucibus positam a Liburnis habitatam testetur Strabo; ideo totius sinus Insulas Liburnicas dictas censendum est, & prout Civitatum, Insularum & Promontorii Diomedinomen servantium, ejus in Adriatico ditionis memoriam demonstrant, ita Liburnicarum Insularum nomenclatura, eosdem mari potitos testatur, quos sicut ante Atrienses sinui dominatos esse ex supradictis constat; ita quando cœperit ipsorum dominium, memoria non reperitur: Diomedi tamen successisse conjectari potest, & viguisse, donec Græci Corcyram iisdem ademerint, ut refert Strabo L. 6. *Iam Syracusas condidit Archias, navibus a Corintho*

rintho advectus; sub idem tempus, Naxus, & Megara conditæ sunt, & relato oraculo *porro Archiam, cum in Siciliam navigaret cum parte exercitus reliquisse Chersicratem, genus ab Herculis posteritate ducentem, qui occuparet pro domicilio suis Corcyram, quæ ante Scheria fuit nominata: atque has quidem expulsis, qui tunc ibi habitabant Liburnis, Insulam obtinuisse.* Quod evenit Olymp. XI. An. 2. & in annum, 16. Romæ conditæ cadit, ut Philippus Cluverius ex Thucydide probat, sed cum facile ex Corcyra ejecti fuerint, id jam senescentem Liburnorum potentiam indicat, tuncque Græcos Scheriæ Liburnicum nomen, in Corcyram mutasse, prout, & aliam Insulam Colonia deducta occupasse, & ex sylvarum nigredine Melenam cognominasse dicendum est; abindeque Atrienses ipsius sinus Liburnici dominium consecutos nomen Liburnicum obliterasse, propriumque imposuisse, ut Iustinus innuere videtur lib. 20. *Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit.*

Mari autem nomen impositum absolutum, & diuturnum Atriensium dominium indicat, quod absque Liburnicarum Insularum possessione retineri non potuisse suo loco constabit; Ideo earundem quoque dominium Atrienses habuisse censendum est, quod licet quonam tempore inceperit, non constat, illud tamen viguisse oportet, antequam a Gallis pulsi fuerunt, & priusquam Senones Vmbriam occupaverint, scilicet an. 359. Vrb. cond. ideo si quis ab excidio Trojæ usque ad Dionysii Syracusarum Tyranni adventum in rebus Adriaticis aliquam temporis rationem adhibere vellet, ab eodem excidio, sive a proxima morte Diomedis circiter ann. 400. qui effluxerunt, usquequo Corcyra a Græcis occupata fuit, verosimiliter Liburnis tribuendi sunt, reliqui vero 300. vel circa usque ad Dionysium Atriensibus, at cum Scylax loco citato Vmbros, ac Tyrrenos in Adriaticæ oræ descriptione memoret, & Anconam Issam atque Pharum nominet, quas tempore Dionysii constructas referunt Strabo & Diodorus, ideo circa eadem tempora adhuc Tuscos, & Umbros Adriaticam oram coluisse dicendum esset, sed ex Diodoro constat Pharum, quam novam Scylax vocat, conditam postquam Galli Vmbros, ex Adriatica ora expulerunt, scilicet V. C. 359. ideo Scylacem in descriptione Adriaticæ oræ se antiquiores secutum dicendum videtur, & Tuscos, ante Dionysii tempora & ante Vmbros, a Gallis pulsos. Tuscos ergo sicuti post Liburnos ditionem Adriatici in potestate habuisse constat; ita plura quoque per Adriaticas oras loca sibi opportuna, vel acquisivisse, vel associasse oportet, ut de Piceno testatur Strabo. *Firmum Picenum, ejusque navale Castellum, deinceps Cupræ fanum conditum dedicatumque ab Etruscis; qui Iunonem Cupram vocant, tum Truentinus amnis, ejusdemque nominis Vrbs, inde Matrinus fluvius ab Adrianorum Vrbe profluens, & navale Adriæ habens nomen suum conveniens.* & Plinius loco supra citato. *Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere, inprimis Palmense, Prætutianum, Hadrianumque agrum, Vmbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli.* Hæc autem maritima Piceni loca, Tuscorum tempore, cæteris opportuniora, celebrioraque fuisse, censendum est, quæ Ancona deinde condita, & tractu temporis, navigationem ad se trahente, declinaverunt: Atrienses autem, sicuti in potestate sua Liburnicas Insulas habuisse oportet; ita utrum eas subegerint, an associaverint, ut postea Dionysius, Romani, & ultimo Veneti, nulla memoria reperitur; Ideo ex Venetorum gestis, quæ suo loco referentur, similia quisque de Atriensibus præsumere poterit: Sed si in antiquissimis rebus, conjecturis uti fas est, sicuti Liburnos ab Vmbris Italia pulsos memorat Plinius, hosque ab Etruscis, ita si quis Liburnos contra expulsores Vmbros Tuscis auxiliatos assereret, forsan incongrue conjectasse non videretur; Atrienses vero ab amicis Liburnis, in mare deductos, imitatione Pelasgorum occupatis Padi Ostiis, aptatisque Paludibus, ut Plinius loco citato refert, ex opportunitate situs processu temporum navigationem totius sinus ad se traxisse, & ex diuturnitate possessionis ejusdem, circum jacentium Insularum, & populorum dominium consequutos, prout de relatis Piceni locis constat, sinui quoque nomen suum imposuisse, concludi posse videtur, prout de Venetis suo loco idem constabit. At sicuti Tuscorum partem mediterraneam, ad proximos montes a Gallis fugatam Rhætiama Duce suo Rhætodenominassere ferunt auctores; ita deinde Atrienses ab eisdem pulsos, uti maritimos propriis navibus ad proximiora suæ jurisdictionis loca adnavigasse verosimiliter credi potest, & ut navigationi addictos majorem ipsorum partem in Liburnicas Insulas ipsis subjectas vel socias, se recepisse, posteriora de Dalmatis exempla suo loco referenda suadent conjectari, ac deinde Atrienses, Liburnis commixtos, communem navigationem continuasse usque ad Dionysii tempora; circa quæ Adriaticum infestatum, ex Strabone loco citato apparet. Atrienibus enim sedem suam amittentibus, Classem quoque eorum debilitatam fuisse oportet, ex quibus sicuti dominium Adriatici, absque Liburnicis Insulis servari non posse constabit, ita easdem Insulas per se solas insufficientes esse ad dominium ejus absolutum retinendum, ex iisdem & infra dicendis, clarius patebit: infestatio autem Adriatici Illyriis ex Diodoro tribui posse videtur, ideoque Liburnos ad Dionysii protectionem recurrisse, Issamque, & Pharum eidem concedendo, ipsi adhæ-

l. 3. c. 13

cap. 1.

Iust. l. 20.
Liv. l. 5.
Plin. l. 3. c. 20.

lib. 5.

ſiſſe, ac ejus Claſſis protectione Pharum ab Illyriorum obſidione liberaſſe, & armenta equorum ad certamina ex intimis ſinus Dionyſio deduxiſſe, ut Strabo refert: Dionyſio autem Iſſæ ſedem figente, proceſſu temporis ſummam Adriaticæ navigationis illic reductam fuiſſe oportet; Siculis deinde Adriatici dominium amittentibus, nomen ejusdem ſolis Iſſenſibus tributum argui poteſt, cum Iſſenſes quando cum Romanis amicitiam contraxerunt pro ſola Inſula accipiendi non ſint: nam ſicuti eos Civitates proprias Tragurii, & Epetii, Claſſemque habuiſſe, ex relatis Romanorum Hiſtoricis conſtat, ita alia quoque loca poſſediſſe, vel in ſocietatem habuiſſe, cenſendum eſt: at cum Iſſenſes ab antiquis inter Liburnos repoſiti fuerint, quid prohibet conjectari, Iſſenſium nomine omnes Liburnos amicitiam cum Romanis contraxiſſe, utpote eorum, qui navigationis Adriatici ſedem a tempore Dionyſii per 150. annos uſque ad primum Illyricum bellum poſſidentes, univerſæ Liburniæ nomen Atrienſium imitatione ſibi vendicaverint, & Romanos prima vice in Adriaticum contra Illyrios accerſiverint; eo magis quia nemo refert: quandonam Romani Liburnos ſubegerint, ſolus Appianus Nono Illyrico bello, & Dalmatico Quarto, Liburnos in Populi Romani fidem conceſſiſſe ſcribit, & Cæſaris in propinquo agentis opem imploraſſe, eo quia Dalmatæ Promonam Vrbem ipſorum cepiſſent; ſed ad illud usque tempus contermini Dalmatis Illyrii ante 175. annos, Iſtri 168. & Iapodes 76. a Romanis ſubacti fuerant, quo temporis intervallo nulla Liburnici belli, prout cæterorum in Illyrico Romano mentio reperitur, ideo cum Liburnos Romanis inimicos fuiſſe argui non poſſit, amicos ab antiquo ſimul cum Iſſenſibus; & creſcentibus Romanorum rebus ſocios fuiſſe, dicendum videtur, cum Iſſenſes 200. annos ante Liburnorum ſeditionem amicitiam Romanorum coluiſſe, ſupra oſtenſum ſit, & a Romanis liberos & immunes ſervatos pateat, quod de cæteris quoque Liburnis conjectari poteſt; ſed proceſſu temporum, decreſcentibus Iſſenſium rebus, iisdemque ad Civitates continentis ſe reducentibus, ut ſupra dictum eſt, eorum quoque nomen obſolevit, Liburnia vero antiquum recuperavit, quibus conjecturis Adriatici dominii ſerie, navigationisque ratione ab auctoribus prætermiſſis, per temporum ſucceſſiones deductis melius intelliguntur, quæ apud antiquiores de Liburnis reperiuntur, & quæ Romanorum temporibus de iisdem referuntur, cum Navium Adriaticarum Liburnarum vocatarum belli Pompejani tempore memoria adhuc extaret, quarum agilitate deinde Actiaco prælio, Auguſto victoriam conſecuto, Liburnarum nomen denuo celebre evaſit, & ad earum ſimilitudinem deinceps Romani Imperatores, naves conſtruentes, Liburnas dixerunt, ut Vegetius refert; Sic ex navium denominatione, inventorum nomen potentiæque antiquæ memoria ſervabatur, prout & Mandia genus veſtimenti eorumdem opulentiam denotat, ut Stephanus tradit. *Ab iis Liburnicæ naves ſunt excogitatæ, & Mandia, Liburnica veſtimenta.* Iſſenſium quoque inter Liburnos cenſitorum memoria reperitur, & uſque ad civilia bella eos cæteris præcelluiſſe Hirtius teſtatur. *Iſſa erat nobiliſſimum regionum earum Oppidum.* & Plinius: *Iſſa Civium Romanorum.*

l. 5. c. 3.

De bello Alexan.

De Iadertinis autem Liburnis idem Hirtius refert: (*C. Octavium*) *Paucis navibus Iadertinorum, quorum ſemper in Republica ſingulare conſtiterat officium*, quod ut verificari poſſit, ante Civilia bella & antequam Liburni a Dalmatis preſſi, Cæſari ſe tradidiſſent, eveniſſe oportet: ideo Iadertinos (quos ex ſitus opportunitate, portusque excellentia, ab antiquo navigationis Adriatici, prima loca inter ſocios habuiſſe conjectari debet) ſimul cum cæterisLiburnis Romanorum amicitiam, indeque ſocietatem contraxiſſe, & ante Cæſarem libertatis tempore, eorum *ſemper ſingulare conſtitiſſe officium* argui debet; cum autem, & Iadræ nomen ab Adria non admodum differat, ideo ſi quis Iadertinos, cum ipſis Adriatico nomen imponentibus, Thuſcis communionem Civitatis habuiſſe, præſumeret, audax forſan conjectator non videretur, cum ejus ſitus Atrienſibus neceſſarius maxime fuerit, ut infra ſuo loco in rebus geſtis Venetorum expendetur. Iadram autem Coloniam Romanorum fuiſſe, Plinius, & Ptolomæus memorant, eamque ante Auguſtum deductam, & ab ipſo reſtauratam, inſcriptio, quæ adhuc mihi cernitur, teſtatur.

IMP CÆS D. F. AVG
PARENS COLONIÆ MVRVM
ET TVRRIS CIRCVMDEDIT
T IVLIVS OPTATVS TVRRIS
VETVSTATE CORRVPTAS
IMPENSA SVA RESTITVIT

Varia quoque præclari operis Templorum, Amphitheatri, Theatri, & Mœniorum Urbis veſtigia, Romanam magnificentiam demonſtrant, inter quæ Columna ingens, poſt tot Urbis caſus, adhuc in foro erecta cernitur, & arcus majoris ædificii pars nunc ad portam Civitatis ſancti Chriſogoni dictam, translatus, in cujus Epiſtylio hæc leguntur:

MEL-

MELLA ANNIANA IN MEMOR
Q LÆPICI Q F SERG BASSI
MARITI SVI EMPORIVM STERNI
E ARCVM FIERI ET STATVAS
SVPERPONI TVSS EX HS DCDXX P

Verum cum ſitus circa Civitatem aquis perennibus careat, Trajanus Reipublicæ bono natus, ſicuti plures per Imperium portus munivit, vel ampliores tutioresque reddidit, ut in Adriatico videre eſt Anconæ, ex arcu eximie elaborato, ac pulchri operis indice, ita Iadrenſium quoque commoditati conſulens XXX, ab inde milliaribus, ex Titio flumine copioſiſſimas aquas deduxit, ut aquæ ductus parietinæ demonſtrant, quorum auctorem lapis nuper inventus indicat.

IMP NERVA TRAIAN
PONTIF MAX TR
AQVAEDVCTVM COLON
IN QVO DANTE IMPEN
SACRATISSIMI PRINCI

Extant aliæ quoque inſcriptiones ad Ivarios uſus translatæ, quæ in fine operis cum reliquis Dalmaticis poſitæ ſunt; ſequutis deinde temporibus Iadra in ditione ſua Liburniam habuit, ut infra patebit, & ex ſitus opportunitate, portusque commoditate ſemper inter præcipuas Adriatici Urbes cenſita fuit. His de Liburnia maritima recenſitis, fines ejus mediterranei deſcribendi eſſent; ſed cum ab antiquis non tradantur, Romanorum vero temporibus a Iapidibus coarctati fuerint, ut ex ſupradictis apparet, ideo ad Ptolomaicos reſpiciendo, Liburnia ab Occidente Iſtria, a Septentrione Pannonia, ab ortu Dalmatia, terminata fuit.

CAP. VI.

De Dalmatia.

Dalmatia ab Urbe Dalmio, ut vult Stephanus, a Dalminio, ut Strabo, a Delminio vero, ut Polybius & Appianus, dicta fuit; Sed ſi a Dalmio deducenda eſſet denominatio Dalmatarum, Dalmienſes cum Stephano, vel Dalmatæ cum Polybio, dicendi eſſent; invaluit tamen apud Scriptores Dalmatarum denominatio, ut ex relatis conſtat, & Stephanus *Dalmatia Italiæ regio hujus incolæ Dalmatæ vocantur, & Dalmates*, & ſicut a principio *Dalmienſes* vel *Dalmatæ* pro incolis tantum Urbis Dalmis, vel Dalminii accipiebantur, ita ante primum Dalmaticum bellum arctos terminos habuiſſe conſtat; variis deinde bellorum caſibus Dalmatia dilatata, Romanæ Monarchiæ tempore, uſque ad Titium & Drinum flumina, mare, & Pannonas extenſa fuit, ut ſupra relatum eſt, ita ut antiqui Illyrici partem, quæ citra Drinum eſt, comprehenderet, & ſimul cum Liburnia, Illyricum ab Auguſto definitum, conficeret. Dalminio autem primo bello Dalmatico exuſto in locum ejus Salonam ſucceſſiſſe conſtat, cum ſecundo tantum bello Salonæ mentio reperiatur, quia vero ſitus ejus Romanis opportuniſſimus fuit, ideo brevi tempore cæteras Illyrici Civitates præcelluit, ut ruinæ ipſius demonſtrant, magnificentiam vero ejusdem amphitheatri, templorum, aquæductus, & aliorum ædificiorum veſtigia, nec non numerus pene infinitus columnarum, lapidumque ſepulchralium, & varii generis marmorum, per diverſa in Dalmatiam loca transportatorum, inſcriptionumque inſignium fragmenta teſtantur. Hanc figuræ oblongæ fuiſſe præter id quod hæ ipſæ ruinæ, per fluminis Iadri ripas ſparſæ, indicant, eleganter cecinit Lucanus l. 4. Phar:

Qua maris Adriatici longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephiros excurrit Iader:

Hic utpote in loco cæteris commodiori navalia extiterunt portus tutus, & ex proximo flumine in ipſum influente habitatoribus, & Nautis aptiſſimus fuit, cum Iader piſcium ferax, quamvis parvo ſpatio navigabilis ſit, pluribus tamen in locis ex ſaxoſis ripis cadente flumine, lacus profundos, & cavernoſos, atque ob id piſcoſos, ac molas frumentarias in promptu habuit; ad expeditiones quoque in mediterraneas partes faciendas, & ad Danubium uſque res deferendas & inde recipiendas, opportuniſſimo loco Salona ſita erat; nam, quamvis Danubio non adeo proxima fuerit, ut Narona, & Epidaurus, cum tamen inter has, & Danubii, ac Savi confluentem Scardi montis aſperrima juga interponantur, hæcque commeantibus difficilia ſint; hinc factum eſt, ut rectus Salona ad Savum tranſitus deinde ſecundo Savo ad Danubii, ſive Iſtri confluentem omnium opportuniſſimus eſſet, & quo magis per Illyricum bella intercedebant, vel Romanorum dominium Septentrionem verſus dilatabatur, eo magis Salona frequentaretur: nam licet portus ipſius præternavigantibus opportunus *Strabo.*

non ſit, uti Iadræ & Epidauri, tamen in Dalmatia quidquam negotii habentibus, Salona, quaſi neceſſario, adeunda erat cum Naronam alterum conventum, difficile mari, ob Promontorii Neſti longitudinem, & non longe a Salonæ proſpectu præterire oporteret, & difficilius adverſo flumine perveniretur: ob id Dalmatiæ rerum ſummam Salonam deductam fuiſſe, cenſeri debet, prout Liburniæ Iadram: Salonæ autem, ſive Salonarum commoditati, militaribusque expeditionibus Auguſtum conſulentem, vias muniviſſe, fragmenta Inſcriptionum teſtantur:

ESAR DIV AVG III
VSTVS IMP PONT MAX
OTEST. XIIX CO II
A COLONIA SALONITAN

AESAR D AVG F
GVSTVS IMP PONTIFEX MAX
TRIB POTEST XXI .... SIII
VIAM AB SALONIS AD LII .... ASTEL
DAESITIATIVM PER M ..... V VSV
CLVI MVNII
ET IDEM VIAM AD I ... AI ... ALN
QVOD DIVI F III ..... IBUS
A SALONIS MUNII .... RIB
CIVITI
CVIVIVS VIAI MILLIA PASSVS SVNT
CLXVII MVNIT PER VEXILIARIOS
LEG VII ET XI
ITE VIAM GABINIANAM
AB SALONIS ANDETRIVM APERVIT
ET MVNIT PER LEG VII

MVNIT .... LVM MONTEM
DIVONVM
MILLIA PASSVVM
LXXVII D
A LEG PRO

In hac Salonæ ſive Salonarum Civitate Magiſtratus Provinciales ſedem habuere, in ea Chriſtianitatis Dalmaticæ cœpere primordia, a Tito Sancti Pauli diſcipulo in Illyricum invecta; martyrio autem B. Domnii, ſancti Petri diſcipuli Salonitana Eccleſia Metropolisque Dalmatiæ fundata fuit. Verum Illyricum, quod in Deſcriptione a Claudio Ptolomæo facta Dalmatiam, & Liburniam comprehendit, extendi usque ad ripas Danubii cœpit. Quod in cauſa fuiſſe videtur, ut Illyrici maritimi nomen obſoleſceret, locoque ejus Dalmatiæ vocabulum frequentaretur, & non ſolum veteres ſuos terminos ſed finitimam quoque Liburniam comprehenderet, ut Vegetius teſtatur: *Liburnia namque Dalmatiæ pars eſt Jadertinæ ſubjacens Civitati, cujus exemplo nunc naves bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnæ* Dalmatia autem ſic dilatata, quamvis Pannoniis, prout ab antiquo a Septentrione clauderetur, quia tamen earumdem termini quidam immutati fuerunt, inde Dalmatiæ quoque fines magis ampliati ſunt, qui ut percipiantur, Pannoniarum nomina indicanda ſunt, ut inde Dalmatiæ termini poſteriores apparere poſſint.

Pannonias Ptolomæus in Occidentalem, ſeu primam, vel ſuperiorem, & Orientalem, ſeu ſecundam vel, inferiorem diſtinguit, quarum deinde pars ſeptentrionalis Valeria, Auſtralis vero Savia, nuncupatæ fuerunt, ex quo Dalmatiæ fines Septentrionales dilatati ſunt, ut patebit. Nam Illyricum ſicut in 12. Provincias diſtinctum fuit ut Sex. Rufus teſtatur; ita deinde diviſo Imperio in Orientale, & Occidentale, in duas quoque partes diſtributum, & decem Provinciis Orientali relictis, ſeptem Occidentali aſſignatæ fuerunt, *Noricorum duæ, Pannoniorum duæ, Valeria, Savia, & Dalmatia.* Declinante autem Imperio, & Barbaris, Iſtro ſuperato, utrumque Illyricum vexantibus, circa finem Imperii Theodoſii Junioris Valeria inter Provincias numerari deſiit, vel quia Pannoniarum partis Danubianæ, ſeu Ripariensis (quæ Imperante Diocletiano recuperata ab ejus filia Valeria nuncupabatur,) nomen tunc in deſuetudinem abierat, vel a Barbaris vexata, Pro- *Sex. Ruf.*

vin-

vinciæ jura amiſerat, ut ex notitia conſtat.

Notitia dignitatum utriusque Imperii.

Illyrici Occidentalis Provinciæ	Pannoniæ primæ
	Saviæ
	Dalmatiarum
	Pannoniæ ſecundæ
Sex	Norici mediterranei
	Norici Ripenſis.

Sed cum eadem notitia Ducis Valeriæ mentionem faciat, ideo a nonnullis Valeria quoque inter Illyrici Occidentalis Provincias declinantis Imperii numeratur; inquirendum idcirco eſt, quæ regio, Valeria, & quæ Suavia, vel Savia nuncuparetur, ut inde quid nomine Dalmatiarum intellectum fuerit, dignoſci poſſit. Saviam & Valeriam Sex. Rufus memorat. *Batone Pannoniorum Rege ſubacto in ditionem noſtram Pannoniæ venerunt; Amantinis inter Savum, & Dravum proſtratis, regio Suavienſis, ac Secundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt. Marcomanni, & Quadi de locis Valeriæ qui ſunt inter Danubium, Dravum pulſi ſunt* Valeriam ergo intra Dravum, & Danubium fuiſſe, conſtat; Amantinorum autem Civitatem ſimul cum Sirmio intra Savum, & Dravum ponit Plinius l. 3. cap. 25. *Alter amnis Baeuntius in Saum Sirmio Oppido influit, ubi Civitas Sirmienſium, & Amantinorum inde 45. M. P. Taurunum, ubi Danubio miſcetur Saus.* Iornandes autem clarius: *Amantinis autem, qui inter Savum, Dravumque flumina inſident, Rege eorum interempto, ipſa vice Romanam fecit Provinciam,* ex quibus Saviam, inter Savum, & Dravum ponendam apparet, prout Guido Pancirollus in commentario ad Notitiam Occidentalem cap. 62. cenſet, ſimul cum Wolfgango Lazio de migrationibus gentium lib. XI. qui Sirmium Pannoniæ Saviæ Urbem fuiſſe, ſcribit; quamvis ambo ſibi ipſis contradicentes, Saviam ex meridionali quoque parte Savi ponant; Pancirollus ubi ſupra cap. 63. & Lazius Commentario Reip. Rom. lib. 1. cap. 7.

Sequitur Notitia.

Sub diſpoſitione V. Sp. Ducis Prov. Pan. ſecundæ Ripariensis, ſive Saviæ.

Sub diſp. V. Sp. Duc. Prov. Valeriæ Ripenſis.

Præfect. Claſſis primæ Pan. ſervitii Claſſis Ægeten. ſive ſecundæ Pan. nunc Siſciæ.

Præpos. Theſaur. Siſcianorum Saviæ.

Procurator monetæ Siſcianæ.

Hic confuſæ apparent Pannonia ſecunda cum Savia, & Pan. prima cum ſecunda, id autem ob Barbarorum incurſionem eveniſſe oportet, & Magiſtratus Provinciarum limitis Danubiani, Riparienſium dictarum, ſcilicet Pannoniarum, Valeriæ, & Saviæ, propter limitem Danubii deturbatum, ſimul cum Claſſe tunc ad tutiorem locum nempe ad confluentem Colapis, & Savi Siſciam receſſiſſe dicendum, eamque ob cauſam Valeriam amplius Præſidem non habuiſſe, ſed ſi quid reliquum erat, a Conſulari Pan. ſecundæ rectum, quamvis Valeriæ Dux adhuc nomen retineret, ut Pancirollus loco citato cap. 62. cenſet Cum ergo Savia ſumenda ſit pro ea regione, quæ inter Savum, & Dravum flumina, continetur, reliquum usque ad Adriaticum mare poſt Imperii diviſionem nomine Dalmatiæ, vel Dalmatiarum cenſitum fuiſſe dicendum eſt; quamvis ſed raro apud quosdam Liburnia, & Iapidia nominatæ reperiantur; ſed cum Dalmatia ab Antonini Pii temporibus plurali numero ſcripta reperiatur, & notitia ſupra *Dalmatiarum* plures quoque fuiſſe Dalmatias, vel ejus partes omnino affirmandum eſt, & cum in primam, & ſecundam, ut Pannoniæ diviſam nemo memoret, in Superiorem, & Inferiorem ad inſtar Illyrici diviſam fuiſſe, argui poſſet; tamen in Ciſmontanam, vel Maritimam & Ultramontanam, vel Mediterraneam ad inſtar Norici potius diſtributam cenſendum videtur, ſitu ipſo montuoſo id ſuadente, & partim ad meridiem, mare verſus declinante, partim vero ad ſeptentrionem Savum verſus, eo magis quod Monarchiæ quoque tempore eodem modo diſtingueretur, teſte Strabone. *Calapis amnis, qui ex Albio monte per lapides delabitur, inque Danubium exit,* (ſcilicet per Savum). Ecce Iapidia mediterranea, & paulo infra *ſequitur (ſcilicet poſt Iſtriam) Iapodum ora ſtadiorum M ſiti ſunt Iapodes ſub Albio monte* ecce Iapidia maritima; Sed de ipſa Dalmatia clarius idem Strabo. *Porro mons cui nomen Ardion Dalmatiam mediam ſecat, ut altera ejus pars ad Mare ſpectet, altera in diverſum.* Dalmatias ergo, ſive Dalmatiam in maritimam, & mediterraneam diviſam fuiſſe concludendum eſt, Montibus Albio, Bebio, & Ardio intermediis. Hæc fuiſſe Provinciarum Illyrici Occidentalis nomina diviſionemque Dalmatiæ, declinantis Imperii tempore, elici poteſt.

Itiner. Antonin.

Lib. 7.

Extincto Occidentali Imperio donec Gothi Illyrico potiti ſunt, nullam mutationem nomina Provinciarum paſſa ſunt, ut ex Caſſiodori Epiſtolis conſtat.

L. 7. Epiſt 24. forma Principis Dalmatiarum.

L. 8. Ep. 4. Univerſ. Rom. per Italiam, & Dalmatias conſtitutis.

Ep. 12. De partibus Dalmatiarum.

L. 9. Ep. 8. Dalmatiarum atque Suaviæ Provincias.

Sed recuperata, per Juſtinianum Italia ſimul cum Illyrici parte Occidentali a Gothis poſſeſſa quamvis Norici Pannonarum, Saviæ, Liburniæ, & Dalmatiæ mentio reperiatur, ut infra conſtabit, cæteris tamen in deſuetudinem abeuntibus ſola Dalmatia antiquum nomen ſingulare retinuit: Nam ſicuti Romani Illyricum acquirentes, primo Occidentem verſus dilatarunt, mox eiusdem

dem partem Orientalem Macedoniæ, Occidentalem vero Italiæ tribuentes contraxerunt, ita prolato ad Istrum usque dominio, Provincias omnes Illyrico adscripserunt: diviso deinde Imperio Illyricum quoque diviserunt, sed ab eo tempore, quo Constantinus Augustus, sedem, & decorem Imperii Bizantium transtulit, quatuor Præf. Pr. institutis, cum Orientali parti Illyrici proprium Præf. Pr. dedisset, Occidentali vero simul cum Africa Præf. Pr. Italiæ assignasset; Illyricum absolute sumptum pro Orientali Illyrico sumi cœpit: Occidentale autem pro parte Præfecturæ Italicæ censitum fuit, ut ex inscriptionibus Epistolarum Theodosii Imperat. Præfectis Prætorio utriusque Illyrici scriptarum, observare licet, ab indeque Occidentalis Illyrici nomen obsolescere cœpit: Barbaris deinde Occidentale Imperium occupantibus, si quid Illyrici Occidentalis recuperabatur, id ut plurimum Dalmatiæ adscribebatur, ut ex Procopio apparet. *Post hos (id est Græcos) sub Hesperiarum Regno Dalmatæ deinceps Liburnia, Histriaque, & Venetorum sunt loca, & Ravennam usque pertingunt, maritimique omnes ea habitant e regione, supra hos Stichii sunt, & Suevi, haud tamen Francorum sub ditione alii præterea qui mediterranea tenent, Carii deinde, Muriciique, his vero ad dextram, Dacæ, Pannoniique incolunt, quibus ad aliorum locorum possessionem Singidones, Sirmiique accedunt, & usque ad Histrum fluvium eorum propagatur Imperium. His nationibus Gothi, qui extra Ionium sinum erant, in hujus belli principio imperitabant,* item *ad id accidebat, quod Asinarium, Vligislaumque Præfectos cum maximis copiis in Dalmatiam miserat, (scilicet Rex Vitiges) ut in Gothorum hanc potestatem redigeret, imperarat, ut ex locis Suaviæ Provinciæ circumjectis, Barbarorum in societatem ascito exercitu, recta se in Dalmatiam & Salonas conferrent . . . Asinarius itaque ubi Suaviam venit, Barbarorum contraxit exercitum, Vligislaus vero solus in Liburniam Gothos ductabat . . . . Gepedes insuper Sirmium Vrbem, & Dalmatiæ alias Civitates majorem in partem præoccupantes tenebant, quas Imperator proxime a Gothis receperat . . . . . insuper (Langobardi) Dalmatiam omnem, & simul Illyricos ad usque Epidamnum depopulati . . . . Eruli præterea alia Dalmatiæ loca Imperatoris permissu, & circa Singidonem Vrbem habebant, ubi vel ad id temporis habitant, deinde Illyrios hi, & supra Thraciam omnia incursantes,* & in oratione Longob. ad Imperat. *Gepedes Imperator Sirmium habent, Romanos in servitutem abducunt, & universam Dalmatiam sui se juris feciſſe jactant.* in oratione Gepedum. *Proinde prædones isti Sirmium Oppidum & cætera Dalmatiæ loca belli vobis causam fore prætendunt . . & ab eo itinere qui recta Tessalonicam ducit (Sclavi) alio confestim divertunt, nil ausi prorsus in Campum descendere, sed Illyricis Montibus superatis in Dalmatiam pervenere.* Ex quibus Procopii locis, quamvis adhuc antiqua nomina Provinciarum Illyrici Occidentalis in usu fuisse constet, tamen apparet, Dalmatiam ab Illyrico distingui cœpisse, quod ex fragmento historiæ Menandri de Abaris, clarius perspicitur, qui relata Sirmii obsidione, & Tiberii Imperatoris solicitudine sequitur, *itaque exercituum Præfectos, Duces, & Turmarum Ductores, hos per Illyricum, alios per Dalmatiam mittit, ut præsidium Vrbi imponerent, & quoad fieri posset, custodirent,* ipsumque Illyricum pro Orientali Illyrico (quod integrum possidebant) sumptum, constat, Dalmatiæque relictum quidquid Illyrici Occidentalis in potestate Romanorum reperiebatur, quod deinde tempore Mauritii apud auctorem historiæ Miscellæ, distinctius apparet. *anno 17. Mauritii coacervatis virtutibus Chajanus in Dalmatiam properat, & cum venisset Belicham, (Anast. Baleam, Theophyl. Simoc. Banges, Cedrenus Balbam) 40. Civitates, quæ circa eam sunt, omnes depopulatus est, quibus Priscus agnitis, Gudoi, ad explorationem rerum direxit, qui in valle occultabatur, pusilla, & diluculo, in dorsa eorum advectus illico cunctos peremit, & acceptam prædam adduxit ad Priscum: Porro Chajanus infortunio comperto, in regionem suam regressus est, & Priscus ad propria,* si lectio Velica retinenda esset, hic locus supra Savum in Zagrabiensi Comitatu reperitur, ideo Dalmatiam ultra Savum tunc extensam fuisse argui posset; & quamvis, ex solo nomine hodierno unius loci totius Provinciæ antiquæ nomen determinari non debeat, tamen ipsum auctorem, regionem citra, propeque Istrum sitam significasse, apparet, nam paulo infra 19. *Mauritii anno iterum Comentiolus assumptis armatis, venit ad Istrum, & unitur Prisco apud Sigidonem, & solvitur pax.* Singidonem autem intra Savum & Dravum prope Sirmium Procopius loco supra citato ponit, & Theophylactus Simocacta l. c. 11. *Priscus, Gudoin accersitum, sumptis copiis, Singidoni succurrere jubet. Gudois Singidonem duobus fluminibus Sao, & Drao cinctam navigat.* Ex quibus tunc Romanis bella cum Avaribus circa eam partem Saviæ, quæ & Sirmiensis dicebatur, interfuisse constat, quam cum ab eisdem vexatam, integram & pacatam retinere non possent, forsan nullum in eam Magistratum miserunt, & ob id Provinciam amplius non nominarunt, sed proximæ Dalmatiæ adscribentes, ejus Magistratui demandarunt, cum Proconsulis Dalmatiæ D. Greg. mentionem faciat lib. 7. Epist. 3.

Codex Theod.

De bello Goth. l. 1.

Ex quibus colligitur, Dalmatiam uti partem Præfecturæ Italicæ, pro Italica regione a Byzantinis Scriptoribus sumptam fuisse; nam Stephani Epit. *Dalmatia Italiæ est regio,* & Constantinus Pon. *Cæterum Dalmatia Italiæ regio est,* & idem Epitomator, Dalmatiam ab antiquo Illyrico secludens, inter Illyricum Orientale

tale, & Italiam ſituat *Dalmium Dalmatiæ Urbs inter Illyridem, & Italiam* abinde dignoſcitur in ſupra relato Stephani loco de antiquiſſima maris Illyrici denominatione, ſuperabundare verbum *Dalmatico* Steph. *Iſſa eſt Urbs Lesbi, quæ Imera dicta fuit, deinde Pelasgia, huic ab Iſſa, Macarii filia nomen factum fuit, eſt item inſula cum Urbe ſibi cognomine Iſſa in Dalmatico mari, & Illyrico: eſt etiam in fœminino genere Iſſeus in Lesbo apud Parthenium in Hercule.* Mare etenim Dalmaticum dici non poterat, antequam ipſi Dalmatæ mare attigiſſent, quod ex jam dictis diu poſt Romanorum adventum eveniſſe conſtat: neque aliquis ex relatis antiquis auctoribus Dalmatici maris mentionem facit, ſolus Ptolomæus aliquas ex Inſulis Adriaticis, quas cæteri inter Liburnicas ponunt, Dalmaticas nominavit, ideo Stephanum antiquiſſima regionum Illyrici nomina referentem *Illyricum mare* ponendo tempora antiquiora denominationis Adriatici reſpexiſſe cenſendum eſt: Epitomatorem vero ejus (cum raro apud auctores maris Illyrici mentio reperiatur) ut diſtingueret, quæ de Iſſa Vrbe Lesbi in Ægæo ſita, & de Iſſa Adriatici Inſula traduntur, declarationis gratia *Dalmatici* maris nomen tunc uſitatum pro *Adriatico* addidiſſe dicendum, prout etiam apud Conſt. Porph. in Vita Avi Baſilii *mares Dalmatarum* mentionem facientis videre eſt.

Abindeque ſicuti Illyricum Occidentale, in Dalmaticum nomen tranſiverat; ita mare ei adjacens, ex Adriatico, Dalmaticum nuncupari, cœpiſſe argui poteſt, cum revera, ex Inſularum Dalmaticarum tunc dictarum poſſeſſione, totius quoque ſinus Imperium penderet, ut ſupra relatum eſt, & ex infra dicendis clarius patebit. Dalmatia ergo apud Bizantinos Scriptores, pro Illyrico Occidentali ſumenda eſt; quod apud eundem Conſtant. Porphirogenitum clare perſpicitur, qui Dalmatiam pro univerſo Occidentali Illyrico, præter Noricos, antiquitus ſumptam teſtatur, de Adminiſt. Imp. cap. 30. *Antiquitus igitur Dalmatia incipiebat a confiniis Dyrrachii, ſive Antibaris; & ad Iſtriæ confina pertingebat, ad latitudinem vero, ad Danubium flumen ſe extendebat, eratque omnis ille finitimus tractus ſub Romanorum poteſtate, & præſtantiſſimum Thema omnium Occidentalium.* Ita per temporum ſucceſſiones dilatantur, contrahuntur, & mutantur fines Provinciarum, ut exinde diverſitas nominum apud Scriptores confuſionem pariat, niſi tempora diſtinguantur. Hinc ortum habuere tot æquivocationes de Dalmatia & Illyrico apud plerosque auctores, ut ſuo loco patebit.

De illis ergo Provinciis, quæ Dalmatiarum, & Saviæ nomine nuncupatæ fuerunt, tractandum eſt, ſed cum de Dalmatia præſertim maritima ſermo habendus ſit, ideo Suaviæ & mediterraneæ Dalmatiæ termini antiqui omittentur, maritimæque Dalmatiæ tantum fines antiquos, & quos tempore, quo a Slavis occupata fuit, habuerit, deſcribere ſatis erit.

Dalmatia ergo maritima, ſicut tempore Monarchiæ Romanæ in Iapidiam, Liburniam, & Dalmatiam diſtinguebatur, Iapidia ab Iſtria, Arſia a Liburnia Tedavio; Liburnia a Dalmatia Titio; Dalmatia a Macedonia Drino fluminibus diſterminatis; ita quando a Slavis occupata fuit, ſublata his diſtinctionibus, ab Oriente Dyrrachio, ſive Drino flumine, ab Occidente Iſtria, ſive Arſia flumine, a Septentrione Albio, Bebio, & Ardio montibus, a Meridie mari Adriatico, ſive Dalmatico terminabatur.

Dalmatiæ, vel Dalmatia ſupra deſcripta ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit, donec a Slavis fere tota occupata, in Sclavoniam, ſive Croatiam, Serviam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit: poſterioribus autem temporibus Servia in Ramam, Raſciam, Bosnam, ipſamque Serviam diviſa fuit, quæ ſingulæ, diverſis tamen temporibus, Regio nomine decoratæ fuere, a recentioribus vero Scriptoribus ſicuti Savia, Sclavonia nuncupatur, ita apud Italos Dalmatiæ maritimæ nomen, cum Sclavonia confunditur, quæ, quomodo, quandove ſecuta ſint, indagandum erit?

CAPUT VII.

Quomodo Dalmatia, a variis Barbaris vexata, ac poſſeſſa, & a Iuſtiniano ſimul cum Italia recuperata fuerit?

DEclinante Imperio Romano, Dalmatia a variis Barbaris vexata fuit; extincto vero Occidentali, quamvis Herulis, & Gothis Italiam dominantibus, ſubdita, nomen tamen Dalmatiæ retinuit, Gothis deinde a Iuſtiniano victis, licet a Gepidibus, Herulis, Hunnis & Slavis depopulata, nihilominus nomen ſuum ſervavit. *Caſiodor.*

Mauritio, vel Phoca Imperante Slavos in Dalmatiam irrepſiſſe ex Epiſtolis D. Gregorii Papæ tradunt auctores, & tunc Dalmatiam ab ipſis occupatam, indeque nova nomina inducta communis eſt opinio Scriptorum: Conſtantinus autem Porphirogenitus de adminiſtratione Imperii cap. 29. & 31. tradit, Abares (quos etiam Slavos vocat) tempore Heraclii, Dalmatiam deſolaſſe, hoſque, eodem Heraclio Imperante, a Crobatis, & Serblis victos & pulſos; exa- *Procop. Blond. l. 8. Sabel En. 8. Bar. 600.*

examinanda idcirco hæc sunt, ut in rebus obscuris, cum ex Scriptorum penuria certa tradi non possint, conjecturis saltem quædam assequantur, ideo ab Auctoribus plura sparsim colligendo, causas, occasionesque inquirendo, & probabiliora desumendo, nihil determinabitur, ne alienis erroribus, vel æquivocationibus patefactis, pejora forsan proferantur, & quamvis propterea opus imperfectum futurum sit, melius tamen videtur, veritatem perscrutando imbecillitatem propriam aperire, quam ingenii ostentationem affectando, inania pro veris, vel non probata pro certis asserere; Non deerit forsan postea quispiam, qui ingenium ad certiora statuenda, & ad opus hac in parte perficiendum, felicius sortietur: hæc interim legentibus profutura haud dubium est.

Cum ad dicendorum intelligentiam, series rerum gestarum in circumjacentibus regionibus, præsertim in Italia, ad res Dalmaticas conferat, ideo quæ in Italia evenerunt, quoad Dalmatia a Slavis occupata fuit, breviter describentur: Sed cum Italici motus cum Francicis, & Hunnicis, pro temporum varietate, multas connexiones habuerint, ideo harum quoque nationum casus, qui ad dilucidationem dicendorum pertinent, tangentur, ut inde conjecturæ de rebus Dalmaticis, per se obscuræ, & incertæ, probabiliores evadant, & quamvis ex iisdem lector tædio afficietur, aptius tamen videtur in re obscurissima, alienis ex eventibus conjecturas, qualesquales sint, rebus Dalmaticis adaptare, veritatemque indagare, quam ipsis omissis, rem suæ obscuritati relinquere.

Declinante Imperio Romano, quomodo & quando a variis Barbaris Italia vexata, totumque Occidentale Imperium occupatum fuerit, (præter pauca quædam loca, in Hispania, & Gallia, quæ jus, & nomen Romanorum adhuc retinebant,) superfluum esset recensere, cum accurata a variis auctoribus descripta facile haberi possint, extincto vero opera Odoacris Herulorum
476. Regis Occidentali Imperio, Gothisque Arrianis cum Rege Theodorico in Thracia morantibus, Zeno Imperator, ut eodem tempore se hoc incommodo liberaret, Herulosque gentiles Italia, & Damatia pelleret, Theodoricum in eos concitavit, qui rem strenue gerens, brevi Dalmatiam, Rhætiam, Italiam, &
489. Siciliam recepit, Gothorumque in Ita-
493. lia Regnum instituit: Franci interim, debellatis circumjacentibus nationibus
456. transmisso, Rheno, sedem in Gallia fixerant, & Siagrio Præfecto Prætorio Gallia-
489. rum victo, ditionem in eadem Gallia dilatarant; Successor Zenoni Anastasius, cum in Asia a Persis, in Europa a Bulgaris (quorum metu muros longos in Thracia construxerat) vexaretur, Italicam & Gallicam occupationem spectare coactus fuit. Theodoricus autem affinitatibus, Reges Francorum, & Burgundionum sibi jungens, Provinciam in Gallia, suam in potestatem redegit, Visigothos Galliæ, & Hispaniæ vectigales fecit, & licet Arrianus erga Catholicos recte se gerens, pacatum regnum possedit. At cum Bulgaris victis, Pannoniam sibi vendicasset (quæ Orientali 502.
tunc tribuebatur Imperio). Anastasio *Marcel.*
Imperatori suspectus esse cœpit, cum interim Franci Christianam fidem suscepissent, eorum amicitiam Imperator sibi conciliandam duxit, ob id coronam auream pretiosissimam, & munera cum Consulatu Clodoveo ipsorum Regi obtulit, conatusque est illum, uti Catholicum contra Gothos Arrianos Italiæ possessores incitare, simulque bellum Theodorico indixit, & Tarentum oppugnavit; sed cum tunc Franci contra Burgundos bellum gererent, Theodoricusque iisdem fœderatus, nollet copias suas in Gallia pro Francis periculo exponere, ne Italiam & Dalmatiam in discrimen adduceret, ideo spectator belli Burgundici, maluit peracto bello, soluta pœna fœderis a Francis victoribus partem pactam Burgundiæ emere, quam bello se implicare; sic *Procop.*
aucta ditione Francorum amicitiam ser- *de bello*
vavit, Anastasiique conatus elusit: & *Got.*
cum Franci Burgundis devictis Visigothos in Gallia quoque vexarent, illis obstitit, ne prorsus hos delerent, ita ob suam prudentiam ab Anastasio, & ejus successore Iustino, vel a Francis nullam amplius molestiam accepit: Franci interim nullo obsistente, Thuringos domuerunt, Visigothos e Gallia pepulerunt, Allemannos subegerunt, & usque ad Saxones & Langobardos fines suos protulerunt; cum quibus Iustinianus fœdus iniit; Africamque Du- 533.
ce Belisario recuperavit, & cum Ita- 534.
liam aggressurus esset, in Dalmatiam Mundum cum exercitu misit, deinde Siciliam recepit, quo tempore Mundus 535.
in Dalmatia contra Gothos pugnans, quamvis victor, occubuit. Constantianus propterea in Dalmatiam missus, Salonis recuperatis, murisque ejus restauratis, victis Gothis, cæterisque Barbaris Istri accolis, qui iis in auxilium venerant, *Dalmatiam, & Liburniam in ditio-* *Proc. de*
nem accepit, Gothis sibi adjunctis, qui in his *bel. Got.*
locis reliqui fuerant, sed cum Gothi, amis- *l. 1.*
sa Dalmatia, Belisarium capta Neapoli in eos properantem timerent, ut contra ipsum universas vires colligerent, præsidium quod metu Francorum validum in Provincia habebant (sic suadente Vitige eorum Rege) accersivere, Provincia, spe auxilii, Francis cessa, 537.
quod prætextu fœderis cum Justiniano Francis elusere, revera tamen, ut ex eventu consilium caperent, ut paulo

post

post egerunt, cum enim iidem maximam Germaniæ partem, & accessione
540. Provinciæ Galliam universam possiderent, Theodebertus eorum Rex, Gothos bello implicitos agnoscens, magno exercitu Italiam invasit, Gothisque fugatis Liguriam occupavit, sed majori parte exercitus morbo pereunte domum inglorius rediit; Vitiges interim Francorum auxiliis delusus, cum pares Belisario vires non haberet, Persas contra Iustinianum irritavit, qui, Oriente afflicto, Antiochiam ceperunt; Hunni quoque tunc Illyricum populati sunt, adeo ut nisi Belisarii virtus bello Gothico cito finem imposuisset, Iustinianus coactus fuisset ipsum revocare, ac in Orientem mittere, & cum Gothis pacisci, prout eadem ipsum meditatum esse, tradit Procopius. Victis Gothis, captoque Vitige, Belisarius speciosissimum triumphum de Italia egit, sed ipso recedente insurgentes Gothi, Totila creato Rege, Italiam totam perturbarunt, Romamque ceperunt, & quamvis Belisarius reversus propria virtute, Romam recuperaverit, tamen ex virium imbecillitate parum proficere potuit, abeunte vero iterum Belisario, Italia pessum ivit, & Dalmatia a Gothis vexata fuit,
548. eodemque tempore Illyricum a Slavinis similiter vastatum ex Procopio
Procop. l. habetur. *Sclavini vero qui Imp. ante has ter-*
3. *ras invaserant, & gentis ejus alii subsequuti, Histro transmisso, cum suis statim se jungunt, qui jam regionem paulo ante, & licentius incursarant, nonnullis existimantibus, Totilam ipsum Barbaros hos pecunia non pauca corruptos, atque adeo persuasos, idcirco in eam Romanorum Provinciam immisso, ut Imperatori adversus Gothos, nulla de cætero foret ex æquo bellum administrandi facultas, cum in expugnandis Barbaris vires intenderet suas; sive igitur, ut Totilæ gratificaturi, sive de se, nec vocati quidem Sclavini, se eo contulerint, nil habeo, quod pro certo affirmare sat queam. Quum in tres itaque partes Sclavini partiti copias essent, diversim vagati, Europam malis insanabilibus affecere.* Dalmatiam tunc Slavorum incursionem passam, & prima vice forsan, conjectari potest. Franci quoque distractis bello Gothis, Venetiarum partem occupavere. Tandem maximo ap-
549. paratu Narses in Italiam missus, collectis multarum nationum militibus, Salonisque junctis copiis, cum terrestri itinere per Venetos proficisci a Francis impediretur, (prætextu Longobardorum ipsis infestissimorum, qui cum Narsete militabant, tamen ut Romanorum progressum prohibentes Gothorum imbecillitatem in rem suam verterent,) per æstuaria Venetorum Ravennam pervenit, variisque conflictibus devicit Gothos, quod Franci indigne ferentes, antequam totam Italiam occuparet, duos exercitus misere, quorum altero morbo pereunte, altero cæso, Narses Francos tota Italia expulit, pacatamque deinde reformavit; ex supradictis constat, 557.
Salonam in Dalmatia Civitatem superstitem adhuc fuisse, maximaque commoda Iustiniani Ducibus, bello Gothico præbuisse, ideo falsum, quod Blondus & Bonfinius ex Annalibus Vngaricis referunt, Attilam scilicet Salonam cæterasque Dalmatiæ Civitates destruxisse, cum qui gesta Attilæ scripserunt, ipsum ne quidem in Dalmatia fuisse dicant, nunquid vero tot Civitates ab eo eversas scribere prætermisissent, cum Salonarum recuperatio a Iustiniani Ducibus post mortem Attilæ plus centum annis evenerit: fabulosum itidem est, quod Diocletianus Presbyter refert in historia Regum Dalmatiæ a Mauro Orbino in tractatu: *Il Regno delli Slavi* nuncupatio edita, dum Anastasii Imperatoris tempore, alterum Regem Salonæ, alterum in Istria ponit, hosque a Gothis victos narrat, & ex ipsis Gothis, Reges Dalmatiæ deducit, aliaque his similia subdens, fidem cæteris sibi contemporaneis detrahit, quem sequitur Thomas Archidiaconus Spalatensis, qui ex eo Gothos cum Slavis confundit, prout & Iacobus Luvari, in Annalibus Ragusinis multa ex eo desumens, & si qui alii ejusmodi scripsere; sic non examinatis iis, quæ legerunt, vel audiverunt, more vulgi scribentes, fidem propriam in cæteris: quæ vera referunt, in dubium revocant: Dalmatia ergo in Romanorum potestatem, cum Africa, & Italia hoc modo rediit.

CAPUT VIII.

Quomodo Dalmatia a Slavis populata fuerit?

CVm Langobardi majorem partem Italiæ Iustino Imperante ceperint, iisdemque in Italia regnantibus, Dalmatia a Slavis occupata fuerit, ideo quædam Longobardorum gesta narranda erunt, ut conjecturæ, quæ contra communem, de Dalmatiæ occupatione, sententiam, promentur, melius percipi possint, simulque res Franciæ & Hunnicæ tangendæ, ex quibus Hunnos Longobardis fœderatos, Dalmatiæ populationis impulsores fuisse apparebit, eo vero magis Francicas prosequi par est, quia Franci, domitis Longobardis & Hunnis Dalmatiæ quoque partem simul cum Italico Regno possederunt. Longobardos enim in Pannonias venisse, ibique per annos 42. habitasse Paulus Diaconus tradit, deinde Alboinum ipsorum Regem Gepidibus devictis, ac relictis Pannoniis cum suis Longobardis,

Paul. Diac. l. 2. cap. 6. & c. 26.

amicis Saxonibus, ſubditis Gepidibus, aſſociatis ſibi *Bulgaris*, *Sarmatis*, *Pannoniis*, *Suavis*, *Noricis*, & *aliis ejusmodi nominibus* maximis viribus Italiam invaſiſſe, occupataque tota fere Gallia Ciſalpina, Tuſcia, & Vmbria, Longobardorum Regnum in Italiam tranſtuliſſe, regionesque diſtinguendo, Ducatus Forojulii, Spoleti, & Tuſciæ inſtituiſſe: Longobardorum deinde Regno per 30. Duces gubernato, Mauritius Imperator Francos contra eos incitavit, quorum timore perculſi Longobardi, Childeberto Francorum Regi 12. millium ſolidorum, tributum pepigere: ſed a Mauritii legatis juveni Rege 50. millium oblatione illecto, contra Longobardoſque bellum parante, Longobardi ſimul convenientes, ut facilius Francis, & Romanis, reſiſtere poſſent, Regem Autarim creant, qui Francos invadentes, loca tuta tenendo, deluſit, Romanis Samnium eripuit, Ducatumque Beneventanum inſtituit. Autari Agilulfus ſucceſſit, qui Catholicam fidem amplexus, ſæpius cum Francis fœdus renovavit, provocatus vero ab Exarcho, ob filiam & generum captos, Romanis bellum acre intulit.

568. 571. 575. 584. 585. 586. 589. 591. 600.

Circa hæc tempora Slavos ex D. Gregorii epiſtolis Dalmatiam occupaſſe, referunt communiter auctores; Sed quum Slavos, Abares etiam vocet Porphirogenitus, ideo de his nonnulla dicenda.

Evag. Scoli l. 5. c. 1.

Abari Scythica Hamaxobiorum gens, qui campos ultra Caucaſum exiſtentes depaſcuntur, a vicinis Turcis pulſi littora Euxini relinquentes, ad Boſphorum venerunt, & expugnatis omnibus Barbaris, qui in medio erant ad Iſtrum pervenere,

Idem l. 6. c. 10.

& legationem ad Iuſtinianum miſere. Iuſtini ejus ſucceſſoris tempore Illyricum populati, uſque ad murum longum Thraciæ pervenere: Hos autem Abares, non fuiſſe Abares ſed Hunnos *Vn*, *Ir* vel *V*, *er* & *Chunnos* dictos Theophylactus Simmocata, Nicephorus, Caliſtus, & Paulus Diaconus late ſcribunt: Hi ergo Hunni Abares dicti, ſimul cum Longobardis Gepides vicere, deinde Longobardis in Italiam digreſſis, Pannonias ab iiſdem relictas occuparunt, Slavoſque Iſtri accolas ſibi aſſociantes, eo potentiæ devenere, ut Francis infeſti, Tiberium Imperatorem ſibi tributum annuum 100 m. numorum dare, ejuſque ſucceſſorem Mauritium uſque ad C. millia augere coegerint: Agilulfus ergo Lang. Rex, cum hinc Romanos, inde Francos timeret, Abares hos, ſive Hunnos utriſque formidabiles (quamvis idololatras) metu ſic ſuadente, ita ſibi conciliavit, ut non ſolum cum ipſis contra Romanos fœdus percuſſerit, ſed eorundem favore, pro pace cum Francis conſervanda uſus ſit, deinde provocatus filiæ cum genero captæ cauſa, ut ſupra dictum eſt, cum Romanis bellum inferre vellet, nec Francos ſibi fœderatos, bello etiam civili tunc implicitos, timeret, ac Ducibus ſuis non fideret, quorum aliquos rebelles domuerat, & Tridenti Foro juliique Duces ab eo aperte deſciviſſent, Abares, & Slavos fœderatos in auxilium advocavit, quorum ope multas Civitates Romanis eripuit, & irarum plenus evertit, Ducibusque Tridenti, & Foro julii ad officium reductis Iſtriam populatus eſt. *Iſtriam Longobardi, cum Avaribus, & Sclavis ingreſſi univerſa ignibus, & rapinis vaſtaverunt.* De his Slavis D. Gregorius ſcripſiſſe videtur. *Maximo Salonitano Epiſcopo ad Romanam veniens Vrbem, communis filius Presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, ut fraternitatis tuæ epiſtolis per me reſpondere nullatenus valuiſſem, & quidem de Sclavorum gente, quæ vobis valde imminet, & affligor vehementer, & conturbor, affligor in his quæ jam in vobis patior, conturbor, quia per Iſtriæ aditum jam Italiam intrare cœperunt.* Idem Zonaras tradit in Mauritio *pacem cum eo (ſcilicet Avarorum Rege) facit, ſed Chaganus, ut inſatiabilis, & perfidus dolo Romanos aggreſſus, ipſe quievit, Slavorum gentes quaſdam ad populandas Provincias concitavit, quæ uſque ad murum longum ſunt progreſſæ, quapropter Imperator Commentiolo Duce creato, Barbaros improviſo adventu, Romanis finibus expulit, multis cæſis, & præda omni, captiviſque receptis;* item poſtea *Chaganus, Romanas Provincias rurſus aggreſſus, miſſas contra ſe legiones, alias vincebat, alias vincebatur.* Dalmatiam quoque tunc a Slavis cum Iſtria, cæteroque Illyrico populatam argui debet, hocque multoties eveniſſe ex iis, quæ auctor hiſtoriæ miſcellæ refert, dicendum eſt. 17. *Imper. Mauritii anno coacervatis virtutibus Chaganus in Dalmatiam properat, & cum veniſſet Belicham (Theophylactus Simocatta, Banges, Georg. Cedrenus Balbam) 40. Civitates, quæ circa eam ſunt omnes depopulatus eſt, quibus Priſcus agnitis, Gudoni ad explorationem rerum direxit, qui in valle occultabatur, puſilla, & diluculo in dorſa eorum advectus, illos cunctos peremit, & acceptam prædam adduxit ad Priſcum. Porro Chajanus infortunio comperto, in regionem ſuam regreſſus eſt, & Priſcus ad propria. Anno Imp. Maur. 19. iterum Comentiolus aſſumptis armatis venit ad Iſtrum, & unitur Priſco apud Singidonem, & ſolvitur pax, quæ ad Avares erat, qua diſſoluta veniunt in Viminacium, quod eſt Inſula magni Iſtri, quibus auditis Chajanus collectis Potentatibus ad Romacia procedit rura; quatuor ergo filios traditis aliis virtutibus ad cuſtodienda vada Iſtri conſtituit. At vero Romani ratibus factis, fluvium tranſmearunt, & Prætore Priſco, bellum cum filiis Chajani inierunt. Comentiolus enim infirmatus in Viminacio ſedebat Inſula; cumque multas horas bellum tenuiſſet, & 300 jam Romanis interemptis, Sol occubuiſſet, 4000 Barbarorum intereunt, ſimiliter & tertia die præliantes ab excelſioribus Rom. ad Barbaros acceſſerunt, hosque vertentes, Avares multos necaverunt ex illis, inter quos & filii Chajani necati ſunt, illuſtremque victoriam Romani induerunt. Chajanus vero coacervatis viribus copioſis, contra Romanos progreditur; bello autem manente vertunt Romani Barbaros, & hanc omnibus inſigniorem retulere victo-*

P. Diac. ibidem.

D. Greg. epiſt. l. 8. ep. 36.

L. 16.

victoriam. Interea Priſcus, 4000. præmiſſis, Tyrſo (Tiſſon) amne tranſmiſſo, Barbarorum explorare motus præcepit, at vero nil eorum quæ facta fuerunt Barbari cognoſcentes, feſtum diem concelebrant, & pariter convivantur, in hos clanculum Romani inſidentes, maximum operati ſunt metum, triginta quippe millia Gepidorum, Barbarorumque aliorum occiderunt, & copioſa præda comprehenſa, revertuntur ad Priſcum. Chajanus autem rurſus, potentatibus cumulatis, venit ad Iſtrum, & invito bello Barbari ſuperantur, & amnis fluentis necantur, pereuntque cum his plurimi quoque Sclavinorum, vivos autem obtinuerunt Avarum quidem 3000. Sclavinorum vero 800. & Gepidarum 3200. nec non & 2000. Barbarorum. Eadem Theophylactus Simocatta pluribus verbis refert, numerumque captivorum auget, quos in Vrbe Tomea miſſos, & Chagani aſtu reſtitutos ſcribit, l. 8. c. 2. 3. & 4. ex quibus Dalmatiam ſæpius, ab Abaribus, & Slavis populatam dici poteſt, occupatam autem affirmari non poteſt: cum Imperii vires nondum in Aſia diſtractæ, validæ, in utroque Illyrico eſſent, & ſæpe de iiſdem Abaribus, & Slavis victrices, non ſolum in Dalmatia, ſed ad Iſtrum, & ultra, numquid Dalmatiam occupare permiſiſſent: neque ex epiſtolis D. Gregorii Dalmatiam occupatam fuiſſe concludi poteſt, cum Slavos Dalmatiæ imminentes, & Iſtriam ingreſſos tantum, non occupaſſe, memoret Gregorius; imo, ex ſerie verborum ejuſdem epiſtolæ, Dalmatiam ita debilem non fuiſſe, ut everſionem Civitatum, præſertim maritimarum, timuerit, comprehenditur; quod ex poſterioribus ejuſdem epiſtolis Io. Primæ Iuſtinianeæ, & Conſtantino Scorditano Epiſcopis, de Paulo Diocleſiano Epiſcopo, prout, & Firmino Hiſtriæ Epiſcopo anno 602. ſcriptis, confirmatur, in quibus de Slavis ne verbum quidem: ideo ſicuti tunc Slavos Iſtriam populaſſe cum Paulo Diacono concordat Gregorius, ita Dalmatiam occupaſſe non conſtat; poſteriusque id eveniſſe concludendum eſt, tempuſque indagandum.

CAPUT IX.

Quando Dalmatia ab Abaribus, vel Slavis occupata, & Civitates maritimæ deſtructæ fuerint?

HEraclio Imperante Dalmatiam a Slavis, vel Abaribus occupatam, Porphirog. aſſerit, & Anaſtaſius Bibliothec. Ioannem Papam quartum Dalmatas captivos redemiſſe, corporaque Sanctorum, e Dalmatia, & Iſtria Romam transferenda curaſſe, refert; cum vero Ioannem IV. tempore Heraclii fuiſſe, conſtet, ideo ex hac captivorum redemptione, circa ea tempora Dalmatiam occupatam argui poteſt, nec non Dalmatas tunc in captivitatem ab Abaribus, vel Slavis Idololatris ductos, & a Papa Dalmata redemptos, Sanctorumque Corpora e Civitatibus deſtructis translata affirmari, quod & Porphirogeniti dictis adſtipulatur: eodem tempore Salonæ everſionem ſecutam Archidiaconus Spalatenſis tradit, ut infra; ſed quæ cauſa, quæve occaſio Abaribus vel Slavis Heraclio Imperante Dalmatiæ occupandæ fuerit, indagandum: cum præſertim Civitates maritimas, cæteris validiores, ac ſubſidia in promptu habentes occupare facile illis non fuiſſe, cuilibet æquo æſtimatori cenſendum ſit.

Heraclium cum Longobardis uſque ad Rotharii Regnum nullum bellum geſſiſſe hiſtorici memorant, ab Abaribus vero maximas incurſiones paſſum, pacemque ſæpe renovaſſe tradunt: de Dalmatiæ autem occupatione nihil apud quemquam præter Phorphir. reperitur. Sed cum eodem Heraclio Imperante Coſroes Perſarum Rex bellum acre Romanis intuliſſet, Hieroſolymamque occupaſſet, & Abaras, Sclavinos, Bulgares, & Gepidas contra eoſdem incitaſſet, atque ob id Heraclius pacem cum Chagano facere utcunque coactus fuiſſet, ut Perſis reſiſtere poſſet indeque in Aſia diu detentus, cum Perſis prius, deinde cum Saracenis longo tempore bellum geſſiſſet; hoc interim Rotharis Longobardorum 638.
Rex creatus eſt, quem primordio ſui Regni victis Romanis, Cottias, Alpes, & Venetæ Provinciæ, reliquum occupaſſe conſtat, ac proinde ſi diceretur, Rotharim cognoſcentem, Francorum Regem Dagobertum ſedando Regno implicitum, & Saxonum, Slavorumque motibus occupatum: Romanos vero in oriente afflictos, amiſſis Syria, Ægypto, Hieroſolyma, & Antiochia, occaſionem nactum, ad reliqua Occidentalis Italiæ ſubigenda animum intendiſſe, cumque Romanorum vires in Italia, ex Dalmatia maximam commoditatem, & adjumentum percipere animadverteret, præſertim a Salona, cæterisque maritimis Civitatibus, ex uſu navigationis, ſupplementis militum, & commeatibus convehendis; ideo, vel exemplo Totilæ, & Agilulfi, Avares, Slavosque Iſtri accolas, contra Imperium concitaſſe, (quid ſi ipſi Saracenſi exemplo Coſroes idem fecere) ſi quis tunc Abares, cum Slavis, inſtigantibus Longobardis, & Saracenis, vel Romanorum in Aſia excercitibus divictis occaſionem nactos, per ſe ſolos propria utilitate ſuadente, Dalmatiam militibus vacuam non incurſionibus, ut ante, ſed validiori apparatu aggreſſos diceret, an incongruum quid conjectaſſe videretur? Quomodo autem quando Aſia vexabatur res Romanæ ſe in Europa habuerint Menander in fragmentis, Tiberio Imperante, refert. *Prætera copi-*

614. *Hiſt. Miſc.*

as non dico, quæ ſatis eſſent ad reſiſtendum Abaris, ſed ne minimas quidem omnino habebat. Etenim omnes excercitus, quos conſcripſerat, Perſico bello in Armenia, & Meſopotamia occupati erant, & infra *vaſtata a Sclavinis Græcia, cum undique alia, ex aliis pericula immineret, & exorirentur, neque Tiberius ſatis copiarum haberet, quibuscum una parte hoſtium, nedum cum toto hoſtili agmine manus conſereret, neque in ejus poteſtate eſſet, hoſtibus obviam ire, propterea, quod Romanorum vires ad Orientis bellum converſæ erant, legatum miſit ad Baianum Abarorum Ducem.* Quod ſi tunc propter Perſicum bellum, nondum rebus eorum afflictis, ſcriptores virium Europæarum imbecillitatem fatentur, quanto magis tempore Heraclii ex diuturnitate belli Aſiatici, tot locis amiſſis imbecilliores evaſerint, Illyricumque militibus deſtitutum fuerit, cenſeri poteſt; tunc ergo Dalmatiam occupatam, & Civitates maritimas propriis civibus (qua in Italia diſtractis) deſtitutas, facile in poteſtatem Avarorum, vel Slavorum venire potuiſſe perſuaderi poteſt, maxime, ſi expugnandarum Vrbium rationem a quopiam edocti fuiſſent, quod vero ſimiliter Longobardis tribuendum eſſet, Civitateſque maritimas captas deſtruxiſſe, vel Longobardis gratificantes, ut Græcos hac opportunitate ad Italiæ reliqua ſuſtinenda privarent, vel quia eædem Civitates ipſis parvo, vel nulli uſui eſſent, cum patrio more mapalia incolerent, ne Dalmatis ad Inſulas ſe reducentibus receptacula contra ipſos eſſent, poſſeſſionemque Dalmatiæ terreſtris inquietarent, tunc Salonam, Scardonam, Naronam, & Epidaurum deſtructas, quarum nunc tantum ruinæ cernuntur, veroſimile videtur, captivosque a Præf. Pr. Joanne Dalmata redemptos temporibus congruit, hanc autem Dalmatiæ occupationem Conſt. Porph. Heraclii tempore ſecutam ſcribit; nam ait: *Sclavi, vel Avares transdanubiani, occiſis equitibus Romanis, veſtibus eorum induti, ad clauſuram admittuntur Salonam quoque capiunt*, & infra, *atque hi ipſi Rhauſini olim tenuerunt Urbem Pitaura, & poſtea cum reliquæ Urbes expugnatæ a Slavis eſſent, qui in hoc Themate, hæc quoque Urbs capta fuit, & Cives partim interfecti, partim vinculis abducti, qui fuga ſalutem invenire potuerunt, loca prærupta inhabitarunt, ubi Oppidum eſt.* & infra cap. 30. narrata Salonæ occupatione *interfecerunt omnes (ſcilicet Oppidanos) & ex eo tempore Dalmatiam univerſam tenuerunt, Sedemque illic ſuam collocarunt, exceptis Oppidulis ad mare adjacentibus, qui ſe ſe ipſis non tradiderunt, ſed in Romanorum poteſtate permanebant, eo quod ex mari victitarent*, ex quibus innuere videtur, Salonam tunc captam quidem, ſed non deſtructam, Oppidave quædam maritima ne quidem occupata: Thomas autem Archidiaconus Spalat. diuturna obſidione, maximiſque conatibus oppugnatam, tandemque propter Civium ad naves fugam captam, & deſtructam Salonam prolixo ſermone narrat; qui, quamvis trecentis fere annis Porphir. poſterior fuerit, non levis fidei auctor cenſendus eſt, propter antiquitatem, quæ illi auctorum fortaſſe hodie non extantium copiam præbuit; quamvis Gothos, ex Diocleate cum Slavis confundens in unam gentem coaluiſſe dicat, hancque Salonæ deſtructionem Ioh. Præf. Pr. tempore ſecutam tradit. *eodem tempore Io. Sum. Pont. Apoſtolicæ ſedis cum eſſet Dalmatinus natione, audiens ſuæ gentis miſerabilem caſum, valde condoluit, miſitque Abbatem quendam Martinum nomine cum multa pecuniæ quantitate pro redimendis captivis, qui veniens ad partem Dalmatiæ, multos redemit captivos a Slavis, eosque ad parentes ſuos remiſit: Iſte Martinus ex Apoſtolica juſſione multorum Sanctorum reliquias accepit in partibus Dalmatiæ, & Iſtriæ, & detulit eas Romam ad prædictum Papam Ioannem, qui Venerabilis Pontifex eas reverenter ſuſcipiens, recondidit apud Eccleſiam B. Iohannis Lateranenſis, ubi eſt fons Baptiſterii*, quæ cum ad verbum fere cum relatis ab Anaſtaſio Bibliothecario in vita Io. Papæ IV. conveniant, circa ea tempora occupationem Dalmatiæ, civitatumque deſtructionem ſecutam, ſcilicet prope finem Heraclii dicendum videtur; ſed an cæteræ quoque Civitates maritimæ, cum Salona, & Epidauro deſtructæ fuerint, incertum: quamvis Porph. ſervatas ſcribat, inter quas Spalatum ponit, quæ tunc Civitas non erat, ſed Palatium quondam Diocletiani, in quo Gynæceum, ſive textrinam Pannorum memorat Notitia utriuſque Imperii, & tunc deſertum jacebat, ut idem Archid. ait: at cum ad Iadræ ruinas aliquos, ex Salonitanis profugos appuliſſe, narret Archid. Iadram quoque tunc deſtructam, fatendum eſſet, cum quo Porph. dicat. *Salonam tranſiiſſe Rauſium anni ſunt D. in hunc uſque diem*, ex hocque ſibi quodammodo contradicere videatur, & innuere, Salona deſtructa, Salonitanos Rauſium tranſiiſſe, niſi mendum annorum numeri in codice Porph. ponatur, ipſum male ſupputaſſe oportet, ne ad Attilæ tempora, ſupra refutata, Salonæ deſtructio referatur, tamen in his non eſt immorandum, eo, quia, ſi cæteræ quoque Civitates tunc deſtructæ fuerint, ab iisdem quoque Romanis reædificatæ ſint, ut de Rauſio Porphir. ab Epidauris, & de Spalato Archidiaconus a Salonitanis, ac ob id, quodammodo etiam ſervatæ dici poſſunt.

Cap. 29. Cap. 7. Bar. 640. Cap. 8. Cap. 9. & 10.

Heraclii ergo temporibus Dalmatiam ab Abaribus, vel Slavis occupatam, potius, quam Mauritii, vel Phocæ, ex ſupradictis conjectandum eſt: ſed cum Porphir. Abares Slavos etiam vocet, Abares autem Hunni eſſent, procul dubio diverſi a Slavis fuere, ut ſupra dictum eſt, Slavos autem Socios Avarum fuiſſe, ex Zonara, & clarius ex Theophylacto Simocatta in Mauritio conſtat, ideo nil mirum ſi Porph. Slavos cum Abaribus confundens, in æquivocationem lapſus eſt.

CA-

CAPVT X.

De reædificatione aliquot Civitatum Dalmaticarum.

INcertior est Civitatum maritimarum Dalmaticæ continentis reædificatio, quam earundem destructio, cum præter Porphir. de Rausio, & Archidiaconum de Spalato nihil apud quemquam reperiatur. Porphir. enim de Rausio cap. 29. ait: *Urbs Rausium non appellatur Rausa, dialecto Romanorum; sed quia in locis præruptis sita est, appellatur præcipitium. Lau, unde inhabitantes Lausini, id est, præcipitium insidentes, communis vero usus, qui sæpe litterarum commutatione, nomina corrumpit commutato nomine Rausios appellavit. Atque hi ipsi Rausini olim tenuerunt Urbem Pitaura, & postea cum reliquæ Urbes expugnatæ a Sclavis essent, qui in hoc Themate, hæc quoque Urbs capta fuit, & Cives partim interfecti, partim in vinculis abducti, qui vero fuga salutem invenire potuerunt, loca prærupta inhabitarunt, ubi nunc Oppidum est, primo exiguum illud ædificantes, & postea majus, mox rursus, & quartum pomœria protulerunt brevi temporis spacio, propter incrementum, & multitudinem.*

Ex quibus apparet Epidaurenses, cum Patriam ob virium imbecillitatem restaurare non possent, ad proxima littora deserta, & prærupta confugiendo, rupem in peninsulæ formam existentem, portumque efficientem insedisse, Lausiumque, sive Rausium, exilem primo Civitatem fundasse, deinde tractu temporis pluribus vicibus auxisse, prout & Archid. de Spalato similia refert: nam narrato quomodo Salonitani ad Insulas refugientes, partim per varia loca sint dispersi, partim in ipsis Insulis remanentes, Slavos infestando, littora incolere prohibuerint, sequitur.

Cap. 10. *Erat autem inter Salonitanos, qui ad proximas Insulas secesserant vir quidam Severus nomine, cujus domus fuerat juxta columnas Palatii, supra mare. Hic quia præ cæteris majori auctoritate pollebat, Magnus Severus appellabatur. Iste cœpit adhortari Concives suos, ut ad patriam redirent, sed quia non erat tutum inter ruinas Urbis antiqua habitacula ponere, consulebat iis, ut in ædificio Diocletiani se interim reciperent, ubi securius commorantes, aliquam saltem particulam sui territorii incolere sine magno timore valerent, donec rebus prosperius succedentibus, Salonam reædificandi possibile foret, & tandem placuit hoc consilium Nobilibus & popularibus universis, & tale pactum inter se statuerunt, ut ditiores propriis sumptibus ædificarent: cæteri vero, quibus res non erat sufficiens pro domibus construendis, haberent turres circumpositas pro habitaculis suis: reliquum vulgus habitaret in fornicibus, & cryptis. Tunc auferentes omnia, quæ habebant in Insulis, ac navibus imponentes, transtulerunt se cum mulieribus, & parvulis, exceptis animalibus, & venientes intraverunt prædictum ædificium, quod non pro Civitate, sed pro Regia aula constructum erat, & quia spatiosum erat Palatium, Spalatum appellare cœperunt. Ibi ergo se collocantes posuerunt habitacula vilia, sicut temporis necessitas exigebat, & sic illa populosa Civitas Salona nobilis, & antiqua pro multis peccatis, quæ in Deum commiserat, ad tantam extitit miseriam devoluta, ut de illa magna sui populi frequentia non tot remanserint, qui possent illius parvi Oppidi ambitum Civibus replere, sed in ea parte, quæ supra mare respicit, se componentes reliquam partem urbiculæ vacuam dimiserunt.*

Ex quo apparet quam exiguus Salonitanorum Civium numerus, Spalatum occupaverit, qui tamen ex Turrium celsitudine, quibus ex tribus lateribus Palatium circumdabatur, & murorum crassitie, & firmitate tuto ibi habitare poterant, de quibus Porphir. dict. cap. 29.

Urbs autem hæc (Spalatum) neque e latere est, neque ex Enchorego, sed ex lapidibus quadratis ulnarum sæpe duarum longitudine, & unius latitudine, qui compaginati inter se junctique ferro in plumbum liquefactum impacto.

Quorum murorum pars major integra extans magnificentiam Romanam testatur, ex iisdemque cognoscitur, quam facile a Slavis Salonitanorum reliquiæ se defendere possent. Tragurium vero in peninsula tunc existens, tenui Isthmo continenti jungebatur, ut Porph. refert eod. cap.

Urbs Tetragurium parva quædam in mari Insula est, angustissima cervice ponticuli instar ad terram usque porrecta, qua Oppidani in Urbem transeunt.

Ideo facile a parte continenti obversa muniri potuit, & ex proxima Insula, Boa dicta, portum efficiente, ipsique supereminente, defendi. Jadræ autem situs, sicuti ad Insulas Occidentales, Adriaticique dominium servandum Græcis necessarius erat, ita majorem diligentiam in ejus defensione adhibitam censendum est; cum in Promontorio fere peninsulari sita sit, Classe Græca opem ferente, facile defendi potuerit; ad cujus restaurationem cum Salonitanos convenisse Archidiaconus scribat: ex cæteris quoque Civitatibus destructis alios etiam tamquam ad commodiorem & tutiorem locum illuc convenisse probabile est; cum ibi portum cæteris navigationi aptiorem, & ex vicinarum Insularum numero & amplitudine, commoditatem majorem se habituros speravisse, censendum sit. Ad has ergo Civitates Iadram videlicet, Tragurium, Spalatum, & Rausium in continenti Dalmatica, nomen Romanorum, vel Dalmatarum restrictum fuit, sed cum terram vicinam colere, a Slavis prohibitos Spalatenses, Archidiaconus scribat, loco supra citato, & ab Imperat. Constant. jussionem impetrasse, ob idque Duces Slavorum ausos non fuisse molestare Spalatenses, permisisseque terram colere, & inde mutua negotia, exercitia, & connubia juncta referat, sed quando hæc evenerunt, non exprimit, at cum superstite Severo Salonitano Cive, Spalatum habitari cœptum referat, non multis annis post Salonæ eversionem id evenisse oportet:

Sed si ex statu Imperii conjecturam capere licet, Iussionem Imper. Constan. Slavos parvi pendisse dicendum videtur; usquequo maximæ Saracenorum incursiones viguerunt, quibus per tot annos vexatum fuit imperium, ipsaque Constantinopolis obsessa, ac pace cum iisdem Constantinum Pogonatum faciente,
667. de qua Zonaras.

Ea pace cognita, Occidentales Romanorum hostes, & ipsi Legatis cum muneribus ad Imperatorem missis pacem impetraverunt.

Et clarius Nicephorus Patriarcha.

Quæ ubi ad Occidentales Barbaros delata sunt, Avarum scilicet Ducem, aliosque Principes, qui ultra eos ad Occidentem habitant, munera cum legatis ad Imp. mittunt, ac pacem postulant, quibus Imp. assensus est; ita deinceps tam in Oriente, quam in Occidente altissima pax ac tranquillitas fuit.

Tunc pacem Occidentalibus Slavis facientibus, Dalmatas quoque quiete terras vicinas colere permissos conjectari potest; nisi maritimarum rerum indigentia Slavos, & victualium ex continenti Dalmatas, mutua necessitas convenire coegerit, negotiaque exercere, ac connubia juncta, prius quam Slavi Christiani fierent, dicendum non est; quamvis Archidiaconus, ex Diocleate Slavos Gothos esse præsumens, eos Christianos, sed Arrianos fuisse, scripserit.

CAPUT XI.

De Croatis, & eorum Baptismo.

DE Croatis, Porphirogenitus loco supra citato cap. 30. sequitur. *Abares itaque, pulcherrimam esse hanc terram (id est Dalmatiam) videntes, sedes illic posuerunt, Chrobati vero tunc habitabant ultra Bagibaream, ubi nunc sunt Belochrobati, una vero generatio nempe quinque fratres Clucas, Lobelus, Cosentzes, Muchlo, Chrobatus, duoque sorores Tuga, & Buga, una cum suis descendentibus ab ipsis in Dalmatiam veniunt, ubi Abares incolas invenerunt, belloque per annos aliquot inter se gesto vicerunt Chrobati, Abarumque partem occiderunt, cæteros parere sibi coegerunt, atque ex illo tempore a Chrobatis possessa hæc regio fuit, suntque etiamnum in Chrobatia Abarum, reliquiæ, & Abares esse cognoscuntur.* & cap. 31. *Chrobati, qui Dalmatiæ partes incolunt, a Chrobatis Albis Baptismo expertibus, originem ducunt, qui ultra Turciam, prope Franciam, habitant, & Sclavis contermini sunt non baptizatis, Serblis, qui Chrobati dicuntur, lingua Sclavorum, id est terram multam possidentes, atque hi ipsi Chrobati ad Rom. Imp. Heraclium confugerant ante Serblos, quo tempore Abares armis inde Romanos ejecerant: quos Roma advectos Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, unde, & Romani dicti sunt, quod Roma venientes sedes posuerunt in illis regionibus, nempe Chrobatia, & Serblia. Pulsis vero iis ab Abaribus in diebus ejusdem Heraclii desolata, eorum regio jacuit; quapropter ejus jussu iidem Chrobati armis arreptis Abares ex illis locis expulerunt, & in ipsorum terra, quam etiam hodie tenent, sedes collocarunt.*

Animadvertendum est Porphirogeniti χρωβάτοι Græce *Hrouati* exprimi, latina autem versione *Chrobati*, qui Slave *Hruati* indigetantur, & sicuti Græci aspiritatem vitantes ω tantum addentes *Hrouati* pronunciant, ita latini cum χ non habeant, prout Græci, & Slavi, loco ipsius *ch* ponentes, non recte aspirationem χ exprimant, ideo vox diversificatur, & eo magis quod β Græcum in *b* latinum utplurimum vertitur, quod hic in *u* verti deberet, ut cum Slavorum *Hruati* propria prolatione conveniret, sed commune est omnibus nationibus, ut altera, alterius voces in suam linguam vertendo, Characteres addendo, minuendo vel mutando, diversa a propria prolatione exprimat: quod autem Chrobati dicantur lingua Slavorum *terram multam possidentes*, dictio Slava *Hruati* nomen proprium Nationis est, nihil aliud significans: ex iis vero, quæ supra cap. 30. refert.

Cæteri vero Chrobati versus Franciam commorabantur, & appellantur hodie.

βελοχρωβατοι ἤγουν ἀσπροι χρωβατοι
Belochrobati sive Albi Chrobati.

Albos Chrobatos ex *Beli Hruati* apte deducit cum *Beli*, vel *Bili* Slave Albos significet: ita idem verbum *Beli* b in u. verso *Veli* magnos significat, quod clarius se explicando Porphirog. subdit. cap. 31. in fine.

Magna autem Chrobatia, quæ etiam Alba cognominatur & cap. 32. in principio *magna Chrobatia Baptismi expers, & Alba quoque nuncupata.*

Sic magnos Hruatos, vel magnam Hruatiam pro Sarmatia, quæ amplissima Provincia est, sumens, recte verbum *Veli* Slavum græce appropriando, multas terras possidere Chrobatos Sarmatas scribit, ob id supra cap. 30. ait.

Chrobati vero tunc habitabant ultra Βαγιβαρίας *ubi nunc sunt Belochrobati.* *Bagibarias*

Bagibarias enim vocabulum Slavum est, Græce detortum; id est βαβια ρεια (babia oria) id est Babii montes, Slave *Babie Gore*, id est Vetulæ, vel vetularum montes, quo nomine Carpatii montes Poloniam ab Ungaria disterminantes, ab aliquibus vocantur, & cum Porphir. Franciam pro hodierna Germania, & Turciam pro Ungaria sumat, Chrobatos a Sarmatia, nunc Polonia dicta, vel Bohemia venisse, innuere videtur: cui opitulantur Scriptores rerum Bohemicarum, & Polonicarum, a Cromero relati: Tamen probabilior videtur opinio ejusdem Cromeri, qui Serbos ex Sarmatia Asiatica, cum Bulgaris vicinis in Europam transiisse narrat, eo magis quod Slavorum, qui Bohemiam, Poloniam,

niam, Lithuaniam, Charintiam, Stiriam, & Carniolam habitant, dialectus diverſi ſunt ab iis, qui Slavoniam, Croatiam, Boſnam, & Serviam incolunt, quorum ſermo Bulgaris, cæterisque Orientalibus Slavis ſimilior eſt & purior, præſertim Boſnenſium: Sed cum de origine Nationum non inquiratur, ideo in his, prout in incertis, non eſt immorandum, neque expendendum; an ante Mauritii tempora Slavi Illyricum utrumque, partemve habitaverint? Cum Cromerus ex diverſitate nominum a Slavis inductorum citra Mauritii tempora ex Oriente eos adveniſſe ſcribat; alii vero ex Iornande, & aliis Slavos, aliis nominibus dictos, circa Iſtrum habitaſſe credunt, & ſicuti Serbos in Sarmatia Aſiatica prope Volgam ponit Ptolomæus, ex quibus Serbos, vel Servios Cromerus non improbabili conjectura cum vicinis Bulgaris, a Volga ita dictis, in Europam transiiſſe ſcribit: ita cum Crobizos, Herodotus, Schimnus, Strabo, & Ptol. in Alyſia ponant, citra Iſtrum, qui an iidem cum noſtris Chrobatis ſint, & a Bulgaris ſuis ſedibus pulſi, gradatim alios expellentes, ſimul cum Beſſis regiones Croatiæ, & Boſnæ, quas hodie tenent, occupaverint, cum nullus hucusque dixerit, non affirmatur, neque ſi aliquis aſſereret, negaretur; cum non videatur impoſſibile, Slavos aliis nominibus dictos, ab antiquo, ſicut ultra Iſtrum: ita etiam citra habitaſſe; neque Iſtrum impermeabile fuiſſe, vel tanta religione cuſtoditum, ut pro temporum varietate eædem Nationes citra, & ultra habitare non potuerint, ſed ne in re incerta amplius vagetur, cum Croatos Dalmatiæ partem occupaſſe nomen hodiernum regionis comprobet, idque nullus Scriptor præter Porphirog. referat, ipſi deferendum eſt, etiam ſi multa æquivocare potuerit, circa eorum originem quæ ex auctorum inopia corrigi non poſſunt.

Lib. 4. *Lib.* 7. *Lib.* 5. *Cap.* 9.

Heraclii tempore Chrobatos in Dalmatiam veniſſe Porphir. loco ſupra citato ait: Baronius autem ultimo Anno Ioh. Papæ IV. & ejusdem Heraclii redemptionem captivorum Dalmatarum ponit: Dalmatiam a Slavis, vel Abaribus deſolatam, & ipſos a Chrobatis, & Serblis pulſos ſub finem Imperii ejusdem Heraclii evenire non potuit, eo magis quod Chrobatos ante Serblos ad Heraclium confugiſſe, & cum Abaribus, non per unum, ſed per annos aliquot bellum geſſiſſe, eosque viciſſe Porph. ſcribat, neque ullus Auctorum Heraclium ſeniorem, Adriaticis expeditionibus impeditum, quidquam in Illyrico Occidentali geſſiſſe memorat. Hoc eodem Heraclio Imperante Croatos baptizatos Porphir. aſſerit, nam cap. 31. ſubdit:

Pulſis vero iis (id eſt Romanis) ab Abaribus in diebus ejusdem Imperatoris Heraclii deſolata eorum regio jacuit, quapropter ejus juſſu iidem Chrobati, armis arreptis, Abares ex illis locis expulerunt, & in ipſorum terra, quam etiam hodie tenent, ſedes collocarunt. Erat autem illis tunc temporibus Princeps Porge Pater; Heracliusque Imperator Roma per Legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archiepiſcopo, Presbyteris & Diaconis, Chrobatos baptizavit; & tunc quidem Principem habebant Porgam: terra vero hæc, quam incolunt Chrobati, ab initio ſub poteſtate erat Romanorum Imp. unde etiam illic in hodiernum uſque tempus Palatia, ac Circi Diocletiani ſuperſunt in Urbe Salona, & prope Aſpalathum, neque cupiunt Chrobati hi baptizati aliis bellum inferre, idque quia legem definitam habent a Pontifice Romano, qui ſub Heraclio Imp. Sacerdotes miſit, eosque baptizavit; poſt acceptum enim baptiſmum pepigerunt, & Chirographis propriis, datis S. Petro Apoſtolo, iuraverunt nunquam ſe alienam terram armis invaſuros, ſed pacem habituros cum omnibus volentibus, & imprecationem viciſſim a Pontifice acceperunt, ut ſi quando aliæ gentes ipſos invaderent, belloque infeſtarent, pro iis pugnaret, vindexque eſſet eorum Deus, victoriam conciliante Petro, Chriſti diſcipulo.

Item Cap. 30. ſupra relato ſequitur.

Cæteri vero Chrobati verſus Franciam commorabantur, & appellantur hodie Belochrobati ſive Chrobati Albi proprio Principi ſubjecti. Parent autem Othoni magno Regi Franciæ, quæ & Saxonia, baptismique expertes, affinitatem cum Turcis & amicitiam contrahunt. At a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars ſeceſſit, & Illyricum tenuit, atque Pannoniam, habebantque etiam ipſi Principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ tantum Principem, amicitiæ ergo, legationem mittebat. Ad aliquot vero annos uſque, Dalmatiæ Chrobati Francis ſubjiciebantur, quemadmodum, & antea in ipſorum terra; tanta autem crudelitate utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes, canibus objicerent, quæ res cum intolerabilis Chrobatis eſſet, facto diſſidio, Principes, quos ex ipſis habebant, interemerunt, unde magnus contra eos exercitus movit e Francia, & poſt ſeptem annorum bellum, ægre tandem ſuperiores facti Chrobati, omnes Francos, eorumque Principem Cotzilin e medio ſuſtulerunt, & exinde liberi, ac ſui juris, ſacrum baptiſma a Pontifice Romano petierunt, miſſique Epiſcopi, ipſos baptizarunt, Principatum tenente Porino.

Hæc Porphir. de Croatis jugum Francorum excutientibus, & baptiſmum ſuſcipientibus, tempore ejusdem Heraclii ſenioris, ſcripta reliquit; cum vero Francorum hiſtorici de Croatis mentionem non faciant, ſed quædam tantum de Slavis ſcribant, tempore Heraclii geſta, ideo referenda ſunt. Dagobertum enim Francorum Regem Avares, & Slavos ſuæ ditioni ſubegiſſe, regni ejus anni 7. geſtorum ejus Scriptor tradit; ſed ſicuti Avares tunc Pannonias incoluiſſe conſtat; Ita Slavos Francis in Germania a Septentrione, in Illyrico vero ab Oriente conterminos fuiſſe patet, de quibus autem Slavis hæc intelligi debeant, an de Septentrionalibus, vel de Orientalibus incompertum eſt. Similiter ea, quæ idem auctor tradit, Longobardos ad ſo- 638.

640. latium Dagoberti 9. ejus anno hostiliter in Slavos perrexisse, & victoriam obtinuisse, ad quos Slavos referenda sint, non constat, tamen de Orientalibus, qui Longobardis proximi, Foro julienſique eorum Ducatui contermini erant, intelligi debere videtur; qui nomine Carnuntum, sive Carantanorum nuncupati; nunc autem in Carnos, Stirios, & Carinthios distincti sunt, quos subditos fuisse Francorum Imperio, & in Regno Bojoariæ comprehensos Wolfgangus Lazius post alios tradit, quibus Croati addi possunt, quos ex Porphir. tunc Francis subditos fuisse argui potest; sed ipsorum jugum excussisse, & Baptismum suscepisse Imperante eodem Heraclio, temporibus examinatis, evenire non potuit; at sicuti Heraclium expeditionibus Asiaticis impeditum in Illyrico aliquid egisse, nullus præter Porphirogenitum scribit, ita deHeraclio Iuniore ante ejus expulsionem Zonaras.

Paul. Diac.

De migr. gentium.

Cum Bulgaris fœdus rupit, neque tributum quod Pater Const. Pogonatus ignominiosum nomini Romano pepigerat, solvit; sed expeditione in plagas occidentales susceptâ, multas Slavicas gentes partim in deditionem accepit, partim bello domuit, unde novas legiones conscripsit, delectis fortissimorum juvenum circiter 30. millibus, quos populum acquisitum appellavit. paucis verbis multa complectitur Zonaras, sed clarius Cedrenus.

Anno secundo, profectus in Armeniam, recepit Mardaitas, in Libano degentes, aheneum murum destruens Pacem quoque cum Bulgaris factam confudit, formam a patre conscriptam perturbans, & equestres exercitus in Thraciam traduxit. Anno tertio Iustinianus expeditionem in Slavinos, & Bulgaros suscepit, atque hos quidem obviam sibi factos, cum pepulisset, excursione ad Thessalonicam usque facta, multas Slavinorum multitudines partim ad se deficientes, partim bello superatos subegit, inque Opsicianam regionem deportavit, in reditu autem a Bulgaris intra fauces angustiarum interceptus, multis suorum amissis ægre evasit.

Ideo si Heraclii junioris tempore secutum poneretur Croatorum baptismum, rectius temporibus congruerent, quæ idem Porphir. de Croatis Francorum jugum excutientibus, baptismumque suscipientibus, refert loco citato: quæ cum supra relatis ex Zonara, & Cedreno convenire possunt: Croatosque, & Serblos primos ex Slavis fidem Christianam suscepisse conjectari potest. Roma autem accersitos Sacerdotes, qui Croatos baptizarunt, ut Porph. ait, Latinus ritus ipsorum demonstrat, & Archiepiscopum ex ipsis constitutum fuisse concordat Porphir. cum Archid. Spalat. qui Ioannem Legatum Summi Pontificis, patria Ravennatem primum electum Spalati Archiepiscopum tradit, qui olim Salonitanus, Dalmatiæ, totiusque Croatiæ Primas, ad hodiernum usque diem nuncupatur, ut clarius postea patebit; tempus autem non tradit; ideo si ad hæc tempora Archiepiscopi Electio poneretur, suppleretur, quod Archidiacono simul, & Porphirog. deest, sed sicuti Roma accersitum Archiepiscopum, ita e Dalmatia Episcopum, & Presbyteros jam gnaros linguæ Slavæ, Croatis datos fuisse, par est credere, Croatosque baptizatos inde mitiores redditos, ut Porphir. ait, ad hæcque tempora connubia inter Slavos, & Dalmatas juncta dicendum est, ut Archidiaconus asserit de Spalato, quod ad reliquas quoque Dalmatarum Civitates extendi debere, auctorum silentium suadet conjectari.

Cap. 11.

CAPUT XII.

De Distinctione Dalmatiæ, Croatiæ, & Serviæ.

Cap. 32. & 35. DAlmatiæ partem Orientalem Heraclium Serblis assignasse Porphir. ait, ejusque partem mediterraneam Serbliam nuncupatam, maritimam vero in Zachlumorum terram, Paganiam sive Narentanorum, Tribuniam, Canalitarum, & Diocletanam distributam scribit, de qua cum in Regno Dalmatiæ, & Croatiæ inclusa non fuerit, tangentur suo loco tantummodo ea, quæ necessitas exiget. Occidentalem autem Dalmatiæ partem a Croatis occupatam idem tradit; loco supra citato, hodiernumque nomen regionis id demonstrat. Sequitur, deinde Porphir. loco supra relato.

Cap. 30. & 31. *At a Croatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars secessit, & Illyricum tenuit, atque Pannoniam, habebantque etiam ipsi Principem supremum, qui ad Crobatiæ tantum Principem, Amicitiæ ergo, legationem mittebat.*

Hic Porphir. Illyricum a Pannonia sejungit, cum supra Dalmatiam usque ad Danubium extendendo, Pannonias in Dalmatia incluserit, ut dictum est; Ideo hic Illyricum pro Dalmatia, Pannonia vero, pro Pannonia Savia, sumenda est, cum reliquas Pannonias tunc, & posterioribus temporibus Avares possederint, ut patebit, tuncque Croatos e Dalmatia recedentes, eam partem Pannoniæ occupasse, quæ olim Savia, sive interamnia dicebatur, inter flumina scilicet Sava, & Drava, nomenque regioni, a generali nomine Slavorum particulare Slavoniæ indidisse censendum est, quod hodie etiam servant, & communi lingua utuntur: Croatos vero, qui in Dalmatiæ occidentali parte, tam maritima, quam mediterranea sedem fixere, regioni Croatiæ sive Hruatiæ cognomen dedisse, quod hodie quoque in parte retinet, cujus termini a Porphir. describuntur cap. 30.

A Zentina autem fluvio Chrobatia incipit, extenditurque versus mare ad Istriæ usque confinia

finia, sive Albunum Urbem, versus Montana, aliquatenus etiam supra Istriæ Thema excurrit, versus Tzentina, & Chlebna Serbliæ regionem attingit.

Hos autem veros terminos Croatiæ fuisse, infra comprobabitur: quinam autem fines inter Croatos Dalmatiæ Croatorum nomen retinentes: & Croatos Saviæ, Slavorum nomine nuncupatos, tunc vel posterioribus temporibus fuerint, ut de re incerta pauca inferius dicentur. Dalmatia ergo a Servis, & Croatis fere tota occupata, Servia, & Croatia nuncupari cœpit, præter maritima quædam Oppida continentis, quæ cum Insulis Dalmatarum, seu Romanorum nomen retinuere, quod ut rectius intelligatur, describendæ sunt ipsius Croatiæ partes, sive Zupaniæ, ut inde melius dignoscatur ea regio, quæ Dalmatiæ nomen retinuit.

CAPUT XIII.

De Zupaniis, sive Comitatibus Croatiæ.

A Zentina flumine (antiquitus Illuro) ab Oriente Croatiam cœpisse, & usque ad Istriam in Occidentem protensam fuisse, supra narratum est ex Porph. at quia Chlebna ultra Zentinam (sive ut hodie Cetinam) est; ideo subdit, *versus Zentinam regionem attingit*, ut cognoscatur flumen Cetinæ in maritima parte Orientalem terminum Croatiæ fuisse, in interiori vero, Chlebnam quoque in Croatia inclusam, ut paulo supra clare tradit eodem cap. 30.

A Ragusio Zaclumorum Principatus initium habet, & ad Orontium flumen tendit, oraque maritima Paganis, Montana, quæ ad septentrionem Chrobatis, quæ in fronte Serbliæ contermina est.

Hanc Croatiam in regiones XI. Zupanias dictas, vocabulo Slavo, idem distinguit.

Divisa autem est eorum regio in Zupanias XI. quarum nomina.

Chlebiana . . . . . hodie — Hliuno.
Tzentzena . . . Cetina.
Emota . . . Imota.
Pleba . . forsan Plieua in Bosna.
Pesenta . . . postea in Diœcesi Tinninien.
Parathalassia Latine maritima, Slave Primorye.
Brebera . . . . Bribir.
Nona . . Lat. Nona, Slave Nin.
Tnena . . Lat. Tinninium, Slave Knin.
Sidraga . . Postea in Diœcesi Scardonen
Nina . . nisi sit idem cum Nona, & in duas Zupanias divisa fuerit.
Boanus Latine Banus, idem, quod Dux, Slave Ban.
Tenet Cribasan . . . . . Slave Karbaua.
Litzam . . . . . Slave Lika.
Gouzecha . . postea in Diœcesi Signien.

In relatis Zupaniis, maritimæ utplurimum regiones numerantur, ideo vel Duces, sive Bani a Porph. nominati, maritimam tantum Croatiam possederunt, vel ipse in rebus Occidentalibus parum versatus, multa omisit, sequitur Porph.

Nona idem latine . . . Slave Nin.

Belligradum Latine Belgradum, vel Alba maris (ad differentiam tam Albæ Vngaricæ, quæ Regalis, quam Serviæ, quæ Græca dicebatur) a nautis vero *Zara vechia*. Slave autem Biograd, de qua suo loco plura.

Belitzin forsan Belina in Bucoviza.
Scordona . . . Latine Scardona, Slave Scradin.
Chlebna . . Sl. Hliuno.
Stolpum . . forsan Stulba prope Bistrizam flumen Hliuni.
Tenen . . Latine Tinninium; Slave Knin.
Cori . . Latine Corinium, Slave Karin.
Claboca . . forsan Klapaz prope fontes Vnæ.

Multa nomina Civitatum cum ipsis Zupaniarum nominibus conveniunt, cum in ipsis positæ, earumque caput existentes, commune quoque cum ipsis nomen habuerint: Zupania enim a *Zupa* deducitur, quod populum, vel regionem aliquam populatam significat: sic in hac regionum, & Civitatum distributione Porph. comprehendit Occidentalem Dalmatiam maritimam, a Croatis tunc possessam, præter Oppida maritima, quæ Romani, vel Dalmatæ tenebant, ut inferius dicetur. Sed tempore Porph. an mediterranea Croatia proprium Ducem habuerit, vel Duci Croatiæ Sclavoniæ dictæ paruerit, ab eodem elici non potest.

CAPUT XIV.

De Dalmatia ſpeciali, ſive propria.

DEſcriptis regionibus a Slavis in Dalmatia occupatis, modo quænam ejus pars Dalmatiæ nomen retinuerit, deſcribendum eſt, de qua Porphir. *De Dalmatia, & ejus populis cap. 29. Diocletianus Imperator valde Dalmatiam amavit, unde etiam populi Romani Colonias eo deduxit, & Romanis quoque populo illi nomen inditum fuit, qui Roma illuc commigraſſent, manetque iis cognomen iſtud etiam hodie.* & infra. *Slavi Romanos deleverunt, eorumque loca tenuerunt, reliqui autem Romani in oræ maritimæ Oppidis ſervati, eaque etiamnum tenent, & ſunt iſta:*

Rauſim	nunc	Raguſium.
Aſpalathum		Spalatum.
Tetranguria		Tragurium.
Diodora		Iadera.
Arbe		Arbum.
Becla		Vigilia.
& Opſara		Abſarus.

Eorumque habitatores in hodiernum uſque diem Romani appellantur, & infra eodem capite. *Inſulæ parvæ ſunt Dalmatiæ ſubjacentes Beneventum uſque frequentes, plurimæque, ita ut tempeſtatem illic naves non timeant, ex illarum una eſt Vrbs Becla, & alia Arbe, & alia Obſara, & alia rurſus*

Lumbricatum . . . nunc Vergada.

Quæ omnes in hodiernum uſque diem inhabitantur reliquæ inhabitatoribus vacuæ, deſertas Vrbes habent, quarum hæc ſunt nomina:

Catautrebeno
Piſuch . . . nunc Sale.
Selbe . . . . Selua.
Suerda . . . nunc Scherda.
Aloep nunc Lubo.
Scirdaciſſa id eſt Scirda, nunc Scherda Ciſſa, nunc Pagus.
Pirotima
Meleta . . . nunc Melada.
Eſtiunez . . . nunc Seſtrum.

Et aliæ complures, quarum nomina ignorantur. Reliqua vero Oppida, quæ in Thematis continente a Sclavis jam dictis tenentur, deſerta ſunt, & incolas nullos habent.

Romanorum Colonias in Dalmatia ante Diocletianum Reipublicæ Romanæ tempore deductas ſupra lib. 1. relatum eſt. Dalmatas autem, ſicut & cæteros Imperii Provinciales ab ipſis Barbaris Imperii occupatoribus Romanos dictos conſtat, præſertim ubi ſedibus fixis Romanos conterminos habebant, nam ipſos non ſpeciali Provinciæ nomine, ſed generali Romanorum vocabant, qua ut plurimum diſtinctione, auctores poſt declinationem Imperii uſi ſunt, ut a Barbaris diſtinguerent Provinciales Romani Imperii, ut conſtat, de Gallis & Hiſpanis, & hic de Dalmatis apparet apud Porph. qui enumerat Civitates & Inſulas, quæ Romanum vel Dalmaticum nomen retinuerunt, quarum nomina cum hodiernis, ut plurimum conveniunt, præter quaſdam Inſulas, quas nunc diverſimode nuncupatas, difficile eſſet cum Porph. nominibus, græce etiam detortis, concordare, tamen inter Occidentales ponendas eſſe, conſtat, nam de Orientalibus Inſulis Paganorum ſive Narentanorum dictis tractando cap. 36. ait,

Habetque Pagania Vrbes habitatas
Mocrum . . . Slave Mocro.
Berullia
Oſtroch Slave Oſtrog.
Et Labinetza
Item Inſulas magnas
Vnam quæ Curcra, ſive Cuer Lat. Corcira, Slave Karkar.
Altera quæ Meleta, ſive Malozeate Lat. Melita Sl. Mlit.
Tertiam quæ Phara . . . Lat. Phara. Sl. Huar.
Quartam quæ Bratzes . . Lat. Brachia Sl. Brac.
Sed, & aliæ præterea Inſulæ ſunt, quæ ad Paganos non pertinent, puta.
Choara . Antonini in itin. Corra.
Ies . . . . . Lat. Iſſa Sl. Wis.
Laſtobon . . . Stephani Ladeſta, Tab. Peut. Ladeſtris. latine Laudeſtina, Slave Laſtouo.

Hæ quatuor magnæ Inſulæ Orientales, continenti Paganorum, ſeu Narentanorum proximiores, ab ipſis occupatæ, in eorundem quoque nomen: ſimul cum poſſeſſione tranſivere, & inter Dalmaticas numerari deſiere. Iſſam autem, & Ladeſtinam cum Choara ad Paganos, ſeu Narentanos non pertinuiſſe Porph. ait, ideo Dalmaticum nomen ſervaſſe, & ſimul cum Adriatici dominio, has quoque Inſulas in alto mari ſitas, Romanos retinuiſſe, harumque Inſularum commoditate navigationem Adriatici, & dominium reliquæ Dalmatiæ continuaſſe dicendum eſt. Ad Civitates ergo continentis Iadram ſcilicet, Tuagurium, Spalatum

latum Raguſium, & Inſulas Occidentales, ſimul cum Choara Iſſa & Ladeſtina ex Orientalibus, nomen Dalmatarum vel Latinorum reſtrictum fuit, ita ut maxima pars Dalmatiæ in Inſulis conſiſteret, deinceps itaque cum Dalmatia nominabitur ejus nomine Civitates, ac Inſulæ prædictæ intelligendæ erunt. At Rauſina Civitas, quamvis in Regno Dalmatiæ, de quo tractandum eſt, incluſa non fuerit, ſub nomine tamen Dalmatiæ continebatur; ſed ſicuti Dalmatia in Orientalem, & Occidentalem diviſa, Orientalis Serviorum cenſebatur, Occidentalis vero Croatorum, ita Rauſium in Orientali parte ſitum a cæteris Dalmatis diviſum, jus quoque ſeparatum habuiſſe, innuere videtur Porph. nam ait loco ſupra citato: *Salonam tranſiiſſe Rauſium*, id eſt, loco Salonæ, totius antiquæ Dalmatiæ Metropolis, Rauſium partis Orientalis Dalmatiæ maritimæ, quæ Græcis parebat in Metropolim ſucceſſiſſe, reliqua a Narentanis occupata, ut idem in Baſilii vita, & clarius Cedrenus declarat.

Cap. 9.

867. *(Saraceni) claſſe armata navium 36. emiſſa, multas Dalmatiæ Vrbes ceperunt, inque Butama, Roſan, & Decateram inferiorem: ita proſpere ſuccedentibus rebus Agareni Rauſium quoque totius gentis caput aggreſſi, longo tempore obſederunt, fortiter urbem defendentibus, qui intus erant.*

Ex quibus ſicuti Butama, nunc Budua, Roſam, & inferiorem Civitatem Catari a Saracenis captas fuiſſe apparet, ſuperiori tantum parte Catari in alto & prærupto monte ſita ſervata; quæ cum Rauſio tunc Orientale Imperium recognoſcebant, ita circumquaque Servios in continenti, & Narentanos in Inſulis habentes Rauſini, ab iiſdem quoque Serviæ Principibus poſterioribus temporibus terrarum, & Inſularum conceſſiones obtinentes territorium terra, marique dilatarunt, ut Iacobus Luvari in eorum Annalibus ſcribit, quos ex Diocleate Reges Dalmatiæ dictos aſſerit, quod alii Scriptores non referunt; ideo ſi quis Serviæ Principum, qui etiam Raſciæ dicti fuerunt, genealogiam, quam Græci auctores Porph. Io. Curopal. Cedrenus, Anna, Comnena, & Io. Cinnamus ponunt, cum Diocleate conferret, & cum Scripturis (ſi quæ antiquæ ſuperſunt) collationem faceret, certiora tradere poſſet, quam hucuſque ſcripta reperiuntur; neque aliquem diverſitas nominum deterreat, nam facile cognoſcet Græcos, ſua inflexione Slava nomina græce pronuntiando, diverſificaſſe, & aliquando quoque in græca mutaſſe, quæ ex Scripturarum collatione conciliari poſſent.

Dalmatia ergo ſic in Croatiam, Serviam & ipſam Dalmatiam diſtinguebatur.

CAPUT XV.

Quomodo Croatia, cum Italiæ Regno, Carolo Magno, & poſteris ejus paruerit?

DIſtinctis regionibus, quæ Croatiæ, Serviæ, & Dalmatiæ nomine cenſerentur, cum Liburniam, & Dalmatiam Carolo Magno ceſſiſſe, exceptis maritimis Civitatibus, quæ Orientali Imperio relictæ fuerunt, Francorum Scriptores referant; ideo breviter narrandum eſt, quomodo Carolus Occidentale imperium, & quam partem Dalmatiæ conſecutus ſit, ut inde aliqua diſtinctio finium inter Orientale & Occidentale Imperia adhibeatur, quæ alioquin ex iis, quæ tradunt auctores, percipi vix poteſt. Longobardi enim in dies per Italiam ſe dilatantes, varia loca Imperii occupabant, tandem capta Ravenna Græcos prorſus ex Occidentali parte Italiæ expellentes, ſocordia Chilperici Regis Francorum invitati, jam Romæ imminentes, ipſam obſederunt; ſed quum ad Pipinum Francorum dominium deductum fuiſſet, is Summi Pontificis, & Romanorum protectione ſuſcepta, Longobardos compreſſit, & Exarcatum, Pentapolimque cedere coegit, at cum Deſiderius ultimus Longobardorum Rex, Romanos & Pontificem infeſtaret, Carolus poſtea dictus Magnus eo capto, Italiam Longobardicam (quod diu Franci deſiderarant) Galliarum, & Germaniæ dominio junxit, deinde Avares, Pannonias poſſidentes, poſt octenne bellum domuit, & quamvis nullus Francorum Scriptor exprimat, quomodo Dalmatiam, quamve ejus partem acquiſiverit Carolus, tamen Eginhardus in Annalibus tradit.

752.

753.

709. *Dimiſſo (Summo Pontifice) Rex paucos dies ibidem moratus (id eſt Aquisgrani) Legatum Michaelis de Sicilia, nomine Danielem, ad ſe miſſum abſolvit: accepit etiam triſte nuncium de Gerholdi & Erici interitu, quorum alter Gerholdus videlicet, Bavariæ Præfectus commiſſo cum Hunnis prælio, cecidit, alter vero i. Ericus poſt multa prælia, & inſignes victorias, apud Tarſaticam Liburniæ Civitatem, inſidiis Oppidanorum interceptus, atque interfectus eſt.*

Ex quibus conjectari licet, Carolum Liburniam quoque ſimul cum Pannoniis acquiſiviſſe, eandemque ab Erico, Forojulii Ducis titulo, ſimul cum Iſtria cæterisque circumjacentibus Slavicis regionibus rectam: quum illæ Tarſaticenſium Liburnorum inſidiæ in Ericum Ducem, jam eis Præfectum, perpetratæ dici debeant: ad quas vindicandas ipſe *Carolus in Italiam digreſſus recto itinere Liburniam properavit, ibi nex Henrici, merito ſumpto de Tarſaticenſibus ſupplicio vindicata, Cadalocus Dux Forojulienſibus datus* Carolumque

Sigon. 800.

tunc, uti Dominum, & Iudicem, de ſontibus Tarſaticenſibus ſupplicium ſumpſiſſe, non uti inimicum injuriam ultum dicendum eſt. Cum ergo totum fere Occidentale Imperium poſſideret, Chriſtianamque fidem per Germaniam & Pannonias late propagaſſet, merito Occidentalis Imperii, magnique titulos a Summo Pontifice, populoque Romano
801. conſecutus eſt: Hæc de Liburnia memorantur, quæ de Croatia intelligi debere infra patebit, ſed, quid de Dalmatia circa ea tempora evenerit inquirendum eſt: referunt enim iidem An-
Egin. nales.

806. *Statim poſt Natalem Domini venerunt Vvillarius & Beatus Duces Venetiæ, nec non Paulus Iaderæ, atque Donatus ejusdem Civitatis Epiſcopus, Legati Dalmatarum ad præſentiam Imperatoris cum magnis donis* item paulo poſt *Claſſis a Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat ad recuperandam Dalmatiam mittitur.*

Deinde Carolum Imperium inter filios diviſiſſe, teſtamentumque condidiſſe referunt, in quo reliquit Ludovico Galliam, Carolo Germaniam, Pipino
Teſtam. autem.
Car. M. *Italiam vero, quæ Longobardia dicitur, & Bojoariam ſicut Taſſilo tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina ſunt, Ingolveſtat, & Lutrahahof, quas nos quondam Taſſiloni beneficavimus, & pertinent ad pagum, qui dicitur Northgouue, & de Alemannia partem, quæ in Auſtrali Ripa Danubii fluminis eſt, & de ipſo flumine Danubii currente limite uſque ad Rhenum fluvium, ſurſum vero uſque ad Alpes, quidquid intra hos terminos fuerit, & ad Meridiem, vel Orientem reſpicit, una cum Ducatu Curienſi & Pago Burgorum Pipino dilecto filio noſtro.*

Hic de Dalmatia ne verbum quidem, ſed neque Pannonias nominat, quas in ditionem ſuam Carolum redegiſſe ex ſupradictis conſtat, ideo ſub generalitate illa.

Et quidquid intra hos terminos fuerit, & ad Meridiem, vel Orientem reſpicit.

Pannonias, & ſi quid in Dalmatia habuit Carolus comprehendi debere, cenſendum eſt: ſcribit enim idem Eginhardus in ejus vita.

Poſtquam (id eſt Germaniam) utramque Pannoniam, & oppoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoque, & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis Civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitano Imperatori habere permiſit.

Ex quibus, ſicuti Carolum in Dalmatia dominium extendiſſe apparet: Ita quam partem ipſe habuerit, & quam Nicephoro, ob initum fœdus permiſerit, nullus Francorum Scriptorum tradit. Græci autem de hac Imperiorum diviſione, finiumque diſtinctione, ne verbum quidem ſcribere dignati ſunt: Ideo cum a Francicis Scriptoribus Ludovico Pio filio, & ſucceſſore Caroli, Imperante, de finibus quædam controverſiæ referantur, promendæ ſunt, ut ex iis conjecturæ ſumantur, quæ aliunde haberi non poſſunt; pro quarum dilucidatione obſervandum eſt Eginhardum, & ex eo Sigonium nominare Provincias eo modo, quo ponuntur a Claudio Ptolomæo Monarchiæ tempore: ita ut ſub Pannoniæ, Liburniæ & Dalmatiæ nominibus totum Illyricum, quod diviſo Imperio, occidentale dictum fuit, exceptis Noricis comprehendatur. Ideo Pannonias pro Pannoniis Abaribus ereptis, ſimul cum Savia a Slavis vel Croatis tunc poſſeſſa ſumi debere conſtet: ſimili modo Liburniam pro ea parte Dalmatiæ Occidentali a Croatis occupata. De Dalmatia autem ſicuti eam partem, quam Croati cum Liburnia occupaverant, ſimul cum reliqua Croatia Carolum ſubegiſſe cenſendum eſt, ita illa exceptio Civitatum maritimarum de Civitatibus continentis Dalmatiæ, ſcilicet Iadra, Tragurio, & Spalato, Croatis conterminis, quæ cum Inſulis Dalmatiæ nomen retinebant, intelligenda eſt: qua diſtinctione adhibita, clara evadunt verba ſupra allegata Eginhardi in Vita Caroli magni, ſicut & ea, quæ in Annalibus anno 806. de Paulo Iadræ Duce, & Donato ejusdem Civitatis Epiſcopo, Legatis Dalmatarum refert: Nam Græcorum viribus maritimis in Adriatico indies decreſcentibus, ſplendore potentiæ Caroli invitati Dalmatæ, Croatorumque freti vicinitate, ac Venetorum amicitia, ad Francorum protectionem confugerunt, ſed adveniente Claſſe Nicephori, ſub Græcorum dominium iterum redire coacti fuerunt. Pace deinde Francos & Græcos ſecuta, fœdus inter imperia ictum fuit, & Dalmatia ſimul cum Adriatici dominio Orientali relicta; Occidentali vero ea pars Dalmatiæ, quæ a Croatis occupata Croatia tunc dicebatur, cum cæteris, ut Eginhardus refert, aſſignata fuit; ex quibus fines inter Imperia in Dalmatia maritima facile diſtinguuntur, in mediterraneis autem, eam partem Saviæ Sirmienſis agri Danubio proximam ipſique Serviæ mediante Savo flumine conterminam, quæ a Slavis Croatis occupata, Slavonia vocabatur Francis paruiſſe, argui debet, cum etiam ultra Danubium in Dacia Francorum dominium extenſum Eginh. *In Vita Car. M.* memoret, & eo magis quod poſterioribus, eadem regio a Græcis Franco- *Nicetas in* horion nuncupata reperitur, in qua ci- *10. Com.* vitas quoque Francorum nomen tulit, Francavilla dicta, quæ regionem Fran- *Albertus* corum ſignificant, & eis ſubditam fuiſ- *Aquen.* ſe, ab iisdemque nomen ſumpſiſſe confirmant, ſicut ex adverſo Taurunum ad confluentem Savi, & Danubii in Servia poſitum, a Latinis Alba Græca nuncupatum, Græcis paruiſſe, cum Servia arguit, terminum ergo in mediterraneis inter Francos & Græcos eundem

fuiſſe,

fuisse, qui inter Croatos, & Servios concludendum est, scilicet Savum flumen. Quinam autem fines inter Croatos, & Servios citra Savum fuerint in Dalmatia mediterranea incertum est, nam sicuti Porphirog. Bosnam esse agrum Serviæ scribit, ita Bosnam in Servia inclusam, Orientali Imperio paruisse dicendum est; Sed Bosnæ terminos antiquos arctiores hodiernis in capite de Bosna infra ostendetur, tamen fines ejus, prout de re incerta investigari omittentur, ne tot conjecturis Lector jam fessus, tædio opprimatur. Hac distinctione finium inter Francos & Græcos adhibita facilius intelliguntur, quæ Francici Scriptores tempore Ludovici Pii referunt.

Eginhardus in Annalibus.

Ludovici Pii vitæ Scriptor.

815.

(Padeburnæ) ibi ad eum omnes Orientalium Sclavorum primores, & Legati venerunt.

815.

Omnis populus ad Imperatorem in generali conventu ad locum qui dicitur Patrisburna convenerat, quo in loco Principes Sclavorum Orientalium omnes Primoresque venerunt.

817.

Cum pervenisset Aquisgrani Imperator Legatum Leonis Imp. de Constant. pro Dalmatarum caussa missum, Nicephorum nomine, susceptit, quem etiam quia Cadolach, ad quem illorum confinium cura pertinebat, non aderat, & tamen brevi venturus putabatur adventum illius jussit operiri. Quo veniente ratio inter eum, & Legatum Imperatoris de quæstionibus, quas idem detulit, habita est, & quia res ad plurimos, & Romanos, & Slavos pertinebat, neque, sine illorum præsentia finiri posse videbatur in loco decernenda differtur, missusque ad hoc cum Cadolach, & prædicto Legato in Dalmatiam Albigarius Unrochi Nepos.

817.

Aquisgrani commorans Palatio ad se venientem missum susceptit Leonis Const. Imperatoris nomine Nicephorum; Legatio autem excepta amicitia, & societate, erat de finibus Dalmatarum, Romanorum, & Sclavorum, & quia nec hi præsentes erant, nec Chadalo finium Præfectus neque sine illis hæc dirimi poterant, missus est in Dalmatiam ad hæc pacificanda, & componenda Albigarius cum Chadalo eorundem finium Principe.

Orientales Slavos eas regiones incoluisse necesse est, quæ Francorum Imperio Orientales fuere, & ad differentiam Septentrionalium Slavorum, maris Balthici accolarum, ab iis Orientales dictos, inter quos Croatos fuisse oportet: ex quo Croatos cum cæteris Nationibus Slavicis generali vocabulo Slavorum a Francis nuncupatos confirmatur; Cadolach autem ad finium controversiam vocatum (quem Ducem Foro julii fuisse, anno sequenti patebit) & ad ipsam dirimendam missum concordes Eginh. & vitæ Scriptor referunt.

Controversia autem erat in Dalmatia antiquo modo sumpta a Francicis Scriptoribus (ut supra observatum fuit) inter Slavos, & Romanos, ut Eginh. id est, inter Croatos Duci Forojulienſi, & Romanos Imperio Orientali subditos, qui Romani ab auctore vitæ in Dalmatas, & Romanos distinguuntur, id est, in Dalmatas proprie dictos, & Serblos partem Dalmatiæ Orientalem possidentes Romano Imperio Orientali subditos, ac ob id Romanos dictos, & tunc inter Dalmatas, & Servios Orientali ex una parte, & Croatos Occidentali Imperio subditos ex altera, amicabiliter terminos statutos concludi debet: referunt deinde iidem.

Eginh. 818.

(Haraſtalli) erant ibi, & aliarum nationum legati Abotritorum videlicet ac Bornæ Ducis Guduscanorum, & Timotianorum, qui nuper a Bulgarorum societate desciverant, & ad fines nostros se contulerant; simul, & Lindevviti Ducis Pannoniæ inferioris, qui res novas moliens, Cadolaum comitem, & Marchiæ Forojulii Præfectum crudelitatis accusare conabatur, quibus ibi auditis, atque dimissis in Aquisgranum ad hybernandum profectus est.

Vitæ Scriptor 818.

Præterea aliarum Nationum missi aderant Abodritorum videlicet & Coduscanorum, & Timotianorum, qui Bulgarum societate relicta, nostris se nuper sociaverunt: sed & Leutevviti rectoris inferioris Punnoniæ missi ibidem aderant, accusantes Cadalum falso, ut post patuit, eo quod immanitas illius importabilis sibi foret, quibus auditis compositis, ac dimissis, in eodem Palatio Imp. secundum suam dispositionem ad hiemandum se contulit.

819.

(relata rebellione Lindeviti.)

Borna vero Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Colapium fluvium Linde vido ad se venienti occurrens, in prima congressione a Guduscanis deseritur: auxilio tamen Prætorianorum suorum protectus evasit; periit in eo prælio Dragomosus socer Lindeviti, qui in exordio defectionis relicto genero, Bornæ se conjunxerat. Guduscani domum regressi, iterum a Borna subiguntur. Ad Lindevvitus occasio-

819.

(relata rebell.)

Fugatus a Baldrico Lindevitus Bornæ occurrit Dalmatiæ Duci ad Calapium fluvium consistenti: sed Borna Guduscanorum perfidia, an timore desertus incertum, suorum tamen adjutus auxilio domestico, discrimen imminens tutus evasit: sed & desertores suos postea subegit: Interea Lindevitus sequenti hyeme iterum ingressus, cuncta populari nititur ferro, quæ animata erant perimens, inanimata vero igni con-

nem nactus, cum valida manu, menſe Decembri, Dalmatiam ingreſſus, ferro & igne eandem devaſtat; cui cum Borna ſe penitus imparem reſpiceret, omnia ſua Caſtella incluſit, & ipſe cum delecta manu nunc a tergo, nunc a latere inſiſtens, Lindevviti copias noctu, & interdiu ubicumque poterat, laceravit, neque eum in ſua Provincia impune verſari permiſit, ad extremum gravi damno affectum, regione cogit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & trecentis, vel eo amplius Caballis captis, præter Sarcinas, & ſpolia diverſi generis direpta, quæ qualiter geſta fuerint, per legatos ſuos Imperatori nunciare curavit.

Ex quibus Ducem Bornam cum ſuis Guduſcanis, & Timotianis a Bulgaris ad Francos deſciviſſe, ſimul cum Abodricis conſtat: Abodritos autem Daciam prope Danubium conterminos Bulgaris transdanubianis incoluiſſe in-
824. fra patebit: Guduſcanos vero, & Timotianos citra Danubium in Mœſia ſuperiori fuiſſe: nam Timacum inter Civitates ejusdem Provinciæ recenſet Ptolomæus, & Plinius Trimachos populos, Timachumque flumen ibidem ponit: hodieque Timozani vocantur, qui ad flumina Timoch dicta habitant, quorum alter major, alter minor dicitur, hicque in alterum influens, ſimul ambo uno nomine in Danubium ſe exonerant: de hiſque fluminibus intelligi debet Tabula Peutingeriana, in qua inter Naiſſum, & Ratiariam Timacum majus & Timacum minus 10. millia paſſuum inter ſe diſtantia loca ponuntur, cum in eadem via hæc duo flumina hoc eodem ſpatio invicem diſtent; ex indeque patet in Pliniano Codice pro Trimachi Timachi legendum eſſe: Guduſcanorum autem veſtigia ſervantur in vico Guduſca dicto, & ad flumen Mhauna ſito, qui in amnem Moravam majorem, ſive Bulgaricam dictam ex Orientali parte influit. Horum autem Guduſcanorum, & Timocianorum Ducem Bornam a Francis Dalmatiæ Ducem conſtitutum Liburniam quoque, ſive occidentalem partem Dalmatiæ Croatiam dictam, rexiſſe ex eisdem Scriptoribus conſtat.

Eginh. 821.

Interea Borna Dux Dalmatiæ, atque Liburniæ defunctus eſt, & petente populo, atque Imperatore conveniente, nepos illius nomine Ladasclavus ſucceſſor ei conſtitutus eſt.

Vitæ Scrip. 821.

Inter hæc Borna vita privato, ſucceſſorem ei conſtituit Imperator nepotem ſuum nomine Ladasdeum.

Ex quibus ſic explicatis clariora evadunt, quæ iidem referunt.

Eginh. 822.

Exercitus de Italia propter Lindeviticum bellum conficiendum in Pannoniam miſſus eſt, ad cujus adventum Lindevitus, Siſcia Civitate relicta, ad Sorabos (quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur) fugiendo ſe contulit, & uno ex Ducibus eorum, a quo receptus eſt, per dolum interfecto, Civitatem ejus in ſuam redegit ditionem, miſſis tamen ad exercitum Imp. Legatis ſuis, ad ejus præſentiam ſe velle venire promiſit.

Vitæ Scrip. 822.

Exercitum ſane eodem tempore miſit de Italia contra Lindevitum in Pannonia, quo ille conſiſtere non valens, propriam reliquit Civitatem, & ad quendam Principem Dalmatiæ veniens, ab eo ſuſceptus eſt intra Civitatem, qui tamen verſa vice ſuſceptorem ſuum dolo confecit, & Civitatem ſuo Dominatui ſubjecit, & quamquam noſtris, nec pugnam intulerit, nec collocutus fuerit, tamen miſſis legatis, & erraſſe ſe dixit, & ad Dominum Imperatorem venire promiſit.

823.

Allatum eſt Imperatori de interitu Lindeviti, quod relictis Sorabis cum in Dalmatiam ad Lindemuslum Avunculum Bornæ Ducis perveniſſet, & aliquantum temporis cum eo moratus fuiſſet, dolo ipſius fuiſſet interfectus.

823.

In eodem conventu mors nunciatur Lingeviti Tyranni, a quodam dolo interfecti.

Lindevitum, ſcilicet, tunc metu exercitus Francorum, ad Sorabos in Dalmatiam fugiſſe, id eſt, ad Serblos (hos Franci Sorabos, prout Septentrionales Slavos vocant) qui Dalmatiæ partem Orientalem poſſidentes, Orientali quoque Imperio ſubjecti erant, deinde Lindevidum eundem cum occiſo Duce Sorabo, ad Francos redire vellet, in Dalmatiam ad Lindemuslum Francis ſubditum, Bornæque in Ducatu Croatiæ ſucceſſorum affugiſſe, id eſt, ex Serblia ad Occidentalem Dalmatiæ partem, Croatiam nuncupatam, ex ſupra allata diſtinctione dicendum eſt, ne Dalmatiæ repetitio confuſionem pariat. Simili modo ea, quæ refert Egin. in Annalibus 821. *Fortunatus Patriarcha Gradenſis, veniens Iadram Dalmatiæ Civitatem, Ioanni Præfecto Provinciæ illius fugæ ſuæ cauſas aperuit, qui eum ſtatim navi impoſitum Conſtantinopolim miſit.*

De

De Dalmatia proprie dicta, quæ antiquum nomen retinebat, intelligenda sunt, ex quo ejus Præfectum, Iadræ commorantem, jurisdictionem quoque maris Adriatici habuisse dignoscitur: sequuntur Annales Eginh.

824. *Cæterum Legatos Abotritorum, qui vulgo Prædenecenti vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adjacentem incolunt, qui & ipsi adventare nunciabantur, illico venire permisit. Qui cum a Bulgaris inique infestari se quererentur, & contra eos auxilium sibi ferri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum Legatis constitutum redire, jussi sunt.*

826. *Baldricus, & Gerholtus Comites, ac Pannonici limitis Præfecti, & adhuc de motu Bulgarorum adversum nos nihil se sentire posse, testati sunt.*

827. *Bulgari quoque Sclavos in Pannonia sedentes per Dravum navali exercitu ferro, & igne vastaverunt, & expulsis eorum Ducibus, Bulgaricos eis rectores constituerunt.*

828. *Conventus, mense Februarii, Baldericus etiam Dux Forojulienſis, cum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ* superioris *impune vastassent, honoribus privatus, & Marca, quam solus tenebat, in quatuor Comites divisa est.*

Inferioris.

Ex quibus patet, Francorum ditionem etiam ultra Danubium in Daciam extensam fuisse in Abotritos, quos Prædenecentos vocatos asserit, ad differentiam Abotritorum circa Albim in Germania habitantium, quorum mentionem facit anno 795. eodem modo Bulgaros quoque trans Danubium ditionem habuisse oportet, cum Francis contermini fuerint in Dacia, quod confirmatur ex iis, quæ sequuntur: scilicet Bulgares per Dravum navali exercitu subegisse Slavos in Pannonia sedentes, neque enim aliunde, quam per Danubium ex Dacia venire poterant, Serviis citeriorem ripam Danubii possidentibus, ideo sicuti in Dacia trans Danubium confinia inter Francos & Bulgaros fuisse constat, ita ubinam fuerint, incompertum est; cum Francos ductu Pipini ad Tissam tantum flumen (nunc Tibiscum incolis (Tissam) perveniisse Egin. memoret; sed sicuti limitem Orientalem Francici Imperii Baldricum Foro julii in potestate habuisse patet, ita eundem Pannoniam inferiorem, & Carantanorum Regionem cum Croatia rexisse ex supra allatis constat: ita ut quidquid Vngarici deinde Regni cis Danubium fuerit, cum Carinthia, Istria, & Foro julio in potestate haberet: addendique sunt Abodriti in Dacia, sive Bulgaria Transdanubiana, & Guduscani & Timotiani in Bulgaria hodierna, sive Cisdanubiana, inde quanti momenti hæc Marchia limitanea fuerit, & quam late pateret, colligi potest: Bulgari autem tunc non solum Guduscanos, Timotianos, & Abodritos, sed etiam Slavos Pannonicos per Dravum subigentes, suosque rectores ipsis relinquentes, in Causa fuere, ut Marchia privata Duce, in quatuor Comites divisa fuerit, ex qua divisione debilitata limitanea Provincia, Croatis ansam præbuit a Francis desciscendi, ut suo loco referetur.

CAPUT XVI.

De Præfectura Adriatici, & Ducatu Dalmatiæ.

A Tempore Augusti, donec Monarchia Romana viguit, Adriatici custodia Classi Ravennati demandata fuit; sed diviso Imperio, Occidentale sensim diminuebatur, donec ipso extincto, Classis quoque ejus reliquiæ, ex Tyrrheno, & Adriatico, in Orientale secessserunt, & quamvis Africa, Italia, & Dalmatia, simul cum Tyrrheno, & 540. Adriatico, a Iustiniano recuperatæ fuerint, tamen Italia diutino bello a Gothis, & Francis vexata, morboque succedente fere desolata fuit, & quando per Nasetem pacata, respirare cœperat, Longobardi majorem ejus partem Occidentalem occuparunt: vix Ravenna 570. cum aliquibus Civitatibus maritimis retenta, ut supra narratum est: cum vero Longobardi ad maritima loca a principio non pervenerint, Græci sine controversia mare possidebant, & Classe Constantinopoli Ravennam frequenter navigantes, Adriaticum custodiebant; Cap. 8. sed Longobardi deinde Samnium cum maritimis quibusdam locis in Adriatico ceperunt, Slavique primo Istriam 589. desolarunt: deinde totam fere Dalmatiam occuparunt, & exinde Sipontum 604. transfretantes, loca quædam popularunt, ut Paul. Diac. scribit L. 4. c. 46. 638. ideo tunc aliquas quoque Insulas Dalmaticas ab iisdem occupatas argui debet; quarum commoditate facilius transfretare potuerunt, & cum Orientales Dalmatiæ Insulæ contra Sipontum sitæ sint, has a Slavis jam tunc occupatas dicendum est, qui deinde Narentani, & Pagani nuncupati fuerunt, ut supra relatum est, & infra clarius patebit, abindeque Græcis in Italiam, & Dalmatiam navigantibus, Adriaticum infestum redditum argui debet; ideo eorundem in Adriatico viribus decrescentibus, facile fuit Longobardis Brundusium, & 649. Tarentum expugnare: Saraceni quoque 695. tunc Africam occuparunt, & exinde 696. Tyrrhenum infestantes Sardiniam ce- 720. perunt, quæ loca Græci recuperare non potuerunt, sed Leo Isauricus contra Sacras Imagines bellum exercens, 723. ob id Iconomachus cognominatus, Lati-

norum animos a se alienavit, eoque tenuitatis Græcorum in Italia vires devenere, ut Ravennam a Longobardis captam absque Venetorum auxilio, recu-
726. perare nequiverint : excommunicato
730. deinde a Summo Pontifice Imperatore, tributisque Italicis privato, eo magis res Græcorum attenuatæ fuerunt : tandem Imperante Constantino Copronimo, Ravenna a Longobardis capta, Exarchatus, cum Græcorum dominio in Occiden-
752. tali parte Italiæ extinctus fuit; in Orientali vero, Sicilia, & aliqua Italiæ loca, retenta sunt : ex quibus patet, Græcos donec Ravennam possederunt, Adriaticum quoque in potestate habuisse : nam quamvis Longobardi plura maritima Italiæ loca possiderent, illos tamen Classem habuisse nulla memoria reperitur, ex altera vero parte, etiamsi Slavi totam continentem Dalmaticam, cum quibusdam etiam Insulis Orientalibus occupassent; tamen Dalmatæ ad cæteras Insulas confugientes, & maris possessionem retinuerunt, & nonnullas quoque in continenti Civitates reædificarunt, ipsorumque deinde Slavorum major pars Christianam fidem amplexa, Dalmatas mole-
Cap. 11. stare desiit, ut supra relatum est: Sed post Ravennæ amissionem, usque ad Caroli Magni tempora, quænam in Adriatico loca Græci retinuerint, nemo Auctorum refert, ac sicuti de Dalmatia ex supra scriptis cum Porph. aliqua distinctio tradi potest ; ita in Istria quoque aliquid Græcos possedisse argui debet : cum quando a Longobardis occupata fuerit Istria, nemo referat, sed direptam tantum Paulus Diaconus scribat l. 3. c.
Sigon. 28. *Rex Autari ad Histriam exercitum misit,*
487. *cui exercitus Evin Dux Tridenti præfuit, qui post prædas, & incendia, facta pace, in annum unum magnam pecuniam Regi detulerunt.*
600. item lib. 4. cap. 25.

Longobardi cum Avaribus, & Sclavis Histrorum fines ingressi, universa ignibus & rapinis vastaverunt.

605. & cap. 42.

Hoc nihilominus anno, Sclavi Histriam interfectis militibus lacrimabiliter deprædati sunt.

Et sicut ex epistolis D. Gregorii anno sequenti Istriam adhuc in potestate Græcorum fuisse, Carolus Sigonius diligens antiquitatum indagator animadvertit ; Ita ex iis, quæ Paulus Diaconus lib. 5. cap. 12. & Anastasius Bibliothecarius in
668. vita Adeodati Papæ uniformes referunt. *Interfecto igitur apud Syracusas Constante Imperatore, Mecetius in Sicilia Regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate, contra quem Italiæ militiæ milites, alii per Histriam, alii per partes Campaniæ, alii vero a partibus Africæ, & Sardiniæ venientes in Syracusas irruerunt.*

Præsidia Græcorum adhuc in Istria fuisse, argui potest, ejusque aliquam partem, saltem maritimam, Græcos servasse dicendum videtur, & quamvis postea Carolo magno Istriam cessisse Eginh. loco citato scribat, ipsamque ejus successores sub jurisdictione Ducis Foro julienſis tenuisse constet, tamen Carolo Longobardorum Regno potiente, Græcos adhuc territorium aliquod in Istria possedisse, ex epistolis Adriani Papæ ad eundem Carolum apparet. *Adrianus P. P. a*

Epist. Rom. Pont. ad Reges Franc. Epist. 57. 772. *usque* 795.

Domino Excellentissimo Eximio Filio Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, atque Patritio Romanorum Adrianus Papa. Credimus quod jam ad vestræ a Deo protectæ Excellentiæ aures pervenit de Episcopo Mauritio Histrienſi, qualiter dum eum fidelem B. Petri, & nostrum cognovissent nefandissimi Græci, qui in prædicto ibidem territorio residebant Histrienſi. & infra. *Zelo ducti tam prædicti Græci, quamque ipsi Histrienſes ejus oculos eruerint, proponentes ei, ut quasi ipsum territorium Histrienſe, vestræ sublimi Excellentiæ tradere debuisset.*

Ideo sicuti ex iis, quæ refert idem Eginh. loco supra citato in vita Caroli Magni. *Cap.* 15.

Histriam quoque & Liburniam, atque Dalmatiam exceptis maritimis Civitatibus quas Constantinopolitano Imperatore habere permisit.

Exceptio Civitatum maritimarum de Dalmaticis ex Porphir. verificata fuit, ita (quamvis nemo id referat) ad Istriæ quoque quandam Civitatem extendi debet, & saltem ad Iustinopolim in Insula positam, quam Græcos maris dominos, etiam post Carolum recognovisse mos, laudes canendi, usque in hodiernum diem servatus arguit, ut sequenti libro in cap. de laudibus dicetur; Cum ergo in Italiæ parte Occidentali nihil reliquum Græci retinerent, præter aliquid exile in Istria: ita Adriatici maris dominium ad Insularum Liburnicarum, sive Dalmatiæ Occidentalium, & nonnullarum meridionalium, ex Orientalibus possessionem, simul cum Civitatibus, Iadra, Tragurio, Spalato, & Ragusio in continenti Dalmatica restrictum fuit, inter quas cum Iadra opportuniorem cæteris situm portumque haberet ibi Præfectum Adriatici, pro Græcis post Ravennæ amissionem resedisse mox patebit. Per Ducem ergo Iadræ residentem, Dalmatiam & Adriatici dominium Græci retinebant, sed languescente in dies magis ex socordia Imperatorum Græcorum potentia, pro Adriatici conservatione iidem Venetos Duces dignitatibus, populum privilegiis honorabant.

Veneti enim declinante Imperio Romano, Barbarisque Italiam vastantibus, *ab* 406. ad proxima littora, insulasque confu- *usque* 452. gientes temporarias habitationes construxerant, sed aliis, atque aliis Barbaris supervenientibus, in iisdem locis perstiterunt: Herulis deinde, & Gothis 476. Italiam cum Dalmatia occupantibus, 493. jam maritimis ærumnis assuefacti, ibidem habitationes continuarunt, neque post Italiam a Belisario recuperatam, ob 540. continuatum cum Gothis bellum, patrias repetere ausi sunt; sed sedibus inter paludes

ludes fixis, Imperio facientes, Narsetis exercitum invitis Francis per propria
552. æstuaria transfretarunt: Longobardis
570. tandem Occidentalem partem Italiæ occupantibus, confugientiumque ad easdem Insulas numero crescente, varias Civitates construentes, concordes inter se fidem, moresque Romanos servantes, Exarchis Ravennæ adhærentes navigationem exercuerunt: sed Græcorum viribus in Italia sensim decrescentibus, Longobardi reliqua continentis Venetiæ loca, & Slavi similiter Dalmatiæ, cum aliquibus etiam Insulis uno eodemque
638. tempore occuparunt, tunc & Venetarum Insularum habitatorum numerus auctus est, & Græcorum vires maritimæ in Adriatico, ex Dalmatiæ mutilatione, debilitatæ fuerunt. Abindeque utrique, tam Veneti, quam Dalmatæ, ob victus necessitatem eo magis navigationi incumbendi necessitatem habuerunt, sed Veneti, ex situs opportunitate meliorem conditionem nacti sunt, cum omnium Occidentalis Italiæ fluminum in Adriaticum se exonerantium Ostia in potestatem haberent: ideo navium Venetarum numerum auctum, navigationemque eorum dilatatam argui debet: Ita, ut Ravenna a Longobardis capta, Romano Pontifici obsequentes ipsam Exarcho
726. recuperare potuerint, primaque vice arma tractantes, glorioſum nomen Venetum effecerint, eorumque Dux Hypati titulo tunc ab Imperatore decoratus fuerit; sed in dies magis Græci ob Iconomachiam ab Ecclesia recedentes, alienatis Latinorum animis, Ravennam iterum amiserunt, quam amplius recuperare nequiverunt: nam Venetis (Hi interim cum Luithprando Longob. Rege convenerant, ac imbecillitatem Græcorum in propriam utilitatem vertentes, eo magis navigationes suas dilatabant) Ravennæ amissionem non displicuisse conjectari debet: eo quia, quo rarius Græcorum Classes (jam Latinis exosæ) ad proxima ipsis littora accedebant, eo magis Venetis præberetur occasio, navigationem Adriatici ad se trahendi, permutationemque mercium cum Longobardis liberius exercendi; sed cum ii Pontificem molestarent, Romamque occupare tentassent, ideo Stephanus summus Pontifex, non minus metu eorundem, quam Græcorum, ad Francorum
755. protectionem recurrens, & Vrbem tutatus est, & Ravennam cum Pentapoli, Longobardis per Francos ereptam, Ecclesiæ acquisivit, quad maximo commodo Venetis cessit: nam sicuti Longobardorum terrestrem potentiam, ex Ravennæ, ostiorumque Padi accessione, terrori Venetis fuisse argui debet; ita ex ejusdem in potestatem Ecclesiæ deventu omnes suspiciones sublatas dicendum est, tuncque primo Venetos Ecclesiæ ditionem in confinio nactos, quietas negotiationes suas prosecutos fuisse, concludendum videtur. At cum Græci ex Ravennæ amissione, Adriatici quoque dominium mutilum haberent, ideo ipsam recuperare nisi sunt: sed cum eorum conatus Venetis, qui per Græcorum loca navigabant, latere non possent, consilia ipsorum Archiepiscopo Ravennati significarunt; ut ex epistolis Pauli Papæ *Paul. P. P.*
ad Pipinum Francorum Regem scriptis 757. *us-*
apparet, epistola 28. *que* 768.

Exemplar denique Epistolæ secreto directæ a quibusdam Veneticis Sanctissimo fratri nostro Sergio Archiepiscopo (id est Ravennæ) simul, & ex litteris, quas idem sanctissimus vir nobis direxit, infra hæc nostra scripta vobis misimus, & peto, & tamquam præsentialiter deprecor, atque per omnipotentem Deum conjuro Excellentissimam Christianitatem vestram, præceptionem Desiderio Regi Longob. ut si necesse exegerit, auxilium præstare debeat, tam Ravennæ, quam Pentapoleos maritimis Civitatibus ad dimicandum contra inimicorum impugnationem.

Et Epistola 34.

Significat nobis (scilicet Vulcarius Coepiscopus) quod nefandissimi Græci inimici Sanctæ Ecclesiæ, & Orthodoxæ fidei expugnatores, Deo sibi contrario super nos, & Ravennatium partes irruere cupiunt, atque motionem facere, unde quia alibi post Deum, & B. Petrum nostra spes non est, nisi apud vestram Nobilissimam Excellentiam; ideo obnoxis deprecationibus petimus te Excellentissime fili, & spiritualis compater, ut jubeas propter Deum, & reverentiam B. Petri salutem istius Provinciæ a vobis redemptæ procurare, & confestim vestrum dignemini dirigere Desiderio Longob. Regi missum, ut si necessitas fuerit, significatum auxilium nobis pro incursione eorundem inimicorum impertire debeat. & infra, *non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Græci, nisi propter Sanctam, & Orthodoxam fidem, & venerandorum Patrum piam traditionem, quam cupiunt destruere, atque conculcare.*

Non conduxisse enim Venetis jam libero mari assuetis, ex Ravennæ recuperatione, classium Græcanicarum vicinum incommodum de novo experiri: sed ne commercium interdiceretur, classemque eorum contra se irritarent, secreto ipsorum apparatum Ecclesiæ nunciasse censendum est: quo patefacto, Græcorum conatus elusi fuerunt: At cum ipse quoque Desiderius ultimus Longob. Rex Pentapolim, Romanumque Ducatum occupare niteretur Pontifex 772.
Carolum Francorum Regem advocavit, 773.
qui desiderium Papiæ obsidens, Pontificem a molestiis liberavit. Veneti tunc Pontifici adhærentes, obsidionem Papiensem suis navibus juverunt Carolusque, *Bernar.*
capto Desiderio, Regnum Longobardo- *Iustin.*
rum occupavit; indeque Veneti Francorum amicitia potiti, pacatis circum- 774.
quaque per Longobardiam rebus fruentes, navigationes suas quietas continuaverunt. Græci interim, & intestinis discordiis agitati, & Bulgarorum bellis implicati, Adriaticum neglexerant, ob id Dalmatæ ad Caroli protectionem re- 806.

currentes, ipsi se dederant, sed Nicephori Imperatoris Classe superveniente, iterum Græcorum dominium subire coacti fuerunt, ut supra dictum est: Paulum Ducem Iaderæ Annales Francorum nominant; Hunc autem Dalmatiæ Ducem fuisse, Iadræ residentem, ex supra dictis, & magis ex sequentibus patebit: sed an is fuerit primus Dux, an vero quando a Longino primo Italiæ Exarcho Duces per Italiam instituti fuerunt, tunc quoque in Dalmatia Dux creatus sit, incertum est, sed sicuti Dalmatia antiquitus Occidentalis Imperii Provincia fuit, & Præfectis Prætorio Italiæ, deinde Herulis & Gothis Italiæ Regibus paruit, ipsamque Italiæ Regionem Stephanus, & Porph. asserunt, ita Exarchis quoque paruisse, & ad Italiæ reliqua conservanda, Græcis maximam commoditatem attulisse, dicendum est; Ducesque Dalmatiæ simul cum cæteris Italicis institutos conjectari potest: Ioannem quoque Ducem Præfecti nomine iidem Annales memorant, quem jurisdictionem etiam Adriatici habuisse supra relatum est. Quam jurisdictionem maris, Græcos simul cum Dalmatia retinuisse ex superius dictis constat; sed sicuti Dalmaticæ continentis partem exilem, & non omnes Insulas possidebant, ita, & debiliores eorum Classes evaserunt, & post Ravennæ amissionem rarius quoque Adriaticum adeundi occasionem habuerunt, at cum ob diutinum cum Bulgaris bellum, in quo Nicephorus Imperator occisus fuit, ipsaque Constantinopolis obsessa, Græcorum classis ex Adriatico recessisset, Dalmatas navigationes suas cum Venetis associandi necessitatem habuisse, argui debet, abindeque pro suarum navium tutela, quamvis sub Græcorum dominio, proprio tamen marte, arma tractare cœpisse, dicendum videtur. Veneti vero etiamsi intestinis discordiis aliquando perturbati fuerint, & a Francis multa incommoda passi sint, ob quæ sedem Ducalem ad interiores Paludum Insulas Rivialti, sive Riolti dictas, reducere coacti fuerunt: tamen, & discordias cito sedarunt, & cum Francis, qui Classem in Adriatico non habebant, facile pacati, Civitatem Venetiarum ædificarunt: sic inter se concordes utrique Imperio amici, eo magis navigationes suas prosequuti sunt, Ducesque eorum ab Imperatoribus Constantinopolitanis honoribus affecti fuerunt, & sicut ex socordia res Græcorum in dies decrescebant, ita ex Venetorum solertia, maritima emolumenta augebantur: tandem Michaele Balbo Amorensi Adriaticum prorsus destituente, Dalmatæ se in libertatem vendicarunt, ut infra suo loco referetur: succedentibus deinde Saracenorum deprædationibus, cessantibusque Græcorum in Adriatico auxiliis; Veneti, & Dalmatæ communem navigationem defendere coacti fuerunt. Cum vero Dalmatæ a Croatis quoque, & Narentanis premerentur, alienis auxiliis indigere cœperunt; Veneti vero res suas integras pacifice possidentes, & ex situs opportunitate in dies vires augentes, Dalmatis sociis, propria utilitate sic exigente, contra Slavos mare inquietantes, auxilia præbere coacti fuerunt, indeque imitatione Attiensium dominium Adriatici auspicati sunt, ut suo loco dicetur.

Cap. 15.

821. *Eod. cap.*

811.

810.

822. *Lib.* 2. *cap.* 2.

LIBER SECVNDVS.



Ines Illyrici, Populorumque ejus nomina antiqua, per temporum ſucceſſiones ex vulgatis auctoribus, ſuperiori Libro tradita fuerunt; deinde ex monumentis, quæ huc uſque latuerunt, aliqua referenda ſunt, quæ quamvis continuam rerum geſtarum ſeriem non ſuppeditent, tamen certiora continent. Hoc Libro ergo Duces, & Reges Croatorum enumerabuntur, relatisque rebus eorum tempore geſtis, Croatici & Dalmatici Regni jura, moresque diſtinguentur.

CAPVT I.

De Ducibus Croatorum & eorum Stirpe.

CRoatorum Duces aliqui ſuperiori Libro nominati fuerunt, qui Regibus Italiæ ſub jurisdictione Ducis Foro julienſis & Pannoniæ inferioris Præfecti parebant: At Marchia hac limitanea a Ludovico Pio in quatuor Comites diviſa, & exinde debilitata, ſuccedentibus etiam in Imperio Francorum diviſionibus, Croatos jugum excuſſiſſe conſtat; quæ quomodo, quandove evenerint nemo præter Porphir. memorat; ſed adeo parce ea tradit, temporaque confundit, ut vix quædam diſtingui poſſint. Accedit Porphirogenito Thomas Archidiaconus Spalat. qui in referendis Ducibus Croatorum ab eo diſcrepat: ea, qualia ſunt, tradenda, examinanda, & ex ſcripturarum collatione certioranda ſunt; proponetur ergo utriusque Scriptoris Catalogus Ducum, & ex eorumdem Privilegii aliqui addentur, diverſitasque, quoad fieri poterit, conciliabitur; ſed ſicuti Porph. in eorum recenſione annos omiſit, ita Archid. ex Archiepiſcoporum Catalogo ipſos deducens, cum Regibus confundit; Ideo Reges ejusdem ſimul cum Ducibus ponuntur, ne ex repetitione Lector tædio afficiatur.

Duces Croatorum ex Porphirogenito.	Duces, & Reg. Croat. ex Archidiacono.	Duces Croat. ex Auctoribus, & Privil.
N qui & PORINVS		PORINVS
PORGA		PORGA
	BRANIMIR.	
		818. BORNA Dux Dalm. & Liburniæ
		821. LADASCLAWS MISLAWS
	914. TAMISLAWS	
	970. DIRCISLAWS Rex Dalm. & Croatiæ.	
TERPEMERE	990. TIRPIMIR Rex.	838. TIRPIMIRVS
		892. MVCIMIRVS
		840. VNVSCLAWS & DIODVRVS
CRASEMERE		DOMINICVS vel DEMOGOY & INICVS
		879. SEDESCLAWS
		880. BRANIMIRVS Comes
		890. BRAZLAVON
MYROSTLABVS	MVCIMIR Rex	920. MICHAEL Banus
PRIBVNIVS Bocanus	1015. CRESIMIR Patritius, & Chroatorum Rex	
	1060. STEPHANVS Rex	
	CHRESIMIR Rex	
	ZVONIMIR Rex ultimus.	

Primum Ducem Croatorum Porphir. cap. 31. Anonymum, Porgæ patrem, ponit, quem cap. 30. Porinum nominaverat, & Abares expuliſſe tempore Heraclii aſſerit, ut dictum eſt ſupra Lib. 1. Cap. XI. Secundum Porgam ejus filium, cujus tempore Croatos baptizatos, & poſt baptiſmum pacificos redditos ſcribit.

Bornam, & poſt eum Ladaſclavum Francorum Annales nominant, qui deinde ponendi ſunt, ut multi anni Porphirogeniti ante Tirpimirum vacui non relinquantur. Ex Privilegio ejusdem Tirpimiri, infra ponendo, conſtat, Mislaum Ducem ipſum anteceſſiſſe, quem Veneti Mium vocant, & tempore Petri Tradonici eorum Ducis ponunt, hic debet eſſe is, quem Archidiaconus Tamislavum vocat, quamvis Branimiro poſtponat, & ex Archiepiſcoporum collatione anno 914. ponat; Sed cum Tirpimirum quoque, Dirciſlavo poſtponendo, Regem fuiſſe aſſerat, ſimiliter, & Mucimirum, quos Duces fuiſſe, & ante Reges ex eorumdem Privilegiis conſtat, neque ullius Tirpimiri vel Mucimiri Regum memoria reperiatur; ideo ordo, & anni Archidiaconi non ſunt attendendi, cum in rebus ſe antiquioribus (communi illorum temporum vitio) non fuerit diligens ſupputator, prout in contemporaneis accuratus, & veridicus Scriptor. Tirpimirum poſt Mislavum ponendum, Privilegium ejus ſupra citatum teſtatur, & cum tempora congruant, eumdem eſſe cum Porph. Terpemere, quamvis in filio non conveniant, dicendum eſt. Vnuſclavum quoque, & Diudurum Sclavorum Principes Annales
836. *uſque* 864. Danduli memorant; ejusdem Ducis Tradonici tempore.

Dominicum, vel Demogoy, & Inicum Principes Slavorum tempore Vrſi Par-
ab 864. ticipatii Duc. Ven. eorumdem Hiſtorici
uſque 881 referunt; Ideo hos Duces Croatorum circa eadem tempora fuiſſe, diviſionemque tunc inter Croatos ſecutam dicendum eſt cum Porphirogenito. Sebeſclavum enim, ejectis filiis Demogoy, ſucceſſiſſe, eoque occiſo, Branimirum Ducem, Comitemve memorat Dandulus, quem ex epiſtolis Io. Papæ VIII. inferius ponendis Ducem Croatorum fuiſſe patebit, annis ſcilicet 879. & 881. hunc Archidiaconus Ducem Sclavoniæ tempore Caroli Regis ponit, ſcilicet poſt annum 840. quod congruere poteſt, nam Carolum dictum Craſſum regnaſſe anno 879. & Coronam Imperii anno 881. ſumpſiſſe conſtat.

Mucimirum Tirpimiri filium deinde ponendum ex ejusdem Privilegio, infra ponendo, apparet, ſcilicet anno 892.

Michaelem item Ducem Sclavorum Veneti Scriptores memorant, tempore *a* 912. *uſque* 932. Vrſi Baduarii, quem ducem Croatorum fuiſſe argui poteſt, & ex temporum collatione forſan Porph. Miroslavum, Creſimiri, vel Mucimiri filium, a Græcis, nomina mutare ſolitis, Michaelem vocatum, qui ſi idem cum Miroslavo ponatur, quem occiſum a Pribunio Bano Porphir. refert, hoc evenit circa ea tempora, quando Porphirog. ſcribebat, quæ ex annis Mundi, & Indictionibus ab ipſo relatis ad annum 949. referri debent. An autem Pribunius occiſor ſucceſſerit in Ducatu, incertum eſt; quamvis Pribinnæ cujuſdam Bani, tempore Dircislavi Regis mentio reperiatur, quem huic poſteriorem fuiſſe argui debet, ut ſuo loco dicetur.

Hi ſunt Croatorum Duces, quorum memoriæ reperiuntur; ſed an totius Croatiæ Duces fuerint, vel ſicuti multoties diviſam Croatiam comperietur, ita eodem tempore plures Duces ſive Bani fuerint, diſtingui non poteſt; ideo, his incompertis relictis, inveſtiganda erunt ea, quæ in Croatia ipſorum temporibus evenere, ſed cum terreſtres Croatorum res geſtæ a nullo Latinorum Scriptorum tradantur (niſi ex generali nomine Slavorum aliquid Croatis adaptari velit) & a Græcis quædam exilia, quæ ſuo loco referentur; Ideo, quæ in Adriatico Mari Ducum Croatorum tempore geſta ſunt, tradentur, ex quibus eorumdem quoque res lucem accipient.

CAPUT II.

De rebus in Adriatico geſtis Ducum Croatorum tempore.

ADriatici maris dominium Græcos ſervaſſe, & in diviſione, tempore Caroli Magni, ſimul cum Dalmatia poſſediſſe, ſuperiori libro relatum eſt; Sed ſicuti Italiæ majorem partem ex eorum ſocordia amiſerant; ita Adriatici quoque dominium in dies attenuabatur, donec ipſum quoque penitus extinctum fuit, ut auctores eorum referunt, Zonaras, Cedrenus, & Curopalata *Michaelis Balbi Amorei tempore, Saraceni Siciliam, & Calabriæ partem occupavere; Item omnis Dalmatia defecit* & Porphirog. cap. 21. *Michaelis Amorenſis Balbi ſocordia, qui Dalmatiæ Op-* 827.
pida habitabant, ſui juris extiterunt, neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri ſubjecti, itidem finitimæ illis gentes, Chrobati, Servi, Zachlumitæ, Tribuniotæ, Dioclætani & Hypagani excuſſis Romani Imperii habenis, liberi, ſuisque non alienis Legibus uſi fuerunt.

Sic Porphirogenitus omnes populos in Dalmatia antiqua exiſtentes comprehendit: perperam tamen nominaſſe Croatos, qui Occidentali Imperio parebant ex ſupradictis conſtat; ideo, totius Dalmatiæ deficientis nomine, intelligendum eſt, quidquid Orientali Imperio in Dalmatia parebat; Sed cum eodem Michaele

828. ele Imperante Saraceni Siciliam & Cretam occupassent, Ægæumque, & Ionium incursarent, Græci non solum propriam Classem ex Adriatico accersivere; Sed etiam Venetis auxiliis indiguere, ideo recedentibus Græcorum classibus, ex Adriatico, ejus accolæ Dalmatæ; & Servii sui juris effecti, suisque Legibus usi sunt, ut Porphir. scribit: quomodo vero deinde se res in Adriatico habuerint, nemo refert. Sed cum eodem tempore, quo Saraceni Orientale Imperium vexabant, Occidentale quoque ab iisdem, & Northmannis infestaretur, & inter Carolingos bella Civilia, Francorum debilitassent Imperium, Croatis in limitibus ejus Orientalibus positis ansam præbuit jugum excutiendi, indeque metu Francorum depositio, propria freti potentia, spretisque pactis inter duo Imperia initis, fimbrias dilatare, & Adriaticum infestare cœpisse ex Porphirogeniti verbis elici potest, qui Croatorum potentiam maritimam, & terrestrem describens ait cap. 31.

Baptizatæ vero Crobatiæ Vrbes habitatæ istæ sunt; Nona, Beligradum, Belitzin, Scordona, Chlebena, Stolpum, Tenen, Cori, Claboca, exhibetque Equitum LX. peditum C. millia, & Sagenas LXXX. Conduras. C. quarum illæ XL. viros habent, hæ XX. nempe quæ majores, nam minores tantum X atque hæc quidem potentia ejus, & copiæ fuerunt, usque ad Principatum Cresemere, quo mortuo Myrosllabus filius, postquam quadriennium genti præfuit, a Pribunio Boeano interfectus esset, pluribus tunc obortis dissidiis, ac factionibus equitum peditumque numerus valde imminutus est, item Sagenarum, ac Condurarum, & Sagenas quidem nunc vix triginta habent, Conduras magnas, parvasque, & equitatum, peditatumve.

Ex quibus sicuti Porphirogenitum vires integras totius Regni Croatorum describere apparet, ita sola loca littoralia continentis sine Insulis tot conduras, & sagenas habuisse, non est verisimile, ideo Græcis Adriaticum destituentibus, Dalmatisque in dies debilioribus evadentibus, facile fuisse Croatis hominum numero abundantibus, vel sensim, concedentibus Dalmatis, vel ipsis etiam invitis, Lembos construere, insulasque suis Civitatibus maritimis Nonæ, Belgradi, & Scardonæ proximiores usurpare, quas tempore Regum Croatorum possedisse inferius patebit, indeque eo magis debilitatis Dalmatarum rebus, Croatorum maritimas vires crevisse, & simul cum Narentanis, maris possessionem Dalmatis turbasse censendum est; accedentibus deinde Saracenorum incursionibus, Adriaticum quoque ab iisdem infestatum argui debet, Slavosque, non solum proximos Dalmatas, sed etiam Venetos intra suas paludes molestasse eorum Chronistæ, & vulgati scriptores memorant, quos recentiores cum Dalmatis confundunt, & in tempore cum Chronistis non conveniunt.

His ergo prout incertis relictis ad primas Venetorum in Adriatico classium emissiones deveniendum est: Chronistæ enim cum Sabellico, cæterisque vulgatis conveniunt, Primam Venetorum in Adriatico classem, pro Orientali Imperio contra Saracenos, qui Siciliam occupaverant, missam, Iustiniam Partici- *ab* 827.
patii Ducis tempore. *usque* 829

Narentanos deinde Adriaticum infestantes (qui utpote Pagani cum Saracenis forsan sentiebant) Ioannem Parti- *ab* 829.
cipatium Ducem, quodam eorum Lega- *usque* 836
to viro prudenti baptizato, fœdere ligasse, quiescereque fecisse scribunt; Hujus Ducis tempore secundam in Adriatico classem emissam, & Vegliensem Dalmaticam Civitatem, simul cum Obelerio quondam Venetorum Duce captam, Sabellicus refert. *Ferunt per id tempus Obelerium Ducem (quem annales quosdam secuti in exilio obiisse, proximo libro docuimus) in Curietam Insulam, quam vulgo nunc Vegliam vocant, transiviſſe, recuperandi Principatus causa, res novas moliturum: in eum Participatius, antequam moveri posset aliquid, validam Classem instruit, hostemque inter primos conatus pene incautum obsidione cingit, obsessum summa ope oppugnat: Interim ex Medoacensibus quidam veteri in Obelerium studio, qui prius eorum popularis, inde Dux fuerat, in Vrbem transfugiunt. Ea re Ioannes commotus, soluta obsidione, classeque Venetias celeriter reducta in transfugarum invidiam Medoacum expugnat, atrocissimoque incendio absumit. Mox vero supplemento prioribus copiis addito, Curietam denuo trajecit, qua in suam potestatem redacta, Obelerium capitali supplicio affecit.* etiam si inverisimilitudo narrationis Sabellici, ex distantia Insulæ Curietæ, a Meduaco, vel Methamauco pateat, tamen, cum reliqui quoque Veneti historici ipsum secuti, hoc idem referant: ideo ejus æquivocationem, ex non bene intellecto Danduli loco indicare non erit inutile, ait enim Andreas Dandulus in Chronico: *Iste Dux (Ioannes Participatius) cum Narentanis pacem composuit, Obelerium quoque Ducem Venet venientem, cepit, ipsumque laqueo apud sanctum Martinum* dextra *suspendi iussit.* *Stratæ*

Idem in Annalibus 830. *hoc tempore Obelerius ejectus Venetias rediit, & in Vigilia Civitate apud Curiclum se intrusit, quem Ioannes Dux, congregato exercitu obsedit, & urbem impugnat. Tunc Methameucenses, de quibus Obelerius originem traxerat, relicto exercitu, intra urbis mœnia ad Obelerium adiverunt, Dux propterea divertens, Methamaucum expugnat, & igne consumpsit, & revocato exercitu Vigiliam, Civitatem, & Obelerium cepit, & eum decollari iussit, cujus caput Methamaucum delatum pertica in Sabbati sancti juxta* martyris *S. Martini Margi-*
marginem *suspensum.* ex quo apparet Sabel- *nem.*
licum, cum ubinam sita fuerit Civitas Vigilia ipsi non constaret, pro *Vigilia Civitati apud Curiclum* Curietam Insulam Dalmatiæ, nunc Vegliam dictam, ponendo æquivocasse, & Venetos Insulam Orientalis Imperii, longe a finibus ipsorum

rum dissitam aggressos, civitatem expugnasse, scripsit, & quamvis, ubinam ipsa Civitas Vigilia sita fuerit, hodie non constet, neque Sancti Martini Stratæ situm auctores referant, tamen ex iis, quæ idem Dandulus scribit, Sanctum Martinum intra æstuaria fuisse, constat, nam in Chronico relata conjuratione Carosi, qui Ioannem Participatium Ducem expulerat, sequitur, *& interim dictus Carosus tyrannice gubernabat, ab hoc quidam majores, uniti cum populi quantitate ad S. Martinum Stratæ se reduxerunt, ubi communicato consilio deinde recedentes in Rivo alto applicuerunt, Carosumque ceperunt, & ejus extractis oculis, in exilium posuerunt eundem.* In Annalibus.

Et da puo poco tempo Obelerio, lo qual fo privado dello Dogado, e della patria in Venee saa ritorna, & la Citta Vigilia a puo Aurialo se sera, lo qual da lo esercito del Doselo fo assediado, e combate la dita Cittade Vigilia, alora quelli de Malamocho, dali quali Obellerio aueua abudo origine, Lassa el Dose, a anda in agiuto, e favor de Obelerio primo, lo Dose sapudo zio ritorna eo lo suo esercito a Malamocho e quello combatte, e preselo, & asogalo, & prexe Obelerio, e quello el Fese degolas e la so testa fu duta a Malamacho e lo Sabato Santo del qual milesimo quella fo a picada a S. Martin de Strada.

Carosus igitur qui auctor fuerat sceleris, Ducatum invasit. Tunc Basilius Transmundo, Ioannes Marcuzzo, & Docus Orsiniaco, & alii 30. quibus commissum scelus dissplicuerat, de Venetiis exeunt, & apud S. Martinum de Strata habitationem elegerunt; ad quos paulatim Veneti confugiunt, unanimiter Venetias introeuntes, Carosum in Palatio capiunt, & auctore Dominico Ortianieo, sibi oculos eruerunt, & de Venetiis expellunt. Civitatem autem Vigiliam, quam apud Curiclum situat Dandulus, Chronista vetustus anonymus eundem casum Obelerii describens, lingua vulgari apud Aurielum ponit.

Parvo postea tempore Obelerius, qui privatus fuerat Ducatu, & patria, Venetias rediit, & in Civitate Vigilia apud Aurialum se clausit, qui ab exercitu Ducis fuit obsessus, & dicta Civitas Vigilia impugnata: tunc Metamaucenses, a quibus Obellerius originem ducebat, relicto Duce ad Obellerium recesserunt, quo cognito, Dux cum exercitu Metamaucum reversus oppugnat, capit, & exurit; Obellerium vero captum decollari fecit, & caput ejus Sabbato Sancto ejusdem anni appensum fuit apud sanctum Martinum Stratæ.

Aureolum autem intra paludes situm fuisse, apparet ex Privilegio Ducum Participatiorum Angeli, & ejus filii Ioannis: Dato Rivoalti Ind. XII. ab eodem Dandulo in Annalibus relato, in quo concedunt Ecclesiæ S. Servuli Territorium S. Hilarii dictum *Sanctum Ecclesiam semper vigili cura &c.* & infra. *Concessa igitur prædicta Capella B. Hilari Confessoris Christi, cum suis Territoriis, finibus, ac terminis, cum omnibus appendiciis, vel adjacentiis suis, quod est super totum circumdatis lateribus: id est a flumine, quod dicitur Clarino percurrente usque in Canale, qui dicitur Gambarasia, & inde in fossa, quæ dicitur Ruga, ac deinde in Canale de Luna procurrente in Seucho & usque in paludibus aquis salsis similiter a prædicto flumine Clarino descendente ad locum, ubi dicitur Aurilia, & finalibus descendente per Canale, qui dicitur Avisa, percurrente in dicto flumine Hunæ, & deinde percurrente usque in paludibus similiter tribus millibus aquis salsis* ex quo Auriliam fuisse prope Gambarasiam, (nunc Gambarare dictam) apparet, propeque eandem vigiliam, & intra æstuaria sitam concludendum est, Sabellicumque æquivocando scripsisse, Venetos Curietam Orientalis Imperii Insulam invasisse, pejusque ipso alter recentior Chronista, pro Vigilia, Vegliam, & pro Curieta, Curzolam sumens, duas Dalmaticas insulas longe inter se divisas, tunc ab eodem Duce captas scripsit; Petrum Tradonicum cum Sclavis bellum gessisse, & cum Mio Principe eorum pacem fecisse, Veneti scribunt, quem Mium, pro Tamislavo Duce Croatorum Archidiaconus ponit: hos autem Sclavos pro Croatis sumendos esse, infra patebit. Ejusdem Tradonici Ducis tempore Tirpimirum Ducem Croatorum vixisse, Privilegium ejus testatur, ex quo, cum multa elici possint, integrum ponere placuit.

819.

Ex Registro Privilegiorum Archiepiscopatus Spalatensis. In Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Regnante in Italia Piissimo Lothario Francorum Rege, per Indictionem XV. sub die 4. Nonis Martii. Dum Mundi ab origine cuncta per tempora facta mansisse, delabisseque succedentibus alia altissimi si met oculis perspicimus mentis, & manus fidei palpamus, nihil corporeis membris videre, audire aliud valemus, nisi ea, quæ præsentantur, & scripturarum auditio obtutibus pandit... Vnde ego licet peccator Tirpimirus Dux Croatorum juvatus munere divino, incertus de die novissimo, & hora, qua nesciat homo solicitus nimis animæ meæ commune consilium meis cum omnibus Zuppanis construxi Monasterium, ibique Catervas fratrum adhibui, quorum sedulis votis, & frequens oratio nos immunes redderet Deo peccatis, in hanc adjecit mens nostra, ejusdem Monasterii Ecclesiæ aliquid in utensilibus præparare; Cum autem non sufficeret in argento ipsa vasa perficiendum, accommodavit nobis Petrus Salonitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, & dilectus compater XI. Libras argenteas: hac de re ei duximus hilari animo dare quidvis, & non denegamus charitati vestræ, quibus ipse respondit, volo Domine & Compater ut primum, quidquid proprio emi pretio, vel quod donatum est in immobilibus & mobilibus in sancta Matre Ecclesia, id est in Lasani, & Turgari cum servis,

ab 837. usque 864.

&

& ancillis . . . . . Chortino præsentia Claritatis vestræ per paginulam Privilegialem Sanctæ Salonitanæ Ecclesiæ dictæ mancipata in æternum permaneant, ac deinde, ut in fatam matrem Ecclesiam, quæ Metropolis usque ripam Danubii, & pene per totum Regnum Chroat. & pro remedio animæ vestræ, parentum vel fidelium vestrorum, & per commodatum argentum detis Ecclesiæ B. Georgii, in loco qui dicitur Putalio omnia quæ obtinet possessionum, servos quidem, & ancillas, quæ Mistavo Duce ipsam Ecclesiæ cum dedicata videtur, & ab ipso Duce donis ditatam, simili modo, & Privilegii censura, hæc quidem donatio a Vobis firmiter enixe deposcimus talibus & suggestioni placiti data ad sensum spopondimus, & jure mansuris rebus Privilegium fieri præsentem nostram deliberationem, præcepimus, videlicet ita duntaxat ut empta pretio infra terminis nostris in locis memoratis sempiterna donatione possideat dicta jam sancta Ecclesia a nemine infestante.

Tandem vero præfatam Ecclesiam de Regali Territorio ab orientali, & occidentali parte, a Rupe montis, usque ad mare, ab utroque latere terminos cum lapideis, & ferro signatos, infra quos terminos nullius adjacet territorium, nos diligenter condonamus, & hoc in augamento Sanctæ Salonitanæ Ecclesiæ, proferentes firmamus, & singulis annis de omni nascentia Terræ ex curte nostra, quæ Clusan dicitur, Decimæ inferantur in memoratam Ecclesiam, quas decimas Antecessor Noster Mislavo dare cœpit, si quis vero de super scriptis, quidquid Deo inspirante, amore Sanctorum inflammati devoto pectore obtulimus, concessimus, & imposterum inconvulsa firmata valere censuimus, in Cœnobium sanctorum Martyrum Domnii, & Anastasii, Cosme & Damiani, & si quis diripere, vel subtrahere, aut per vim opponere tentaverit, iram Domini Salvatoris, & Sanctorum omnium maledictionem, quidem CCCXVIII. Patrum vinculo insolubili anathemate Maranatha denodetur, dividetur, & evellatur divino judicio, a cognatione, & patria, uxore, & filiis, qui separare donationem nostram temerarie a Sancta Matre Ecclesia jam factam præsumpserit, fovetur itaque hic litigantibus cum eo vicariis sanctis Religiosorum subsistentium, Principum gratia tam nefandi faciens quisquis ille defunctorum oblivioni dans, & in novissimo die magni examinis cum Diabolo, & ejus tetris Angelis, & Iuda Iscariote, Christi proditore, in gehenna Barathri muneretur, ubi ignis nunquam extinguitur, & vermes impiorum non moriuntur.

Actum in loco, qui dicitur Byaci, tempore nuper fato, & testium notitia, præsentia, communi voto, & voluntate corroboratorum.

Signum manu, meque ipso Tirpimiro Duce hujus rei concessore, & auctore.
Signum manu Comicini Zuppano Testis.
Signum manu Pretilia Zuppano testis.
Signum manu Nemustlo Zuppano testis.
Signum manu Zarsata Zupp. testis.
Signum manu Lodovico Zuppano testis.
Signum manu Ozamulo cum fratre.
Signum manu Negutia Camerario testis.
Signum manu Zupp. testis.
Signum manu Potecano testis.
Signum manu Zatimustlo testis.
Signum manu Damay testis.
Signum manu Dominico Presbytero Capellano testis.
Signum manu Cypriano Presbytero Capellano testis.

Ego Martinus Presbyter Capellanus præceptione Domini mei Ducis memorati, rogatus scripsi, & manu propria opus complevi, signum manu feci.

Hæc sunt Nomina Servorum de Masaro, pertinentes eos, in sancta Matre Ecclesia B. Domnii, scitote numerum eorum. sunt in primis Carento, Postellio, Nassezai, Damaciai, Ylena, Trubasa, istis cum suis fœminis.

Cæteri vero septem, quorum Nomina sunt:
Liutamiro, Strehemilo, Nedamuslo, Tesina, Luteciai, Ceustizo.

Ex inscriptione *Regnante in Italia Piissimo Lothario Francorum Rege per Indictionem XV.* Tirpimirum Ducem adhuc Francorum Imperium, Lothariumque Italiæ Regem recognovisse, quem, quamvis jam tum esset a Patre ad Imperium ascitus, tamen, eo vivente, Imperatoria munera nequaquam exercuisse dicendum est, ideo tantum pro Rege Franciæ, & Italiæ habitum, Privilegiumque conscriptum Anno domini 838. ex Indictione XV. dignoscitur, nam quamvis vivente Lothario, eadem Indictio repetita fuerit Anno 853 tamen quia tunc mortuo patre imperabat, imo sibi Ludovicum filium in Regno Italiæ, & Imperio associaverat (quod in inscriptione omissum non fuisset, si tunc confectum esset) ideo Anno 838. conscriptum dici debet: ex ipso autem Privilegio, sicuti Tirpimirum maritimas partes Croatiæ possedisse constat, (cum terras in ipso nominatas mari proximas, in Zupania maritima fuisse a Porphirogenito Parathalassia dicta, inferius patebit) ita, an reliquam quoque Croatiam, in eodem Privilegia Regnum Croatorum dictam, possederit, ex hoc unico illius temporis Privilegio colligi non potest, sed ex supra descripta Croatorum ex Porph. potentia, potius universum Croatorum Regnum (usque ad ripas Danubii extensum, ut in Privilegio exprimitur) possedisse, & paulo post ejusdem Privilegii concessionem, mortemque Tirpimiri divisionem Croatorum a Porphirog. memoratam, sequutam arguunt ea, quæ Veneti tradunt, scilicet Petri Tradonici Ducis tempore Vnusclavum, & Diodurum Principes 841.
Sclavorum Venetis infestos Caprullas populasse, tuncque Croatos ob dissensionem filiorum Ludovici Pii, timore Francorum depositio, mare infestando, Veneta arma exercuisse, dicendum videtur, Saracenis quoque Barium capientibus, Narentanos inde occasionem habuisse Adriaticum infestandi, ob id eundem Ducem, post bellum cum Drosaico Iudice Narentanorum, (vel ut

alii, Mærianorum) conveniſſe: ſcribunt. Saraceni deinde, Bario capto, eo magis Adriaticum infeſtantes, Catarum, Roſam, Buduam, diripiunt, Raguſium obſident, deinde Græcorum, & Venetorum Claſſem ad Crotonem, vel Tarentum profligant, Adriaticumque incurſant, quibus ut occurrerent Baſilius orientis, & Lud. II. occidentis Imperatores, auxiliantibus Venetis, Dalmatis, & Slavis, Saracenos vincunt, Barium que recuperant, ut Curop. Cedrenus, & Zonaras referunt, & Porphir. c. 29. *Franci Græcis, cum Papa Romano ſe jungunt, una cum Crobato, Servio, cum Zaclumo, Terbonitis, Canalitis, & Raguſinis, cunctisque Dalmatiæ Oppidorum incolis (nam hi omnes ex Imperatoris mandato aderant) & Barin obſident, capiuntque, ſciendum vero quod Crobatos, reliquosque Sclavorum Principes Raguſini, ſuis navibus in Longobardiam transmiſerunt* Sed cum Ludovicus in Epiſtola ad Baſilium con-

Bar. 871. *n.* 73. queratur. *Tot populos Sclavoniæ noſtræ in captivitate ſine qualibet parcitate ſubtractis, ſuper quam dici poſſit animum noſtrum commotum: non enim congrue geſtum eſt, ut iisd m Sclavinis noſtris, cum navibus ſuis apud Barim in procinctu communis utilitatis conſiſtentibus, & nihil ſibi adverſi imminere putantibus, tam impie domus ſuæ quoque diriperentur.* Ludovicum, Sclavoniæ ſuæ, de Croatorum Regione maritima, ſibi ſubjecta intellexiſſe dicendum eſt, qui cum eorum navibus ad Barium oppugnandum cum cæteris convenerant, ob id Porphir. Baſilii juſſu Croatos conveniſſe ſcribentem, Avo blanditum dicendum eſt, at cum cæteri quoque Adrii accolæ ibidem fuiſſe memorentur, præter ſolos Narentanos, quos (cum adhuc Pagani, ſive Idoollatræ eſſent) cum Saracenis ſenſiſſe veriſimile eſt, & Croatorum domos ob id diripuiſſe, ſed cum Regio Narentanorum Orientalis Imperii cenſeretur, ideo Ludovicum, id Baſilio exprobraſſe, & propter eandem

ab 864. *usque* 871 cauſam Vrſum Ducem Venetorum Croatis ſociis gratificantem, in reditu a Bario, de Narentanis vindictam ſumpſiſſe, cenſendum eſt, ut Veneti auctores ſcribunt, quamvis cauſam vindictæ non exprimant. His iisdem Narentanis tribuenda ſunt, quæ Anaſtaſius Biblioth. ſcribit de miſſis Adriani Papæ ex Conc. Conſtant. redeuntibus a Piratis Slavis

Bar. 869. captivatis, Codiceque Concilii abrepto. Eundem quoque Ducem Venetorum cum Demogoy, ſive Dominico Principe Sclavorum bellum geſſiſſe, & Inicum eorundem Principem Iſtriam vaſtantem cæpiſſe, rebusque Iſtris ablatis reſtitutis, captivos Slavos ob fœdus dimiſiſſe ſcribunt, quod de Croatis Iſtriæ proximis intelligendum eſt: refert deinde Andreas Dandulus in Annalibus: *tamen Slavi reputantes ſe offenſos fœdus irritum habuerunt, quod mortuo Demogoy renovatum eſt, non incluſis Narentanis Venetorum maximis æmulis, contra quos Dux exercitum miſit. Per hos dies Sedeſclavus ex progenie Tribuniri, fultus Imperiali præſidio, Dalmatiæ Ducatum arripuit, filiosque Demogoy exilio miſit, quem non multo interjecto tempore Branimirus occidit, & Ducatum ejus accepit.* Huic Sedeſclavo Comiti Sclavorum ſcripſit Jo. P. P. VIII. dirigens ipſi legatum deſtinatum Regi Bulgarorum, *Ep.* 176. Anno 879. Branimiro quoque Principi eodem anno ſcripſiſſe eundem Pontificem conſtat, quem Ducem Croatorum *Ep.* 184. 185. fuiſſe apparebit, ex quo brevem fuiſſe Sedeſclavi principatum argui debet. Sedeſclavum autem ex progenie Tribuniri, id eſt Tirpimiri Ducis Croatiæ ſupranominati filios Demogoy (qui Tirpimirum ipſum, vel ejus filios ejecerat) itidem expuliſſe, & Baſilii Macedonis Orientalis Imperatoris protectione, Dalmatiæ Ducatum arripuiſſe argui debet (id eſt ejus partis Dalmatiæ, quæ Croatia vocabatur) cum eodem quoque tempore Beneventani, & Capuani Duces ab Occidentali Imperio ad Baſilium defeciſſent, ut Baronius obſervavit ex *Bar.* 879. Curopalate, & tunc eodem Baſilio con- *n.* 4. ciliante, tributum Croatis Dalmatas conſtituiſſe, ut capite ſequenti dicetur, cenſendum eſt. Branimirum autem Sedeſclavii occiſorem Ducem Croatorum Archid. Spalat. memorat, & clarius Epiſtolæ Io. P. P. VIII. qui Ioannem Presbyterum familiarem ſuum ad ipſum, & Regem Bulgarorum miſit, Branimiroque gratulatur. *Dilecto filio* *Ep.* 184. *Branimiro. Ad gremium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ matris tuæ, de cujus fonte patres tui ſacræ prædicationis potavere fluenta redeuntem ſuſcipimus,* & Ioannem Presbyterum cum Epiſtola Regi Bulgarorum directum commendat, ejusdemque tenoris alteram ſcribit *Omnibus venerabilibus Sacerdotibus,* *Ep.* 185. *& univerſo populo.* In qua de Principe eorum Branimir ad Romanam Eccleſiam redeunte gratulatur: quod autem de Croatis hæc intelligi debeant, præcedens Epiſtola ſcripta *Theodoſio Ven.* 183. *Diacono, & electo ſanctæ Eccleſiæ Nonenſis,* & clarius de eodem Theodoſio jam Epiſcopo *Excellenti Viro Branimiro glorioſo* *Ep.* 284. *Comiti, & dilecto filio noſtro, atque omnibus religioſis ſacerdotibus, & honorabilibus Iudicibus, cunctoque populo pax, & gratia a Domino Ieſu Chriſto. Audita per Theodoſium Ven. Epiſcopum veſtrum fide* eum ad Eccleſiæ Romanæ gremium, pro ut ipſius Anteceſſores fuerant rediiſſe, commendans, declarat. Nam Epiſcopum Nonenſem, totius Croatiæ tunc fuiſſe Epiſcopum ex Privilegio Mucimiri Ducis, inferius ponendo, conſtabit. Croatos ergo Orientali Imperio adhærentes a ſede quoque Apoſtolica per aliquod tempus alienatos fuiſſe, apparet, quod de Dalmatis quoque argui poteſt, nam idem Pontifex ſcribens *Vitali Iadrenſi, Dominico* *Ep.* 190. *Abſarenſi, cæterisque Epiſcopis Dalmatinis ſeu Ioanni Archipresbytero ſanctæ ſedis Salonitanæ, omnibusque ſacerdotibus & ſenioribus populi*

habita-

habitatoribus Spalatenſis Civitatis, atque Zadarenſis, cæterarumque Civitatum. Conqueritur Archiepiſcopum Spalatenſem electum a ſede Apoſtolica more ſolito pallium petere diſtuliſſe, & ſi metu Græcorum, vel Slavorum id evenerit, pollicetur auxilium, aliter excommunicationem minatur. Græcos impedimento tunc eſſe potuiſſe argui debet, eo quia mortuo Ignatio Patriarcha Conſtant., iterum Photius a Baſilio reſtitutus fuerat, qui cum a ſede Apoſtolica alienus eſſet, favore Baſilii, qui Dalmatas a Saracenis liberando, & Croatis tributum permittendo, utrosque devinxerat, Spalatenſem Metropolim Dalmatiæ, & Croatiæ ſibi vendicare conatum, credibile eſt; Slavos autem, id eſt Croatos, tunc Navigationi Latinorum obſtitiſſe, jugumque Francorum detrectaſſe, congruit cum iis, quæ Sigonius ex Andrea Dandulo refert. *Carolus Craſſus Imperator Ravennæ fœdus inter Venetos, atque Italicos ſibi ſubjectos in quinquennium renovavit, & ſanxit, ut Sclavi, qui mare aſſiduis latrociniis infeſtabant communibus armis, non ſolum arcerentur, ſed etiam peterentur.*

878. 882.

Croatos enim maritimos favore Baſilii jugum Francorum detraxiſſe, ipſique Baſilio adhæſiſſe Conſtant. Porph. in vita ejusdem memorat; nullæ deinde Croatorum maritimæ actiones reperiuntur, vel ex eorum diviſione, potentiæque maritimæ diminutione a Porph. memoratæ, vel ex pacto ſibi a Dalmatis tributo eveniſſe, & cum ipſis Dalmatis navigationem exercendo, quieti deditos argui poteſt; ſed quamvis Croatorum in Adriatico moleſtiæ ſuppreſſæ tunc fuerint, tamen Narentani ab infeſtatione ejusdem non ceſſabant, contra quos Petrum Candianum Ducem progreſſum, & occiſum concordes Veneti Scriptores, & Chroniſtæ referunt, at cum in aliquibus non conveniant, ideo referenda ſunt, quæ Sabellicus tradit, & quæ Chroniſtæ ſcribunt, ut æquivocationes apparere poſſint, ait enim Sabellicus;

In Narentanos interim veteres Veneti nominis hoſtes, quoniam proxima maria latrociniis infeſtarent, aliquot longæ Naves ad eorum curſus comprimendos, miſſæ: quæ infectare (nusquam enim hoſtis repertus erat) domum rediere. Nec multo poſt Candiani Principis ductu, naves duodecim (quidam ſeptem ſcripſere) in eosdem hoſtes paratæ, qui circa Dalmatiæ Promontorium, quod ipſi incolæ Miculum vocant, reperti ſunt, in eos hortatu Ducis, ferociter invectæ ſunt Venetæ triremes: nec Liburnicæ naves pugnam detractavere, utrinque majoribus prope animis, quam viribus eſt concurſum. Primo quidem congreſſu, res Veneta aliquot hoſtium navibus oppreſſis, ſuperior fuit; verum Barbarorum multitudine ſuperante, Ducaria navi cum reliquis circumventa, Candianus fortiter dimicans occubuit, cum menſes quinque non amplius Remp. adminiſtraſſet, ejus cadaver ab Hiſtris ſubtractum, paulo poſt Gradum eſt deportatum atque eo loco ſepultum. Dandulus in Chronico. *Petrus Candianus Dux hanc ſedem acquiſivit, Anno Domini 886. Iſte Navalem exercitum contra Narentanos miſit, qui ſine profectu ad propria remeavit, ob id ipſe armatis 12. navibus ad illas partes perſonaliter acceſſit. Vbi pugnando ab hoſtibus fuit occiſus, cujus corpus a Sclavis clam arreptum fuit, & ad Gradenſem Vrbem conductum. Ducavit men. 5. & ibi requieſcit.* Idem in Annalibus *Petrus Candianus* 887. *Hic confeſtim contra Narentanos exercitum navalem miſit, qui cum ſine effectu reverſus eſſet, tunc per ſemetipſum cum XII. bellicis navibus in menſe Auguſti egreſſus, & ad montem Sclavorum perveniens in loco, qui vocatur Micculus exivit; Licet cum paucis, ſed Sclavos ſibi reſiſtentes, primum in fugam vertit, multosque ex illis occidens, quinque Naves illorum ſecuribus fregit: ſed demum revertentibus Sclavis die 18. men. Sept. cum aliis ſeptem occiſus eſt; cujus corpus Andreas Tribunus ſuſcipiens in atrio Gradenſis Eccleſiæ poſtea ſepeliit.* Obſervandum eſt Sabellicum Narentanorum naves cum Liburnicis confundere, cum ex jam dictis, libro ſuperiori pateat, Liburnos pro Croatis ſumendos eſſe, ſed cum Croati, & Narentani utrique Slavi eſſent, Sabellicus hos inter ſe non diſtinguendo, confundit, prout etiam inferius in Petri Vrſeoli expeditione animadvertetur; ſimiliter quem Dandulus montem Sclavorum Miculum dictum, refert, hunc eundem Dalmatiæ Promontorium eſſe, Sabellicus aſſerit, & quamvis rectius Promontorium, quam mos dici debeat, tamen eundem prope Iadram in Croatico, non Dalmatico ſolo ſitum tunc temporis fuiſſe, ex Privilegiis Regum Croatorum conſtat, nunc vulgo dictum *Ponta Micha* ob id Dandulus antiquos Chroniſtas ſequutus montem Slavorum, id eſt Croatorum eſſe ſcripſit; ſed deſcenſionem in terram Ducem frciſſe, innuere videtur, ibique Slavis fugatis, quinque naves illorum ſecuribus fregiſſe memorat, quod de Croatis, non de Narentanis intelligendum eſſet, ſicuti ea, quæ ſequuntur (de Slavis revertentibus) de Narentanis, ſi ab iisdem Dux occiſus fuit; ſed cum ipſo antiquiores Chroniſtæ Narentanos tantum nominent, ideo Dandulus in hoc tantum loco Narentanos Sclavorum nomine ſcripſit, quos alibi a Sclavis recte diſtinguit: ſed unde Sabellicus Hiſtros ad ſubtrahendum Ducis cadaver accerſiverit, non conſtat, cum ipſe Dandulus, & cæteri Chroniſtæ Sclavos corpus Ducis Gradum portaſſe ſcribant, niſi ex Chroniſtis vulgari antiquo charactere ſcriptis, ex ſimilitudine hunc errorem hauſerit Sabellicus, cum verba *per Il iſtihani* a verbis *per Il Iſtriani* nihil fere in antiquis characteribus differant. Croatos ergo tunc temporis ab infeſtatione maris ſe abſtinentes, cum Venetis, & Dalmatis

concordes navigaſſe, & ſequuta inter Venetos, & Narentanos prope ſuum Promontorium pugna navali, amici occiſi Ducis cadaver, derelictum inventum, Gradum ad ſepeliendum tuliſſe dicendum eſt. Mucimirum Croatiæ maritimæ Ducem circa hæc tempora fuiſſe Privil. ejus infra ponendum Anni 892. refert. Annales autem Francorum Fuldenſes dicti, tempore Caroli Craſſi relata Pannoniarum vaſtatione per Zuentibaldum Marauorum Ducem facta, & deinde juramento Carolo præſtito ſubdunt. 884. *Poſtea veniente Brazlanuorum Duce, qui in id tempus Regnum inter Dravum, & Sava flumina tenuit, ſuisque militiæ ſubditus adjungitur*, & inferius tempore Arnolfi Regis Germaniæ relata Zuentib. rebellione, & apparatu Arnolfi trium exercituum contra ipſum 892. *Arnolfus contra Zuentibal. Hunnos, & Bulgares movet. Miſſos enim ſuos, inde ad Bulgaros, & Regem eorum Landomir ad renovandam priſtinam pacem cum muneribus men. ſept. transmiſit, & ne coemptio ſalis inde Maravanis daretur, expoſuit; miſſi autem propter inſidias Zuendibaldi Ducis, terreſtre iter non volentes habere, de Regno Brazlavonis per fluvium Odgora uſque ad Gulpam perfluentes. Savi fluminis navigio in Bulgaria perducti, ibi a Rege honorifice ſuſcepti, eadem via, qua venerant, cum muneribus reverſi ſunt* 895. *Imperator Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Braxlauoni Duci ſuo in id tempus commendavit.* Ex quibus Braxlauonem ejus partis Regni Croatorum fuiſſe Ducem, quæ inter Savum, & Dravum ſita eſt, apparet, Caroloque Craſſo Imperatori Occidentali, & deinde Arnolfo Regi Germaniæ, poſtea Imperatori paruiſſe, conſtat, Mucimirum autem reliquum Regni Croatorum, vel partem ſaltem maritimam poſſidentem, ex ejus Privilegio, in quo nullum ſuperiorem recognoſcit, ſui liberique juris fuiſſe, argui debet, neque Arnulfum Zuendibaldiro bello, & Leonem Bulgarico, impeditos ipſum moleſtare potuiſſe, conjectandum eſt, Privilegium autem Mucimiri tale eſt.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Anno utique, ſacram poſtquam Chriſtus carnem ex Virgine ſumpſit DCCCXCII. Indictione XI. ſub die 4, Kal. Octubrium. Cum magnæ inter Salonitanum, & Nonenſem Præſulibus, verterentur de quadam facta donatione, a Tirpimiro Piiſſimo Duce in juris Sanctæ Matris Eccleſiæ, Domnii & Anaſtaſii Beatorum Martyrum, quandam mancipando Eccleſiam Sancti Georgii, quæ ſita eſt in Petalio, videntur contentiones, dicente Petro Spalatenſium Archiepiſcopo, hanc quam dicitis Eccleſiam donatam a præfato Duce, & Privilegii ſtatuto roboratam, in Noſtræ Iuris Eccleſiæ ſub teſtimonium notitia mancipatam habemus; reſpondens Aldefreda Nonenſis Eccleſiæ Præſul, dicebat, non ita habetur, ſed noſtræ potius Eccleſiæ dominio detinetur, quoniam non in Eccleſia ſanctorum Domnii, & Anasthaſii ut dictis poſſidenda, ſed ipſius Præſuli fruenda ad tempus tradita eſt; his ita habentibus comperto placuit mihi Muncimir divino munere juvatus Croatorum Dux, reſidente Paterno ſolio, divino ſpiramine, communi conſilio, cum meis cunctis fidelibus, & Primat. Populis, omni compoſita & prætermiſſa contentione, dictam jam ſancti Georgii Eccleſiam in ſanctorum Martyrum Domnii, & Anaſtaſii cum omni ſuo introitu, & exitu ſubjugare Privilegio cum ſervis & ancillis, campis, & vineis, pratis, & ſilvis, cuncta mobilia, & immobilia omnia, quam Eccleſiam teſte, & auctore Deo, volo, ut nullus deinceps de ſucceſſoribus meis, de poteſtate Spalatenſium Eccleſiæ ſubtrahere audeat, vel in quolibet, diripere, ſed juxta priſcam conſuetudinem, ut donatam a Patre meo recolimus; & mox per præſens Privilegium denuo mancipamus, ut omnino ſubjaceat dictæ Eccleſiæ jure; qui vero poſtmodum avaritiæ facibus accenſus, atque in ſuperbiæ cornibus elevatus, ſtatuta noſtra parvi pendens, nuper factam Eccleſiam a Dominio ſanctorum Martyrum Domnii, atque Anasthaſii ſubtrahere voluerit, vel quolibet modulo donationem dictam nocere tentaverit, iram omnipotentis Cælorum arbitri Salvatoris Mundi incurrat, & ſanctorum omnium, maledictionis vinculo CCCXVIII. Patrum inſolubiliter denodetur, deſcendatque ſuper eum, & domo ſua, ſibique conſentientibus decem quas in Ægypto habitæ ſunt plagæ, & lepra Naaman Syri ab iis nunquam recedat, deglutiat eos terra, ſicut Datan, & Abrion, & in noviſſimo Maranatha litigantibus cum iis ſanctorum conſtantia cum Diabolo, & ejus horribilibus Angelis, & Iuda Iſcariote in gehennæ barathro munerentur, ubi ignis non extinguitur, & vermes non moriuntur. Actum eſt in Biaci, ante fores Eccleſiæ ſanctæ Marthæ Martyræ, tempore, & dimidium, nuper ut fumus. Hoc palam teſtibus conſentientibus, atque ſubſcribentibus, dein ne aboleatur impoſterum annulo noſtro juſſimus in calce ſignari.

Signum manu mei, qui ſum Muncimiro auctore hujus donationis Cartulæ.

Signum mei Budimiro Iup. Palat.
Signum mei Zellivero Iup. Cleoniæ.
Signum mei Petro Iup.
Signum mei Pruſna Mavechario Iup.
Signum mei Pruatra Iup. Cavallario.
Signum mei Zelisbo Iup. Camerario.
Signum mei Zellidedo Iup. Pincernario.
Signum Boledrago Iup. Camerario.
Signum mei Budimiro Iup. Comitiſſæ.
Signum mei Creſamuſſlo Camerario ſecundo.
Signum mei Stephani filii Budimiri Camerario tertio.
Signum mei Zelli drago Maccechario Comitiſſæ.
Signum mei Prubitecho filio Petri Iup.
Signum mei Dragazai filio Semicarini.
Signum mei Tugina Iup. Armigeri.
Signum mei Zitallo ſuper poſito monaſt.
Signum mei Leletrago Iup. Cliſæ.
Signum mei Pacialio Limireſia.

Sequenti autem die, quæ eſt tertio Calendis Octobris veniens ego ſæpe fatus Dux in Civitate Spalati ante Sanctiſſimorum dictorum Altaria, & Privilegii paginulam manu propria inter cætera

tera munuſcula, quæ manus noſtræ invenire voluerunt, ſuper ſacroſancti Domnii Altario objeci, & donatione prædicta mancipata, ſancti Domnii abii.

Ego Firminus Diaconus, & Capellanus dicti Ducis, præcipiente mihi Domino meo Muncimiro glorioſo Duce coram dictis teſtibus audita ſcripſi & poſt tradita feliciter complevi.

a 912. usque 932. Veneti Hiſtorici ſcribunt, Petrum Vrſi Baduarii Ducis filium, e Conſtantinopoli redeuntem, a Michaele Bano Sclavorum (id eſt Croatorum,) captum, & Simoni Regi Bulgariæ miſſum, quem Michaelem Porphirogeniti Miroslavum

ab 932. usque 942. eſſe potuiſſe, ſupra dictum eſt. Petrum Candianum ſecundum cum Narentanis bellum geſſiſſe, deinde pacem feciſſe itidem ſcribunt. Simeonem autem Bulg. Regem Croatos invaſiſſe, & in anguſtiis montium ſuperatum, omnes ſuos amiſiſſe, & eo mortuo Chrobatos, cum cæteris finitimis Bulgariam invaſiſſe Por. Ced. & Cicrop. tradunt. Petrum Candianum tertium Ven. D. contra Narentanos naves 33. maximas, (Saracenio vocabulo, ut Cedrenus teſtatur) Gombarias dictas, miſiſſe, quarum metu Narentanos a Piratica abſtinuiſſe, & damna refeciſſe, Veneti ſcribunt. Hæ memoriæ reperiuntur rerum in Adriatico geſtarum Ducum Croatorum tempore, neque uſque ad Ducatum Petri Vrſeoli ſecundi, aliquid Venetos egiſſe eorum Chroniſtæ, vel Hiſtorici memorant, quo temporis ſpatio Narentanorum res floruiſſe, arguunt ea, quæ Platina in vita Io. XIII. de iisdem refert. *Sclavi in Italia trajicientes, Saracenos ingenti clade ſuperatos monte Gargano dejecerunt.* Narentanorum ergo ſtatus deſcribendus eſt, ut inde intelligi poſſint, quæ de eisdem Veneti Scriptores referunt.

a 942. usque 959.

Sigon. 969.

CAPUT III.

De Narentanis, & eorum Baptiſmo.

NArentanorum Regionem, & Inſulas Porphirogenitus deſcribens, ait: *De Paganis, Arentanisque dictis, & terra, quam nunc habitant cap. 36. Paganorum quoque terra initio poſſeſſa a Romanis fuit, quibus Roma migrare juſſis, Imperator Diocletianus in Dalm. ſedes aſſignavit, & oriundi ſunt ipſi etiam a Serblis non baptizatis, ab eo ſcilicet Principe, qui ad Heraclium ſe contulit.*

Capta vero itidem ab Abaribus, & vaſtata hæc Regio ſub Heraclio rurſum incolis frequentari cœpit. Pagani autem vocantur, quod baptismum non accepiſſent eo tempore, quo Sclavi omnes baptizati erant: ita enim Sclavorum Lingua nuncupantur; quicunque baptiſmi expertes. Romanorum vero dialecto Regio illa Arenta appellatur, & Incolæ Arentani: habetque Pagania vrbes habitatas Mœrum, Berullia, Oſcroe, & Labinetza; Item Inſulas magnas, unam, quæ Curcra, ſive Cicer dicitur, in qua Oppidum, alteram, quæ Meleta, ſive Melozeate, cujus in Actis Apoſtolorum Divus Lucas meminit Melitem eam nominans: ubi, & ſerpens D. Pauli digitum mordens, ab eo excuſſus, igne conflagravit; tertiam, quæ Phara, quartam, quæ Bratzes; Sed & aliæ præterea Inſulæ ſunt, quæ ad Paganos non pertinent, puta, Choaca, Ies, Laſtobon & cap. 30. *Ab Orontio Pagania incipit, procurritque ad Zentinam flumen, & Zupanias tres habet Araſtorzam, Mœrum, Dalen, & quidem Araſtorza ac Mœrus ad mare ſitæ ſunt, & Sagenis piſcatum exeunt. Dalen autem procul abeſt a mari, & ex agricultura vivunt, habentque in propinquo inſulas quatuor Meleta, Curcura, Bartzo, & Pharus omnes pulcherrimas, fertiliſſimasque, Oppida item deſerta, & paludes multas, in quibus habitant, & jumenta alunt, unde vitam tolerant.* Ex quibus conſtat Narentanos, ſive Paganos eam partem continentis Dalmaticæ poſſediſſe, quæ a Cerina Naronem verſus, protenditur. Hos Narentanos Imperante Baſilio baptiſmum ſuſcepiſſe, Porph. tradit cap. 29. quod congruit cum Platina, qui Adriani ſecundi Pontificis, & Sueropoli principis Dalmatiæ Sclavos Chriſti fidem ſuſcepiſſe ſcribit, quod cadit in principio Imperii Baſilii, & de Narentanis intelligendum eſſe, mox patebit: Nam ſicuti Croatos Heraclio juniore Imperante, baptizatos, ſupra relatum eſt, ita de Serviis idem intelligi debere ex eodem Porphirogenito deducitur; ideo Platinam de reliquis Serviis, ſcilicet Narentanis, vel Paganis locutum, in vita Ioannis XIII. (quem pro XIV. ponit) dicendum eſt; Sed cum hæc Platina a Flavio Blondo ſumpſerit, ejusdem verba referenda ſunt, ut de baptiſmo Sueropili æquivocatio indicari poſſit. Ait enim Blondus lib. 3. *Benedicti V. & Leonis IIX. Pontificis tempora continuarunt: multa in Italia comperimus geſta fuiſſe non memoratu magis quam longa, & accuratiſſima narratione digniſſima, ſi modo Scriptores illa diligentius tradidiſſent: Saracenos namque ad Garganum ſedere, & ex eo loco, proximoque Sipontino ſinu, magnam Italiæ partem vexare ſolitos, Sclavi Italia deturbarunt: fueruntque hi, quos ſub Sueropilo Dalmatiæ Rege, Adriani II. Pont. tempore, Chriſtianos effectos oſtendimus, quo in patrando facinore, multam Sardcenorum commiſſam cædem refertur: Sub quibus Sueropili Ducibus, & copiis, quove in loco id geſtum ſit, muſquam invenimus.* Supra autem relato Bulgarorum ad rectam fidem reditu & *Sueropilus Dalmatiæ Rex ſubditaque illi Sclavorum gens, quam a Bohemis Germanis originem habuiſſe oſtendimus, tunc primum ad Chriſti fidem ſunt converſi. Facta eſt per id temporis Regni Dalmatiæ diviſio, cujus membrorum nomina ætate etiam noſtra in uſu habentur: Siquidem vetuſti nominis Dalmatiæ Græciæ Regio prima, ab Oriente Macedoniam, ab Occaſu Hiſtriam, a Meridie Pelagus Adriaticum, a Se-*

Lib. 2.

ptentrione Pannoniam habuit. Nova autem in divisione a Campis Dalmatiæ hinc Histriam usque Croatiam Albam, inde a dictis Campis Dyrrachium usque, Croatiam rubeam, & versus montana, a flumine Drino, trans ipsum flumen Macedoniam usque Rasciam, & citra flumen Bosnam vocavere; servat tamen ætatis nostræ consuetudo, ut ea omnia Dalmatiæ quondam ora in superum mare vergens, Dalmatia, & quicquid ejusdem montes mediterraneaque fuere, Croatia nominetur, Rasciaque. & Bosna pro Regni Croatiæ Regionibus habeantur. Adrianus itaque II. per cujus tempora prædicta fiebant Synodum apud Constantinopolim. Hæc Blondo cæteri Historici tribuerunt, cum non constaret a quo auctore id ipse sumpserit: sed extant manuscripti Annales Andreæ Danduli Ducis Venet. a quibus hæc, & alia multa Blondus exscripsit, inquit enim Dandulus.

Vrsus Participatius Dux factus est anno 874. Eodem tempore Constantinus natione Thessalonicus, cui Papa, Cyrillus, nomen imposuit, Vir Catholicus, divinisque scripturis eruditus, & in variis idiomatibus peritus, Regem Bulgarorum cum gente sua ad fidem convertit, & infra. *hujus autem B. Cyrilli prædicatione Sueropolis Rex Dalmatiæ qui ab Odrillo germano Totilæ Regis Gothorum originem duxerat, cum toto suo populo fidem Catholicam suscepit, & ab Honorio Cardinali Legato Apostolicæ sedis, assistentibus Orthodoxis Episcopis, & Apocrisariis Michaelis Imperatoris Constantinopolitani, a quo Regnum suum recognoscebat, in plano Dalmini coronatus est, & Regnum suum in 4 partes divisit. Est autem Dalmatia, prima Provinciarum Græciæ, quæ habet ab Oriente Macedoniam, ab Occasu Histriam, a Meridie mare Adriaticum, & Insulas Liburnicas, & a Septentrione Pannoniam, quæ est pars Mysiæ. A plano itaque Dalmæ, usque Histriam, Croatiam Albam vocavit; & a dicto plano usque Dyrrachium, Croatiam rubeam, & versus montana a flumine Drino usque Macedoniam, Rasciam, & a dicto flumine citra Bosnam nominavit; & Zupanos in unaquaque Regione constituit & in Salona & in Dioclia Archiepiscopos, & in reliquis Civitatibus Regni sui Episcopos, ut antiquitus fuerunt, esse decrevit. Moderni autem maritimam totam vocant Dalmatiam. Montania autem Croatiam. Hic Beatus Cyrillus pene omnium Sclavorum dictus est Apostolus, quia hos ad fidem reduxit, & divinum officium in Lingua Sclavonica iis transtulit.*

Dandulum autem hæc eadem mutuatum constat ab historia Presbyteri Diocleatis, quam Regum Dalmatiæ nomine Maurus Orbinus in opere suo nuncupato (Il Regno delli Slavi) inclusam vulgavit anno 1601. sed qualia hic auctor scripserit, qui legerunt, ipsorum sit judicium, sed cum conversio Croatorum & Serviorum a Diocleate relata ab omnibus jam accepta fuerit, ideo non inutile erit indagare, quomodo Sueropoli, Slavorumque Dalmatiæ conversionem ipse Diocleas æquivocatus sit; quod ut rectius percipiatur res altius repetenda est.

Carolum magnum post octenne, arduumque bellum Avaribus deletis, Pannonias non solum subegisse, sed desertas reddidisse, scriptores Francorum referunt, de quipus Eginhar. in vita Caroli. *Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur omni vacua habitatione Pannonia, & locus in quo Regia Cagani erat ita desertus, ut ne vestigia quidem in eo humanæ habitationis appareant.* Hæc Pannoniarum deserta Slavos Behemannos, & Marahenses dictos occupasse, iidem Annales Francorum pluribus in locis referunt, Pannonias autem Zuentibaldum Regem cum Bohemia, & Moravia possediſſe, itidem memorant, & quædam relata sunt supra quod Constantinus Porph. proximus illis temporibus Scriptor confirmat, nam cap. 41. refert. *Moraviæ Princeps Sphendoplochus Σφενδοπλόχος fortis terribilisque populis finitimis fuit. Post Sphendoploci autem mortem, anno uno in pace exacto, orto dissidio, & bello civili, invadentes Turcæ planissime eos extirparunt, terramque tenuerunt, quam etiam nunc incolunt, quæque supererat multitudo, dissipata, confugit ad finitimos Bulgaros, Turcas, Chrobatos, & reliquas gentes.* De Admin. Describens autem terram, quam Turcæ, id est hodierni Vngari tunc occuparunt cap. præcedenti ait:

Confines autem Turcis sunt ad Orientem, Bulgari, separante eos Istro, qui & Danubius, ad Septentrionem Batzi, ad Occidentem Franci, ad Meridiem Chrobati, hos eosdem fuisse terminos Regni Zuentibaldi, sive ut rectius Porphirog. Sphendoplochi supra ex Annalibus Francorum relatum est, Cap. 2. quem Regem, Populosque Bohemiæ, Moraviæ, & Pannoniarum conversos a Methodio, & Cyrillo, simul cum Bulgaris conveniunt Scriptores, & idem Epistolæ Ioh. Papæ VIII. testantur *Methodio Archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiæ;* Ep. 195. *Methodio Reverendissimo Archiepiscopo Sanctæ Ecclesiæ Morabens.* Ep. 247. ex quibus liquet, Moraborum Regnum, Iurisdictionemque Metropolitam eorundem complexam etiam Pannoniam Dravum usque, hosque tunc ad Christi fidem conversos, constat, sed cum Porph. circa eadem tempora id est Imperante Basilio cap. 29. referat. *Michaelis Amorensis Balbi (tempore) qui Dalmatiæ oppida habitabant sui Iuris extiterunt, neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri subjecti. Itidem finitimæ illis gentes Croati, Servii, Zachlumitæ, Tarbunitæ, Diocletiani & Hypagani excussis Romani Imperii habenis, liberi suisque, non alienis Legibus, usi fuerunt. Principem vero hæ gentes non habent: tantum Zupanos senes, quomodo etiam reliqui Sclavorum Populi; Plurimi etiam e Sclavis his non baptizabantur, & diu baptismi expertes manebant; Imperante vero pissimo Imperatore Basilio, Legatos miserunt petitum, ut qui ex ipsis baptizati nondum essent, baptizarentur, essentque veluti ab initio subditi Imperii Romani. Exaudivit illos beatus venerandusque Imp. & Comitatensem misit cum Sacerdotibus, omnesque qui in nominatis gentibus nondum baptizati erant, baptizavit, & post baptismum*

ptismum, Principes ipsis ex istis designavit, quos vellent, eligerentque e stirpe quam maxime amarent. Atque ex illo tempore in hodiernum usque diem Principes ipsis non aliunde leguntur: Pagani vero qui Romanorum Lingua, Arentani appellantur, in locis inaccessis, atque præruptis baptismi expertes, relinquebantur. Pagamus etenim Sclavorum sermone, dicitur, qui non est baptizatus, postea autem etiam hi mittentes ad eundem Imperatorem, baptizari petierunt: misit itaque & baptizavit. & cap. 36.

Pagani autem vocantur, quod baptismum non accepissent, eo tempore, quo Sclavi omnes baptizati erant: Ita enim Sclavorum Lingua nuncupantur quicunque baptismi expertes: Romanorum vero dialecto, Regio illa Arenta appellatur, & inde Arentani. ideo sicuti Methodio, & Cyrillo Sclavorum Bulgariæ, Pannoniæ, Moraviæ, & Bohemiæ conversio tribuitur, ita quoque aliquos ex Croatis, & Serblis, qui adhuc baptismo carebant, & ultimo ex Slavis, omnes Narentanos Christi fidem per Cyrillum eodem tempore suscepisse, cum relatis ex Porph. congruit, quæ cum a majoribus per traditionem Diocleas accipere potuerit, Suentopluchi Regnum ex Pannoniis in Dalmatiam trahit, & pro solis Narentanis cunctos Serblos, & Croatos a Cyrillo conversos scripsit, Croatiamque, Serviam, & Dalmatiam simul jungens, Regnum imaginatus, divisionem ejusdem, commentus est. Croatos autem ante Cyrilli tempora baptizatos, præter ea, quæ suo loco relata sunt, testatur Priu. Tirpimiri Ducis suprapositum anni 838. in quo anteriorem quoqu- Ducem Mislavum Christianum nominari apparet, & clarius ex Epistolis Io. Papæ VIII. Cyrilli supra relatis, Sedesclavo, & Branimiro Ducibus Croatorum, populis, & Episcopo Nonens. scriptis, ipsos, & eorum populos non solum tunc, sed patres, & Antecessores eorumdem Christianos fuisse, ante tempora a Diocleate relata, clare perspicitur: Observandum quoque est Diocleatem referre divisionem Dalmatiæ iisdem nominibus, quibus suo tempore, non Cyrilli distinguebatur, ut ex supra relatis a Porphir. ipso CC. annis antiquiore constat; simili modo Dandulum addidisse distinctionem, quæ suo ævo usurpabatur, quibus Blondus, & post eum reliqui suorum temporum divisiones posuerunt, quæ singulæ loco proprio indicabuntur. His de baptismo Narentanorum relatis in quo statu res eorum fuerint, quando a Venetis debellati fuerunt, indagandum est. Narentanos ex socordia Græcorum Imperatorum, libertatem consecutos, multoties Adriaticum infestasse, sed a Venetis repressos, aliquo tempore quievisse, proximo capite relatum est. At cum Blondus referat; *tradunt vero Guglielmus, Sicardusque Othonem priusquam in Græcos Imperatores duceret, e piis Adriatico traductis Sclavoniam, ac Dalmatiam, invasisse, magnaque illis in Regionibus Græcorum præsidio destitutis rerum præda, & mortalium cæde commissa, Romam se contulisse,* & quamvis hi auctores non reperiantur, & ob id res in Adriatico ab Othone gestæ, quales fuerint, ex dictis Blondi percipi non possint, tamen dici posse videtur, Narentanos Othoni adhæsisse, & Saracenos e monte Gargano expulisse, ut supra relatum est, quod Sigonius anno 969. evenisse scribit, & cum Insulam Lastobon in potestate Narentanorum fuisse, capite sequenti patebit, quam tempore Porphirogeniti ad ipsos non pertinuisse idem testatur, exinde coniici potest, vigentibus bellis inter Othones, & Græcos Narentanos Lastobon, Choara, & Ies insulas, Dalmatiæ Orientalis reliquas, Orientali Imperio usurpasse, Adriaticique dominium sibi appropriare tentasse.

Narentani ergo Imperio Occidentali adhærentes, præter loca continentis, insulas Orientales Dalmatiæ possidentes Dalmatas Imperio Orientali addictos inquietare & simul cum Croatis Adriaticum infestum reddere, a præternavigantibusque censum extorquere cœperunt; Quibus cum Dalmatæ impares essent ad resistendum, Græci vero Bulgarico bello impediti, occurrere non possent, Venetis permiserunt Adriaticum a Croatorum, & Narentanorum molestiis eximere, ut capite sequenti referetur.

CAPUT IV.

Quomodo Dalmatæ a Slavis pressi Venetorum tutelam consecuti sint?

PEtrum Vrseolum secundum Ducem Venetorum Narentanis tributum negasse, qui ob id Dalmatarum maritima loca, & a terra Iadrense territorium vastaverunt, qua de causa, Dalmatas Venetis se subdidisse, Ducemque deletis Narentanis, titulum Dalmatiæ sumpsisse, & magistratus misisse, Sabellicus scribit: Idem fere reliqui vulgati Scriptores. Andreas autem Dandulus in suis Annalibus hæc fusius, & distinctius refert. Nam in principio Ducatus ejusdem Petri ait. *iste Dux cum Italicis Principibus amicitiam contraxit, & censum solitum dari Sclavis Piraticam excercentibus, a Venetis navigantibus per mare Adriaticum per edictum prohibuit.* Et infra *Gregorius V. natione Saxo sedit annis duobus, mensibus quinque.*

Per idem tempus Chroatorum Iudex, propter denegationem census, Venetis molestias inferre conatus est, unde Dux misit Baduarium Bragadino, cum sex navibus bene præparatis, Qussam, eorum urbem bello devincens, utriusque sexus captivos Venetias conduxit; & ex hoc majori

odii cumulus inter Venetos, & Sclavos pullulavit. & infra Ioannes natione Græcus sedit menses decem, hic decimusseptimus hujus nominis ab Imperatore damnatur, vivente enim Gregorio, data pecunia per Consulem Urbis est creatus.

Interea Dux Ioannem filium requisitus a Basilio & Constantino Imperatoribus, misit Constantinopolim, qui honore, & muneribus ab iis decoratus, ad Patrem rediit. . . . Hoc tempore mortuo Tyrpimuro Rege Croatorum, inter filios Mucimurum, & Surignam, cupiditate regnandi orta contentio, schisma magnum in illa Regione generavit, Mucimurius tamen prævalens, plurimis in rebellione positis, Regnum obtinuit damna inferens maritimis Civitatibus Dalmatiæ. Qua de causa Veneti ab illis evocati, cum permissione Basilii & Constantini Imperatorum Constantinopol. a quibus Reges illi Sceptrum antiquitus recognoverant, dominium Dalmatiæ primitus acceperunt; ut historia, quam reperimus in antiquissimis Græcorum, & Venetorum Codicibus, prout sequitur, serioſe declarat. . . . Illis namque temporibus in Dalmatianorum confinio non plusquam Iadrenses Cives Veneticorum Ducis ditioni obtemperabant; quos Croatorum, & Narentanorum Principes crebro affligere solebant; in tantum, ut Narentani horum 40. comprehendentes secum vinctos deportarent. Unde Dalmatini populi omnes pene simul convenientes Petro Veneticorum Duci suis internunciis hæc demandaverunt: Quod si ipse venire, aut mittere vellet, qui eos a Sclavorum severitate liberaret, ipsi, & illorum Civitates perpetua stabilitate suæ, suorumque successorum potestati subditæ manerent. Hoc audiens Petrus Dux, nulla interposita dilatione, suorum consilio munitus, navalem parare expeditionem peregit.

Septimo quoque sui Ducatus anno, Petrus Dux, Ascensionis Domini festo um suis in S. Petri Oliven. Ecclesia ad Missarum Ministeria percipienda, convenire voluit; cui Dominicus ejusdem loci Episcopus triumphale vexillum contulit, & una Classem conscendentes illo die, Equilensem Portum intraverunt: dehinc velis libratis, occiduoque vento flante, Gradensem applicuere Urbem, quos Dominus, Vitalis Patriarcha, præeunte plebe cum Clericorum apparatu, excipiens, digna suo Principi obsequia exhibuit; cujus quoque dexteram victrici S. Hermacoræ signo condecoravit; inde pelagi sulcando undas, Istrensem ad Provinciam transeuntes, Civitatis Parentinæ juxta Insulam, velis dispositis, pernoctare dispoſuere: Quibus Venerabilis Andreas Episcopus occurrens, famulamina Duci multa impertitus est; quem humiliter rogitans ut S. Mauri oraculum adire non recusaret. Cujus petitioni acquiescens, multo milite stipatus, Urbem intravit, & expletis in S. Mauri Ecclesia ministeriis sacris, arrepto exinde itinere remigantibus nautis apud Monasterium S. Andreæ Insulam, quæ juxta Polensem Civitatem manet, grata hospitia habere voluerunt. Illuc Bertaldus Episcopus Polen. eximius cum Clericorum, & Civium multitudine festinus advenit, & utroque honore eumdem Ducem glorificavit. Dux deinde, vastum velificando æquor, Auscrensem ad Urbem delati sunt, ubi non modo Cives, verum omnes de finitimis, tam Romanorum, quam Sclavorum Castellis, convenientes, tanti hospitis adventum se prævenire gaudebant, & Sacramentis ab omnibus peractis, sub illius Principis potestate manere decrevere. Hoc peracto, Sacrum diem Pentechosten solemniter celebrantes, prædicto Principi laudis modulamina decantavere. Tunc omnibus, quibus ætatis plenitudo aderat, secum venire jussit, & acceptis stipendiis dispositum iter continuare decreverunt. Altera vero die Iadrensem antequam appropinquarent Urbem, ejusdem Civitatis Prior, cum Episcopo, & cæteris suum dominium gaudimonii potiti receperunt, & ingressi Vrbem, ubi illius Regionis majores confluentes, ejusdem Principis dominationi subesse præoptabant; inter quos, Veglen. & Arben. Episcopi cum eorum Civitatum Prioribus. affuerunt, & pari voto supra. Sacra Evangelistarum dicta jurarunt: quod juxta illorum scire, & posse deinceps D. Petri Ducis fidem observare debuissent, insuper Episcopi eisdem sacris confirmaverunt, quod feriatis diebus, quibus laudis pompam in Ecclesia depromere solebant, istius Principis nomen post Imperatorem laudis præconiis glorificarent. . . . Croatorum itaque Rex, Ducem advenisse, & quæ egerat, cognoscens, nunciorum studio eumdem placare pacificis nisus est verbis; quod Dux omnino parvipendens, eosdem nuncios redire dimisit, & sic tractare cum utriusque gentis exercitu, adorsus est quoque inimicorum aditus intrare, vel quibus argumentis illorum munitissima loca indemnis capere posset.

Dux tunc quorundam relatione didicit 40. Narentanorum nobilium de Apuliæ partibus, peractis negotiis, ad propria velle reverti 10. naves hominibus oneratas ad Insulam quæ vocatur Caza, sub omni festinatione destinavit; quæ dum irent, facili certamine eosdem comprehendentes, Traugurien. Vrbem accelerare voluerunt. Dux namque utriusque & Dalmatinorum & Veneticorum militibus circumseptus 6. die Iadrensem Vrbem relinquens, ad quandam non longe a Belgradensi Vrbe insulam advenit; de qua talem legationem civibus. mittere placuit: ut si spontaneum famulatum persolvere, & fidelitatem sibi jurare vellent, gratiam adipisci valerent; sin autem, se certamine capturos procul dubio scirent. Hoc vero audientes, Sclavorum Regis periculum incurrere formidabant, & tanto Principi resistere non valebant; unde in utroque discrimine positi, quid agere penitus ignorabant. Tandem Venetorum ditioni subesse eligentes. & Sacramenta, & obsequia persolverunt. Egressus vero inde, Lenigradæ Insulæ Coloni egregio Duci occurrentes, sacramenta prompte fecerunt. Cumque Dux Traugurien-sem Vrbem peteret, ab Episcopo, Civibusque, Sacramentis corroboratus est; inibi suos, quos ante ex Iadrensi Civitate misisse diximus, Victores reperit. Sclavorum itaque Regis frater Suringa nomine aderat, qui, quondam fraterno dolo deceptus, Regni amiserat Diadema; ipse namque non modo Sacramenti vinculo se eidem Duci associavit, verum etiam Stephanum puerulum charissimam sobolem sibi pro obside commendavit, cui Dux Hicelam filiam suam Conjugem tradidit.

Hinc Spalatinam nobilissimam & validam Vrbem, quæ totius Dalmatiæ Metropolis constat, advenit, quem Petrus Archiepiscopus sacro infulatus

fulatus officio, cum Vrbana, tam Clericorum, quam Laicorum multitudine excepit, & Missarum solemnia celebrans, ex voto jusjurandi fide eidem omnes placere satagerunt. Narentanorum quidem Princeps 40. suorum captivitate mancipatos expertus est, qui suis intermunciis Ducem continua prece sibi illos reddi imploravit, hoc videlicet pacto; Quod priusquam ipse Dux de illis exiret finibus, tam ille Narentanorum Princeps, quam omnes sui majores, sibi ad satisfaciendum pro suis votis convenirent, & nec censum alias extortum aliquo modo exigere, nec quemquam itinerantem Veneticum molestare deberent. Tunc captivos reddere jubens, sex tantum illorum, ne ipse pacem violasset, retentos, secum servavit. His definitis, Dux ad alios illius regionis, sub jugo subjugandos gressum tendere cœpit: Qui apud S. Maxim. Ecclesiam hospitium habere, dum voluisset, Curzolæ Insulæ habitatores suis recusantes parere jussionibus, valida manu acquisivit, suæque potestati subjugavit. Præterea dum idem Dux quicquid cordi aderat, Deo fautore ad votum consequeretur, improbos Ladestinæ Insulæ habitatores aggredi conatus est; a quorum rabie Venetici illuc præternavigantes, propriis facultatibus privati, nudi sæpissime evasere. Erat siquidem eadem Insula scopulosis promontoriis circumsepta, licet aditum intrantibus non denegaret, montium tamen sublimitate ostendebatur; Ex quibus vivis murorum mœnibus, turriumque ædificiis munita, inexpugnabilis ab omnibus habebatur. Dum vero prædictus Princeps, multitudine navium collecta, quendam illius Insulæ portum penetravit, mandans civibus, ut relicta pertinacia ad se venirent, aut pugna se perituros scirent. Qui timore constricti, pacifica verba protulerunt. Postmodum illis injunctum fuit, nulla ratione pacem a Duce se consequi posse, nisi Civitatem ipsi destruerent, destructam vero irreparabilem, & inhabitabilem relinquerent. Quod omni nisu facere interdicentes, tanto exercitui se se obsistere posse adorti sunt. Tunc idem Princeps suos ad certamen præparare, illosque impugnare acriter jussit: Verum quia arduus locus difficilem dabat appropinquantibus ingressum, jaculorum ictibus hostes aliquandiu procul, virtute, qua poterant coercere satagebant. Tandem Dei omnipotentis dispensatione major pars exercitus ex illo loco unde nullius munitionis ostia patebant, impetum facientes, reliqua montes per devia conscendendo, turres ubi aquarum Vascula relevantur comprehenderunt, in quibus consistentes in tantum luctamine comprimebant, donec dejecti animo, armis depositis, nihil amplius, quam mortis exosum periculum evadere flexis exorabant poplitibus. Dux itaque pietatis amator vivos conservare instituens, Civitatem tantum devastare præcepit. Hoc peracto Victor Princeps S. Maxim. Ecclesiam reciprocavit, illuc Ragusienſis Episcopus cum suis conveniens, eidem Principi Sacramenta omnes facientes obsequia multa detulerunt. Inde Dux prædictas Civitates repetendo remeans, pari omnium consensu Ducem Dalmatiæ se primitus nominavit, Venetiam tandem cum tali triumpho regressus est.

Ex quibus apparet Sabellicum non recte intellecto Dandulo hic, ut & supra Narentanos & Croatos inter se confundere, & cum Slavi utrique essent, Narentanos, pro Slavis Dalmatiam habitantibus sumere, eo quia suo tempore obliterata Narentanorum, & Croatorum distinctione, utrique Slavi vocarentur, ut suo loco referetur; Et quamvis Dandulus res Croatorum a Narentanis distinctas tradat, tamen cum ex nominibus locorum obsoletis, vel mutatis aliqua obscura remaneant, ideo declaranda sunt, ut narrationis series clarior appareat, & inde æquivocationes Sabellici, & cæterorum corrigi possint; Ait enim Dandulus *Chroatorum Iudex propter denegationem Census Venetis molestias inferre conatus est*, ideo Veneti *Quisam eorum Civitatem* bello devicerunt captivosque Venetias duxerunt, *ex hoc majoris odii cumulus inter Venetos, & Sclavos pullulavit*, cum intelligentia relatorum pendeat a situ Civitatis *Qussæ* ubi nam ea fuerit, inquirendum est. Qussam Civitatem Croatorum maritimam fuisse oportet, quæ cum nullibi extaret, quando Sabellicus scripsit, ideo ejus mentionem omisit, & aliqui Dandulum, ejusve Exscriptores, errasse credentes, & Narentanos, cum Croatis ex Sabellico confundentes *Qussam* in qui *Issam* Narentanorum insulam verterunt, & Vaticanus Codex Danduli talem correctionem habet *Qui Issam*; sed sicuti Croatos præter maritima continentis loca, Insulas quoque aliquas possediſſe ex Porph. relatum est, ita ex Privilegio a Cresimiro Rege Dalmatinorum, & Croatorum proxime illis temporibus concesso, inferius ponendo, apparet, *Chissam* vocatam Civitatem & Insulam, nunc Pagum dictam: Quod Dominicus quoque Marius Niger Geg. com. 6. animadvertit. *Est & Portunata, quæ & Chissa dicebatur ex vocabulo oppidi quod in meridionali Ripa situm fuit, ubi ejus vestigia cernuntur, & adhuc locus, Chissa, dicitur, quibusdam Pastorum Casis infra habitatus, quæ Insula hodie Pagus dicitur.* Idem Palladius Fuscus de situ oræ Illyrici, quam unam ex Croatorum Insulis fuisse inferius patebit, &, Chissam, sive Kissam eamdem fuisse, cum Danduli Qussam ex eo percipitur, quod Croatorum Iudex id est Zupanus in Insula Pagi existens, præternavigantes Venetos molestare potuerit propter Census denegationem, de quo capite sequenti. Inde *ob captivos Sclavos Venetias deportatos* inter Venetos, & *Sclavos* odium exarsisse oportet, qua de causa eosdem Croatos cum Narentanis se junxisse, & Croatos a Terra, Narentanos vero a mari Dalmatas sibi proximos Venetorum socios vexasse verosimile est: Sabellicus autem Narentanos cum Croatis confundens, Iadræ proximos præsumens, ab iisdem Narentanis territorium Iadrense a terra vastatum dixit, quamvis Narentani longe a Iadrensi territorio siti fuerint: Cum tantum 40. captivos Iadrenses Narentanos secum vinctos deportasse Dandulus referat. Dalmatæ ergo, tunc a Croatis a parte terrestri,

restri, & Narentanis a mari pressi, Ducis Venetorum auxilium implorarunt, ut eos ab utrorumque Slavorum molestiis liberaret; Ex quo observandum est Dandulum, Croatos, & Narentanos simul, cum utrique Slavi essent, hic *Sclavos* vocare, alibi autem Croatos solos *Sclavorum* nomine referre, prout cæteri quoque Chronographi Veneti antiquiores faciunt, qui Istros, & Dalmatas antiquis propriisque nominibus indigetant, Slavos autem, qui Dalmatiam occuparunt, in Sclavos, & Narentanos distinguunt, Croatos scilicet sibi proximiores generali nomine Slavorum vocantes, ex Serviis vero maritimos, Narentanos: sequitur Dandulus: Ducem ex permissione Impp Constan. Classem parasse, & a Parentinis, & Polensibus in Istria obsequiose receptum in proximam Dalmatiæ Civitatem Auseri perveniisse. *Unde non modo Cives, verum omnes de finitimis, tam Romanorum quam Sclavorum Castellis convenientes, Principi sacramenta dicunt*, ibique dispositis rebus, Iadram perrexisse, cui obviam Prior, & Episcopus exeuntes, Iadram deduxerunt, *ubi illi Regionis majores confluentes*, inter quos Veglen. & Arben. jurarunt, & uti Insulani Venetisque ob id magis obnoxii, primi Dalmatarum laudes post Imperatorem decantarunt. Duci Dalmatiam adeunti, Dalmatæ sive Latini, liberatori suo occurrerunt, & ex Slavis, sive Croatis, aliqui mari proximi, ex Castellis eorumdem convenientes, timore Classis, Duci Sacramenta dixerunt: Iadram autem delata Classe Rex Croatorum Ducem placare studuit, sed ibi *Regionis majoribus* id est Dalmatinorum *confluentibus cum utriusque gentis exercitu* id est *Dalmatinorum, & Veneticorum* consilium habuit, quomodo loca Croatorum, ex quibus Iadrense Territorium molestabant, capere posset; Sed cum tunc nunciatum esset 40. nobiles Narentanos ex Apulia redeuntes, ad Chazam Insulam (quæ est inter Issam, & Laudestinam) appuliisse, ideo decem naves illuc destinavit, quæ ipsis copiis in Tragurienſem Civitatem amicam se receperunt, præstolantes ibi Ducis adventum. Dux, aucta Classe Dalmatinorum accessione, ad proximam Insulam Croatorum prope Belgradum eorumdem Civitatem pervenit, cujus incolæ quamvis Slavorum, sive Croatorum Regis indignationem incurrere dubitarent, tamen Classi resistere non valentes, Duci se submisere, idem quoque fecerunt Lenigradæ Croatorum Insulæ Coloni (id est Mortaru, vel Zuri) inde, Tragurienſibus occurrentibus, ad eorundem Civitatem Dux pervenit, ubi suos victores reperit: Ibi frater Regis Slavorum adfuit, cum Duce societatem junxit, & filium Stephanum obsidem tradidit, cui Dux Hicellam filiam Conjugem dedit, & deinde Spalatum veniens receptus fuit: Huc usque Dandulus gesta Ducis cum Istris, Dalmatis, & Croatis refert; De Rege autem Croatorum locisque terrestribus Iadræ proximis Ducem festinantem a Narentanorum molestiis navigationem liberare, sex tantum dierum spatio ibi commoratum nihil determinare potuisse, conjectandum est, sed societate, & affinitate cum fratre Regis Tragurii inita, inde Croatorum quoque partem Dalmatis Amicam effecisse, ex illis, quæ in recensione Regum referentur, conjectari poterit, ex iis autem, quæ deinde de Narentanis scribit, sicuti Principem Narentanorum loca Spaleto proxima, tunc habitasse conjectari potest, ita posterioribus quoque temporibus eadem loca a Successoribus ejus possessa, suo loco patebit, quo ob suorum nobilium Captivitatem pacem facere coacto, Curzolanos, & Ladestinos Insulanos se opponere audentes, ab eodem dissensisse argui debet; Inde Narentanos divisos inter se Venetorum, & Dalmatarum Classi occurrere ausos non fuisse, conjectari potest, at has Insulas auxiliis destitutas facile Ducem in potestatem redegisse: Sed sicuti relata de Curzula ex ejus nomine hodie quoque usitato, clara sunt, ita, cum Ladestinæ nomen obliteratum sit, recentiores ambigentes, quæ nam hæc Insula fuerit, de Pharo (quæ Lesina vocatur) dici crediderunt, & alii textum Danduli correxere sic *Lesinæ*, sed ex ejus descriptione *Insula scopulosis promontoriis circumsepta, licet aditum intrantibus non denegaret, montium tamen sublimitate ostendebatur* Ladestinam, vel Laudestinam fuisse eam, quam Por. Lastobon vocat, & nunc Slave Lastovo nuncupatur: Illa autem *scopulosa promontoria* sive syrtes, ab Oriente Insulæ sitæ, ex utraque parte in longum protensæ, ex antiquo *Ladestinæ* sive *Ladeste* a Stephano memoratæ, & tabulis Peutingerianis *Ladestris* Insulæ nomine corrupto Lagustinæ indigetantur, & Insula Lagusta, ex qua ob situs portuumque commoditatem Narentanos Adriaticum infestasse, Venetosque præternavigantes vexasse, censendum, Ducemque Civitatem hanc munitam destruxisse, ut deleto molestantium receptaculo pacatam redderet Adriatici navigationem concludendum est.

CAPVT

CAPUT V.

De æquivocatione tributi Croatis, vel Narentanis pensi.

SErie rerum in Adriatico per Venetos gestarum relata, remanent quædam explananda, scilicet, de tributo a Croatis & Narentanis exacto, Laudum Cantu, & tituli Dalmatiæ assumptione, quæ singula seorsim declaranda sunt. Ait enim Sabellicus de Petro Urseolo secundo Duce *Italiæ ad hæc potentissimum quemque muneribus & officiis affectatus: ubi ratus est venisse tempus, quo Veneti veteres novasque Narentanorum injurias facile ulcisci possent, vetuit tributum, quod Venetum nomen multos annos, ut tuto oram Dalmaticam sui negotiatores navigarent Barbaris miserat, ulterius dari. Narentani ira in Venetos &c.* Dandulus autem loco supra relato *Iste Dux cum Italicis Principibus amicitiam contraxit, & censum solitum dari Sclavis piraticam exercentibus, a Venetis navigantibus per mare Adriaticum, per edictum prohibuit.* & infra *Chroatorum judex propter denegationem Census Venetis molestias inferre, conatus est.* Hic animadvertenda est differentia inter relata a Dandulo, & Sabellico, nam Sabellicus Venetos Narentanis tributum per multos annos publico nomine misisse, innuere videtur; Dandulus vero Censum, vel tributum, quod a Venetis navigantibus Slavi extorquebant Ducem per edictum solvi, prohibuisse refert; quem hoc loco de Croatis loquutum apparet, cum ex denegatione ejusdem Census *Croatorum judex Venetis molestias inferre conatus est*, scripserit, quæ ad Narentanos referri non possunt, ut Sabellicus credidit: pro cujus rei declaratione, referendum est, quodnam genus tributi jure, & ex pacto Croati exigerent, ut exinde æquivocatio Sabellici apparere possit. Ait enim Porphir. cap. 30. *Ex quo vero dicti jam Sclavi inhabitarunt finitima Dalmatiæ, omnia temuerunt, Urbesque Romanorum insulas colebant, ex iisque vivebant, at cum quotidie a Paganis captivi abducerentur, perderenturque, illas deseruerunt, continentem colere volentes, verum a Crobatis prohibebantur, cum nondum illis tributa penderent verum ea, quæ hodie pendunt, Prætori suo exhibebant, sed cum vitam tolerare non possent, ad Basilium Vener. Imperatorem accesserunt, eumque res a nobis commemoratas edocuerunt, isque auctor fuit, ut quæ Prætori solvebant, ea Sclavis darent pacis causa, & Prætori exiguum aliquid penderent ad ostendendam duntaxat Rom. Impp. illisque debitam subjectionem ac servitutem, atque ex illo tempore omnes istæ Urbes Sclavorum tributariæ, pacta solvunt, Aspalatus quidem sol CC. Tetragura C. Diadora CX. Opsaræ C. Arbe C. Becla C ita ut universim essent lib DCCX. excepto vino, & cæteris speciebus diversis, quas præter pecuniam exhibebant.* Croatos enim donec Occidentali Imperio parebant, pactis inter Imperia initis stetisse, & Dalmatas sua quiete possidere, permisisse conjectandum est; at jugo Francorum detracto, mare infestando quibusdam quoque Insulis occupatis (ut inferius patebit) Dalmatas molestasse, ob id tributum ipsis constitutum fuit, quod cum Imperante Basilio evenerit, ipso quoque conciliante pactum esse potuit (de tributo autem vini & cæteris speciebus, infra Regum Ungarorum tempore refertur) ex qua supra narrata tributi constitutione Croatos ab infestatione maris abstinuisse, Dalmatasque quiete sua possidere permisisse argui debet; sed iterum mare infestantibus, & a præternavigantibus censum exigentibus, Dalmatas Venetorum protectioni adhæsisse, & censum, quod extorquebatur, solvere noluisse, & ut in similibus evenire solet, tributum quoque pactum denegasse, ob cujus denegationem contentio orta sit, nam tunc Iadram solam in Dalmatia Venetos in protectione habuisse Dandulus, & cæteri Chronistæ referunt; Iadrenses vero aliqua ex causa eorumdem protectioni se dedisse oportet, quæ proximorum Croatorum molestiis tribui debet, & ob imbecillitatem virium Imperii orientalis ad vicinam, & antiquam societatem Iadrenses revenisse, ut a Croatorum molestiis liberarentur, & Venetorum protectionem nactos, Croatis tributum quoque negasse conjectari potest; ob quam denegationem Croatos Venetis Iadrensium protectoribus *molestias inferre conatos* videtur dicendum; Venetos autem quietis Adriatici avidos *Quissam Croatorum Civitatem* scilicet nidum molestiæ desolasse, *ex quo majoris odii Cumulus inter Venetos, & Sclavos pullulavit;* Inde Croatos in vindictam cum Narentanis convenisse, Iadrenses molestasse, & præternavigantes Venetos infestasse, ut Dandulus refert, quas molestias ad reliquos quoque Dalmatas Venetorum antiquos socios extensas censendum est, propter quas cæteri Dalmatæ Ducem evocarunt, & ipsius se protectioni tradiderunt, Dux autem Croatis maritimis sibi sacramento astrictis, a Narentanorum quoque Principe, & primoribus navigationem quietam permissuros sponsionem accepit, ut supradictum est. Ex quibus constat, Sabellicum de tributo Narentanis penso æquivocasse, ex tot enim relatis Venetorum Victoriis contra eosdem, & Croatos apparet nullam esse potuisse causam, propter quam Veneti tributum Narentanis, & multo minus Croatis publico nomine constituerint, Sabellicumque non percepto Danduli verborum sensu, talia scripsisse & quamvis idem Dandulus referat, Narentanorum Principem, & suos majores cum Duce convenisse. *Nec censum alias extortum, aliquo modo exigere, nec quemquam itinerantem Venetorum molestare deberent*, censum tamen ab aliis, quam a Venetis extortum innuere videtur, ipsumque Censum ab *itinerantium Venetorum*

netorum moleſtiis ſeparare, ſed ſicuti, cujus generis cenſus fuerit, quem Croati, & Narentani a navigantibus extorquebant, ex relatis Danduli verbis diſtingui non poteſt, ita ex iis, quæ ſuo loco dicentur de Almiſſanis, qui loca Narentanorum tenuerunt, & Segnienſium Croatorum, qui noſtris temporibus non minores moleſtias, Venetis longe majoribus viribus pollentibus, inferre auſi ſunt, conjectari poterunt ea, quæ ab auctoribus non traduntur, & antiquitate obſcurata ſunt, Cenſusque a navigantibus extortus a tributo publico diſtingui.

CAPUT VI.

De Laudibus.

DAlmatas Duci Vrſeolo poſt Imperatorem laudes canere pollicitos Dandulus, & ex eo Sabellicus, cæterique vulgati Scriptores referunt, quæ laudes cum adhuc in uſu ſint, non injucundum erit iis, qui antiquitatum indagatione delectantur, ſi re altius repetita, quomodo hoc pulcherrimum Romani decoris monumentum in Dalmatia ſervatum ſit, & cauſa quare in omnibus hodiernæ Dalmatiæ Civitatibus idem non ſervetur aperiatur.

Imagines Impp. initio ſumpto ab Auguſto colebantur, ex gentilitatis deinde ſuperſtitione etiam adorabantur, at Imperio ad Chriſtianitatem redacto creato quolibet Imperatore, Imago ejus per Imperium circumferebatur, & in unaquaque Civitate in locis publicis, & proponebatur, & reponebatur, atque magiſtratibus Provincialibus præferebatur, & in exercitibus ab imaginiferis ferebetur.

Guido Panc. in notis ad Notitiam Orien. Imp. c. 24. l. 2. ſi quando C. de ſtatuis & imaginibus.

His autem Imaginibus expoſitis, a Populo acclamabatur, quod non ſolum in creatione fiebat, ſed etiam ſingulis annis ſtatis diebus feſtis repetebatur expoſitio ſimul, & acclamatio: Hæ autem acclamationes, cum in foro, Circis, & Theatris fierent, Chriſtiana pietate omnia ad Eccleſiam reducente, Imaginum quoque propoſitio, & repoſitio, ipſaque acclamatio in Eccleſiis fieri cœpit, quas acclamationes laudes dictas Paulus Diaconus prodit. *Tiberius cum Coronam Auguſtalem accepturus eſſet, cumque juxta conſuetudinem ad ſpectaculum Circi populus expectaret, inſidias ei præparans, ut Iuſtinianum, Iuſtini nepotem, ad dignitatem Imperatoriam ſublimaret, ille per loca ſancta prius procedens, dehinc vocato ad ſe Pontifice Vrbis cum Conſulibus, ac Præfectis Palatium ingreſſus, indutus purpura, Diademate coronatus Throno Imperiali impoſitus cum immenſis laudibus in Regni gloria confirmatur.*

de geſtis Langb. l. 3.

Quo defuncto Mauritius, indutus purpura, redimitus Diademate, ad Circum proceſſit, acclamatisque ſibi laudibus, largitus populo munera primus ex Græcorum genere in imperio confirmatus eſt.

Laudumque nomine etiam hodie per tot ſeculorum continuationem vocantur.

Quibus autem conceptis verbis ipſæ laudes acclamarentur, tenuis memoria in Phoca memoratur.

Apud Gregorium Magnum in exordio Libri undecimi Epiſtolarum. 603.

Venit autem Icona ſuprascriptorum Phocæ & Leontiæ Auguſtorum Romam, ſeptimo calendas Maii, & acclamatum eſt iis in lateranis in Baſilica Julii ab omni Clero, & Senatu: exaudi Chriſte Phocæ Auguſto, & Leontiæ Auguſtæ vita. *Tunc juſſit ipſam Iconem Dominus Beatiſſimus, & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio ſancti Ceſarii Martyris intra Palatium.*

Sed cum deinde excommunicato Philippico Imperatore ſummus Pontifex populo conſentiente decreviſſet, *quod ejus imago, ut aſſueverat in Templum non inferretur, neque nomen in ſacrorum ſolemnibus ederetur,* tunc Romæ ceſſatum a laudum acclamationibus, dicendum eſt, cum deinde Leo quoque Iſauricus excommunicatus fuiſſet, multasque contentiones ſubſequentes Imperatores cum Eccleſia Romana habuerint, ideo Laudes repetitas memorat, donec in coronatione Caroli Magni rurſus Populus iiſdem verbis, quibus, in Orientalium Imperatorum Imaginum propoſitione, ſolitus erat, acclamavit, ut Regino tradit: *Sigon.* 712. 730.

Carolo adveniente Romam Sum. Pont. in gradibus Baſilicæ B. Petri ſtans, miſſis obviam Romanæ Urbis vexillis, cum crucibus atque reliquiis, ordinatis etiam, atque diſpoſitis per congrua loca, tam peregrinorum, quam Civium turmis, qui venienti Laudes dicerent, ipſe cum Clero, & Epiſcopis ante gradus Eccleſiæ eum humiliter ſuſcepit. Et infra.

Cum Rex ipſa die Natali Domini ante confeſſionem S. Petri ab oratione ſurgeret, Leo Papa Coronam capiti ejus impoſuit, & a cuncto Romanorum Populo ter acclamatum eſt: Carolo Auguſto a Deo coronato magno, & Pacifico Imperatori Romanorum vita, & Victoria. 801.

Et poſt laudes more antiquorum Principum adoratus eſt, & ablato Patritii nomine Imperator, & Auguſtus eſt appellatus. Simili modo, & Legati Michaelis Imp. orientis.

Aquisgrani, ubi ad Imperatorem venerunt, conſcriptum pactum ab eo in Eccleſia ſuſceperunt more ſuo, id eſt græca lingua Laudes ejus dixerunt, Imperatorem eum, & Baſileum appellantes, & in revertendo Romam venientes in Baſilica S. Petri Apoſtoli eundem pacti, ſeu fœderis libellum a Leone Papa denuo ſuſceperunt. 812.

Hæc

Hæc Romæ; at in imperio Orientali Laudes continuatas hodiernus earundem usus in Insulis Ionii, quæ Turcarum jugo non premuntur, arguit, ob id in Dalmaticis quoque Civitatibus quæ Orientale Imperium adhuc recognoscebant, Laudes cantari solitas statis diebus festis, ex iis, quæ refert Dandulus, constat; nam Duci advenienti Auseri in solemnitate Pentecostes cantatas memorat, & Episcopos Iadræ existentes promisisse *feriatis diebus, quibus Laudis pompam in Ecclesia depromere solebant istius Principis nomen post Impp. Laudis præconiis glorificarent.* Ex quibus Laudum usum continuatum in Dalmatia apparet, posterioribus quoque seculis Tragurii memoria reperitur, anni scilicet 1192. easdemque Laudes, Andreas Belæ tertii Regis Vngariæ filius, a Patre Dux Dalmatiæ, Croatiæ, & Chalmiæ constitutus, sibi dictas testatur in privilegio Tragurien. concesso anno 1200.

Ex Archiv. Com. Trag. *Tragurienſem Civitatem intravimus, ubi una a Clero, & universo populo in honore, & gaudio recepti, Laudes hymnidicas honorabiliter recepimus*, & prout tractu temporis evenit, ut honores Principi destinati, ad ejus vicem gerentes extendantur, Banis quoque Laudes dictæ fuere, & cum ipsi Bani sæpe in Comites Civitatum Dalmaticarum eligerentur, (ut latius postea dicetur) Comitibus etiam dictæ sunt, determinataque pecunia hanc ob causam Canonicis pendebatur, prout ex pactis cum Iuachino Bano Sclavoniæ, electo Comite Spalati, constat. *Ex Arch. Com. Spal. 1272.* Ad alios deinde quoque magistratus, & Collegia extensæ fuere. Has laudes, quas olim Populus acclamare solitus erat, hodie in Ecclesia statis diebus festis solemnioribus Sacerdotes canunt, & quamvis per tot secula multa mutata, & adjuncta esse possint, tamen adhuc aliqua verba antiqua servantur.

Dies autem solemnes fuisse Pascha, & Natale Domini ex decreto Gregorii de sancto Apostolo, tituli S. Mariæ in Porticu Cardinalis, tunc in Regno Vngariæ Legati anni 1192. in cartulario capituli Tragurienſis existenti apparet, & nunc Iadræ observatur, Tragurii autem, & Spalati, aliis etiam festis celebrioribus canuntur; & sicuti ab eodem Cardinali duo Presbyteri singulis annis pro laudum solutione limitati fuere, ita posterioribus temporibus ex Veneti Senatus decreto, pro antiqui moris continuatione, solvit ærarium publicum cap. Tragurii quotannis libras 15. Canuntur autem hæ laudes Tragurii inter Missæ solemnia a duobus ex Canonicis Vmbonem ascendentibus, Choro loco populi respondente, & loco Imperatoris summo Pont. acclamatur, quod quando evenire potuerit, infra conjectabitur; formula ergo in Patria observata subjicitur, ut ex ea cum antiquis acclamationibus collatio fieri possit, aqua cæteræ per Dalmatiam parum discrepant.

Canonici.

Exaudi Christe, exaudi Christe.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Sanctissimo, & Beatissimo Patri, & Domino Nostro Clementissimo Domino NN. divin. Provid. Sacro Sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici Laus, honor, & Decus ac cælestis triumphus. *Iadrae, & Spal. Salus, honor & vita perpetua.*

Chorus.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Can.

Serenissimo, ac Excellentissimo Principi, & Domino Nostro Gratiosissimo DD. NN. Dei gratia Inclyto Duci Venetiorum &c. Laus, honor, Gloria, & triumphus perpetuus. *Spal. Salus, honor, vita, & perpetua victoria.*

Chorus.

Christus.

Can.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. NN. Dei, & Apostolicæ sedis gratia, Episcopo Tragurienſi laus, honor, vita, & gaudium sempiternum. *Iadrae Salus, honor, vita, & victoria.*

Chor.

Christus.

Can.

Illustrissimo Domino D. NN. Comiti & Capituneo nostro Trag. laus, honor, dignitas, & vita perpetua.

Chor.

Christus.

Can.

Illustrissimo Domino D. NN. Camerario, & Artis Præfecto nostro Trag. laus, honoris augumentum, gaudium perenne, & pax sempiterna.

Chor.

Christus.

Can.

Venerabilibus Patribus Dominis Canonicis, & Capitulo, ac toti Clero nostro Trag. Salus honor, vita, & gaudium perpetuum.

Chor.

Christus.

Can.

Nobilibus & sapientibus viris Iudicibus, & Consiliariis, ac toti Collegio Nobilium Trag. salus, honor, & vita perpetua.

Chor.

Christus.

Can.

Vniversis Civibus, ac toti devotissimo populo nostro Trag. salus, vita, & gaudium salubre.

Chor.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Canonici.

Exaudi Christe, exaudi Christe.

Hæ autem laudes nunc canuntur in his tantum Civitatibus, quæ olim Romanorum, vel Dalmatarum nomen retinuere, ut dictum est, quæ Imperiales etiam dictæ fuere ad differentiam Croaticarum, quæ Regales, suntque *Ragusium, Spalatum, Tragurium, Iadra, Arbum, Viglia.*

Sola Absarus ex Dalmaticis iis caret, quæ cum pene deserta sit, Civibus & Magistratibus nunc Chersum habitantibus, ob id forsàm omissæ fuere.

Curzulæ & Phari, uti Narentanorum Sibenici. & Nonæ uti Croatorum.

Neque olim cantatas ulla memoria reperitur, neque nunc canuntur; ex quo confirmantur, quæ ex Porph. de Dalmatarum, & Slavorum distinctione dicta sunt.

Ascrivii, sive Cathari quamvis in Dalmatia hodierna sit: non canuntur, quia & ipsa inter Dalmaticas Civitates numerari desiit, ideo non Imperio (quod Porph. non misisset, cum ejus mentionem faciat) sed alicui ex Principibus Slavorum tempore Porphir. paruit.

Canuntur quoque hodie ex more antiquo, Iustinopoli Istriæ Civitate, quam quamvis Occidentali Imperio paruisse, & Marchionibus Istriæ subditam fuisse, reperiatur; tamen Caroli Magni tempore Græcos adhuc, uti maris Dominos, recognovisse supra relatum est, ideo more antiquo Orientali servato, laudum cantu, superioritatem Adriatici Impp. Orientalibus Iustinopolitanos olim detulisse apparet, quem antiquum morem sub Venetorum dominio, simul cum Dalmatis hodie servant.

CAPUT VII.

De titulo Ducatus Dalmatiæ a Duce Veneto sumpto.

Petrum Vrseolum Secundum Ducem Venetorum Dalmatiæ titulum sumpsisse, concordes sunt Veneti Scriptores, Sabellicus post reditum Venetias, Dandulus vero relatis ejus Victoriis, *Inde Dux prædictas Civitates repetendo remeans, pari omnium consensu Ducem Dalmatiæ se primitus nominavit, & ad Venetiam cum tali triumpho tandem reversus est*, ex quibus, in Dalmatia ipsius titulum Ducem sumpsisse apparet, & Dalmatarum aliquos ipso accedente, statim laudes in Ecclesiis canendo titulum Dalmatiæ post Imperatorem eidem detulisse: In reditu autem omnium Dalmatarum acclamatione titulo Ducis Dalmatiæ decoratum, Venetias rediisse: Sed sicuti gesta Venetorum in Dalmatia ex consensu Impp. Constantinopol. Dandulus secuta memorat, ita quoque tituli assumptionem eosdem, vel permisisse, vel auxiliorum Venetorum indigos, dissimulasse, dicendum est; nam tunc Græci Dalmatiæ Dominium nominetenus retinebant, & maximis Bulgarorum bellis impediti, ad Saracenos, Barium obsidentes, expellendos, Veneta auxilia paulo post accersivere, ut idem refert Dandulus; prout etiam Anonymus Barensis, & Lupus Protospata 1002. ideo Venetorum nationem sibi conciliando, Ioanni Ducis filio, & in Ducatu consorti, *Dandul.* Martham ex sorore filiam Romani Ar- *Cedren* giri, qui postea imperavit, in matri- *Curopal.* monium tradiderunt, nil mirum ergo si possessione Dalmatiæ permissa, tituli quoque usum Duci Veneto permiserint Impp. Orientales prout Othonem quoque Occidentalem eodem titulo Ducem decorasse, Dandulus refert. Magistratus tunc in Dalmatia missos nominat Sabellicus, & aliqui alii, sed Dandulus cum Chronistis antiquioribus nihil de Magistratibus referunt: Extant tamen ad Danduli Annales, & ad aliquas ex Chronicis antiquo charactere scriptis, eorundem Magistratuum nomina, recentiori tamen charactere exarata, inter quos Sibenici, & Belgradi Civitatum Croaticarum, quas Dandulus tunc acquisitas non memorat, & cum nullibi in Dalmatia eorundem Magistratuum memoria reperiatur, ideo posterioribus temporibus hæc nomina a recentioribus astructa fuerunt. Hoc modo Dux Venetorum Dalmatis in protectionem susceptis, & a Slavorum tributo, & molestiis liberatis, pacato Adriatico, Dalmatiæ titulum de consensu Impp. Oriental. sumpsit.

CAPUT VIII.

De Regibus, & Banis Croatorum.

Hucusque gesta in Adriatico, forsan nimis tædiose, tamen ad intelligentiam sequentium non inutiliter relata sint. Nunc Regum Croatorum memorias, quæ supersunt, colligere oportet.

Regnum Croatorum Danubium usque protensum fuisse, ex privilegio Tirpimiri Ducis constat, cujus Regni partem inter Dravum, & Savum sitam, Branslavonem Ducem in potestate habuisse tempore eodem, quo Mucimirus erat Dux meridionalis Croatiæ, ex ejusdem privilegio patet, sed quo tempore, modo, occasioneque Croatici Regni partes coaluerint, nulla memoria reperitur; Regum tamen series ex eorundem privilegiis deducetur, deinde quando, quomodove Dalmatiæ titulum consecuti sint, conjectandum erit: monumenta autem, Reges nominantia, talia sunt:

Ex

Ex antiquo regiſtro Privil. monacorum ſancti Chryſogoni Iadren.

Anno Dominicæ Incarnationis 1067. Indictione 4. epacta 3. concurrente 7. Regnante D. Conſtantino Duce magno Imperatore, Prioratum vero Iaderæ retinente D. Leone Imperiali Protoſpatario, & totius Dalmatiæ Catipano. Ego quidem Petrus S. Chryſogoni Abbas immeritus, cerno quod his temporibus, in quibus jam fines devenere ſæculorum nonnulla ſubtrahuntur, de poſſeſſionibus Sanctorum per ingluvias hominum mundanorum, ac Deum, non merentium, ſed callida machinamenta, & doloſa ſolummodo amantium plurima argumenta. Unde Chirographum hoc ad poſteritatis memoriam eſſe ſtudui, cum conſilio, ac voluntate, & teſtificatione præfatæ Vrbis Nobilium, quorum nomina ſubterſcripta reperientur de poſſeſſionibus, hoc eſt terris, vineis, olivetis, ac piſcationibus Cenobii prædicti Chriſti martyris, videlicet B. Chryſogoni, vel in quibus locis hæc univerſa habentur, quæ mei regiminis tempore in obſequio fratrum, in eodem Cenobio, Chriſto famulantium, eſſe cognovi, ne alicui de ſubſcriptis rebus minuendi facultas impoſterum largiatur. Igitur ſcribere curavi, imprimis territorium, in quo vineæ, & Olivæ Monaſterii eſſe plantatæ noſcuntur, in loco, qui Yculi nominatur, & his terminis terminatur. Eſt in eodem loco vallis, infra duos petroſos colles porrecta, in oriente, quæ robioſa dicitur, eſtque primus terminus jam dicti territorii, a ſummitate ipſius vallis in oriente, ubi etiam puſillus ſtare ulmus cernitur, uſque ad limitem, qui ultra puteum ejusdem loci in occidentali parte habetur, ſecundus namque terminus per transverſum a mare uſque viam antiquam, qua itur ad Nonam, quæ eſt etiam contra ſablata, in qua hac de cauſa antiquitus ſita eſt parvula colupnella, quæ erat ab Inſidiatoribus de loco quo ſteterat remota, in orientem quaſi paſſus ducentos, quam nos cum Conſenſu Creſimiri Regis Croatorum, ſuorumque Nobilium in priſtino reſtituimus loco. Hanc ipſam denique terram his ipſis terminis terminatam, ſine infeſtatione quorumlibet hominum ſervis Dei perpetuo poſſidendam, hoc modo antiquitus in noſtro jam dicto Monaſterio ferunt fuiſſe datam, quod Rex quidam Croatorum veniens votum reddere Deo, ad Eccleſiam præfatam petentibus ſervis Dei pro ſuo remedio animæ dominavit eam, quod factum pronepos ejus, prædictus Rex noſtris quoque ſtabilivit diebus, tribuens Nobis ex hoc libellum continentem ita.

Ego Creſimir, qui alio nomine vocor Petrus Croatorum Rex, Dalmatinorumque notifico omnibus, quod juſtum mihi videtur, ut ſtatuta parentum meorum antiquorum non caſſentur, maxime illa, quæ ad ſalutem eorum pertinent animarum. Comperimus namque in geſtis proavi Creſimiri majoris, quod pro remedio animæ ſuæ tradidiſſet Monaſterio ſancti Chryſogoni territorium aliquod in loco, quod dicitur Yculas a quercu, quæ ſtat ſupra vallem rabioſam, uſque ad ſtafilum, qui hac de cauſa ſitus eſt in trivio quod eſt contra ſablatam perpetuo poſſidendum, quod totum poſſeſſoribus ſuis manſit tempore ipſius, & filii ejus Dirzislavi, & eorum potentibus Banis, videlicet Pribinæ, & Godemiri, & temporibus Suetoslavi, & ejus fratrum Creſimiri, & Goyslavi, & filii ejus Regis Stephani Patris mei faventibus nobilibus Banis eorum, qui fuere temporibus, hi ſunt: Varda, Bozshare, & Ssephanus Praſca. Vnde ſancimus eorum ſanciones a nobis roboratas perpetuo permanere. Si quis autem poſt noſtrum obitum iſta violare temptaverit ſupremi incurrat Iudicis iram, & inhorrendi examinis diem ſiniſtrum poſſidens locum, audiat, quæ ſiniſtros merentur. Actum eſt in Nona Civitate his coram teſtibus Boleslaus, Tepa teſtis, Addamizo Nomienſis Iupanus, teſtis, Vialcizo Iup. de Licca teſtis, Voleta Dad teſtis, Budic, Poſtelnie teſtis, Ioannes Regis Capell. teſtis, Zuoiz Volar teſtis, Dragogna ſcuto bajulus, Dodavid vinote, Grabogna Decanus teſtis, ego Abbas S. Bart. ſcripſi juſſu Regis Domini mei. Et aliud territorium Sancti Chryſogoni in Inſula in loco qui antiquo nomine Flavico dicitur, nunc vero poſtimana nominatur, in quo loco Preſtantius Epiſcopus una cum Maio fratre ſuo Priore edificavit Eccleſiam ad honorem B. Archang. Michaelis, & quibus voluere, dotarunt beneficiis, Traſo denique qui illis diebus huic noſtro Cenobio præerat Abbas proſpiciens hunc ſibi, ſuisque fratribus ſatis eſſe congruum & ad ſuam utilitatem nimis proficuum, vocavit ad ſe dictos fratres, & petivit illam, diſponens iis neceſſitatem ſuorum fratrum, ac Domus Dei; cujus voluntatem, ac petitionem conſecuti ſunt, dictus Præſul, & frater ejus, obtuleruntque in obſequio Abbatis, & fratrum, tam Eccleſiam, quam edificaverant, quamque adjacentia territoria, & ut perpetuo B. Martyris Cella fieret, tradentes eam legaliter coram nonnullis Iaderenſium ſtabiliunt, & confirmant. Quod factum, utique inconvulſum manſit temporibus ipſorum, ſed poſt obitum illorum quidam temptabant ſubtrahere aliquid de donatis, jam Eccleſiæ Dei territoriis, qua de Cauſa veniens ad Inſulam filius dicti Prioris Gregorius ſimiliter Iadrenſ. Prior, & Imperialis Patricius, ac totius Dalmatiæ Stratigo ad Inſulam, cum ſuis Conſobrinis, filii dicti Epiſcopi, quatenus quis jam nunquam poſſet in aliquo ſervos Dei moleſtare, prædicta Territoria ſicut a ſuis Patribus Sacro Cenobio donata fuerant, clarius propalaverunt, confirmarunt & his terminis terminarunt, a mari videlicet uſque ad montium ſummitates, & a fundo Vallis, quæ in Orientem poſt præfatam Eccleſiam eſſe cernitur, in quo foſſatus habetur, qui contra ipſos montes mitti videtur, uſque ad maceriam quæ ultra deſertum oppidum in parte occidentali ſimiliter habetur, quo etiam tunc, ob ſui facti memoriam, lapidum pro ſigno puſillum ſtatuunt acervum. Et hæc quippe nomina ſunt eorum qui hujus rei cum eo tunc adjutores, cooperatores & teſtes afficere, quorum juſſu, & voluntate, & hoc Chirographum ſcribere fecimus, inprimis Sc. Preſtantius Tribunus, Dabro Trib. Martinus T. Cerneca T. Andreas T. qui poſtea Prior effectus eſt; Dabro T. Sergius T. Georgius T. Majus T. Vrſana T. Petrus T. Gancella T. & alii plurimi. Ego Stephanus Iadrenſ. Epiſcopus horum, & aliorum Nobilium plurimorum conſilio, & voluntate, juſſu & teſtificatione curis præpeditus nonnullis Chirographum hoc ruſtico ſermone conſcripſi.

Quoniam divinitatis eximia celsitudo summos, ac minimos, non modo pro meritis, verum etiam dispensatione profunda, æternos largitur honores, & modo ininvestigabili elevat sublimandos, & sublimium superborum colla pessundat, & ineffabilis Iudicis, ineffabile quoque judicium perseveret, & omnipotentis discretio, ex inexhausto procedens fonte terrena dispenset Imperia. Ideo ego Cresimirus. D. Gra. largiente Croatiæ, atque Dalm. Iura gubernans, atque avi mei beatæ memoriæ Cresimiri Regis, Patrisque mei Regis, Stephani in Elisio campo feliciter quiescentis habenas Regni retinens anno Dominicæ Incar. 1069. Ind 7. epacta 5 concurrente 3, in nostro Nonens. Cenaculo residens una cum nostris Iupanis, Comitibus, atque Banis, Capellanis etiam nostræ Regalis Aulæ, cogitare cœpi qualiter omnipotens Deus hæreditarii Regni mihi concessit, gubernacula, conservaret, & animabus meorum prædecessorum requiem æternam donaret. Inveni nihil in operibus maxime dignius, nihilque Deo acceptabilius, quam ex nostra terrestri aula supernorum Civium, atque Sanctorum sacrata habitacula possessionibus, muneribusque ditare condignis. Igitur quia Deus omnipotens terra, marique nostrum prolongavit Regnum, decrevimus, & prompto animo stabilivimus Monasterium S Chrysg. Mart. cujus venerandum corpus intra ejusdem Civitatis mœnia requiescit prædiis, atque possessoribus honorare, simul quia in gestis antecessorum nostrorum Regum sc. Excellentissimorum in Campis, & territoriis plurimis prædictum monasterium invenimus privilegiatum. Nos ergo a Prædecessoribus nostris in nullo deviantes pro remedio animæ meæ, meorumque defunctorum omnium offerimus. & stabili tenore donamus tibi Beatissimo Chrysogono martyri, & præsente D. Petro tuæ sanctæ Aulæ Abb. nostram propriam Insulam, in nostro Dalmatico mari sitam, quæ vocatur Mauni, cui ex orientali parte adjacet Insula, quæ in vulgari Sclavonico Veru nuncupatur, ut eam habeat, & possideat in æternum absque cujusquam mortalium inquietudine, prædicti Sanctissimi Martyris monasteriam, nam sic bona nostra decrevit voluntas, annuentibus, & supplicantibus venerandis nostri Regni Principibus. Vt autem hæc nostra donatio in æternum fundetur, & stabilitate perpetua perseveret, eam nostra nostrorumque Episcoporum attestatione astringimus, & inviolabiliter præmunimus, statuentes, ut quicunque mortalium immemor divini examinis, & perversorum nostræ Regiæ dignitatis voluerit unquam ausu temerario de prædicta Insula Cenobio regaliter concessa Monasterio Sanctissimi Chrys. inquietare, simulque nostra jura confundere, incurrat iram super iram futuri Iudicis, & sit reus in conspectu extremi examinis cum Herode, Iuda, & Simone Mago portionem in æternum habiturus, & Antichristi consortia possessurus ab omni pace Deo, Sanctisque Apostolis, & a cuncto Sanctorum cœtu, & Beatissimo Chrys. maledictionem accipiat sempiternam, & nostræ Regali Curiæ quibuscumque successoribus meis Regibus Iupanis, Comitibus, sive Banis componat lib. auri C. & in nostro Regno perpetuo sit infamis † Ego Cresimir Rex Cro. atque Dalmat.

† Ego Stephanus Iaderæ Episcopus scripsi, & hæc sunt nomina testium, qui in hic facto interfuere. Adamizo Nomen Iuppanus T. Bolislavus Curialis Comes T. Viachizo Iup. de Licca † Volessa Dat. T. Budec, Postelnic. Berberien. Iup. T. Ioannes Regis Capellanus T. Petrus Re alis Curiæ judex T. Suidoz Regalis Pincerna T. Dominus Leo Imperialis Protospatarius, ac totius Dalmatiæ Catipanus T. Salvislavus Nonen Iudex. T. Adam Monacus de Sancto Bartholomæo Abbas T. Petrus Iupanus de Sidraga T. Dragomir Iupanus de Cetina T. Andreas Belgradensis Prior Testis.

Ego Anastasius hujus Chirographi dictator Crivatens. Episcopus, & Aulæ Regiæ Cancellarius, Iussu, & voluntate prædicti Domini mei Regis scripsi, & confirmavi feliciter in Civitate Nona, Amen.

Ex quibus, & aliis Privilegiis infra ponendis elicitur Regum sequens series.

CRESI-

CRESIMIRVS MAIOR

Pribinna, Godemir } Bani

DIRCISLAWS Rex a 994. usque 1000 — CRESIMIRVS REX — Suetoslaus Banus — Goislaus Banus

STEPHANVS REX

Varda, Bozethare, Stephanus, Prasca } Bani

a. 1052. usque 1073. CRESIMIRVS PETRVS Rex Croat. & Dalmat.

Lubomiro, Petrus } Bani

Goyzo Banus, 1059.
Stephanus Dux 1066.

SLAVIZO Rex

a. 1075. usque 1087. ZVONIMIRVS DEMETRIVS Rex Dalmat. & Croat.

Radovanus Regis filius, 1083.

STEPHANVS Rex Dalm. & Cro. ultimus.

Sed quonam tempore præceſſores Creſimiri Petri fuerint, præter Dircislavum, nullibi reperire licuit, ideo in hac memoriam tenuitate Creſimirus major, pro Patre Creſimiri Regis, poſitus eſt, ut proavus Petri dici poſſit, quem etiam Regem nuncupatum ex verbis in ſupra ſcripto inſtrumento 1067. poſitis argui poteſt; videlicet, *Rex quidam Croatorum dominavit eam (id eſt terram) quod factum pronepos ejus prædictus Rex (ſcilicet Creſimirus Petrus) noſtris temporibus ſtabilivit.*

Et quamvis Archidiaconus primum Regem Dircislavum ponat, tamen incongruum non videtur conjectari, Duces Croatorum detracto Francorum jugo, cum nullum ſuperiorem cognoviſſe reperiantur, a ſuis Croatis Reges nuncupatos eos, qui univerſam Regionem poſſederunt, quam, ſub eorundem Francorum quoque Imperio, Regnum Croatorum dictam, ex privilegio Tirpimiri Ducis, & Annalibus Francorum ſupra citatis conſtat, quamvis Creſimirum majorem, cæterosque in primo privilegio nominatos, Reges non vocet Petrus, prout in ſecundo Patrem, & Avum: Dircislavum autem primum titulum Regium ab Imperatore Conſtantinop. conſecutum, argui poteſt, ut Archidiaconus refert cap. 13. *Martinus Archiepi copus fuit anno Domini 970. tempore Theodoſii Imperatoris, & Dircislavi Regis, iſte Martinus fuit Spalatenſis natione, hic fecit Eccleſiæ unum calicem magnum, cum ſua patena de auro puriſſimo; ab iſto Dircislavo cæteri ſucceſſores ejus Reges Dalmatiæ, & Croatiæ appellati ſunt; recipiebant enim Regiæ dignitatis inſignia ab Imperatoribus Conſtantinop. & dicebantur eorum Eparchi ſive Patritii, habebant namque ex ſucceſſione ſuæ originis patrum, & proavorum dominium Regni Dalmatiæ, & Croatiæ,* & quamvis Theodoſium non imperaſſe anno 970. ſed Ioannem Zimiſcem cum Baſilio, & Conſtantino conſtet,

ſtet, tamen cum Martinus Archiepiſcopus, & Dircislavus Rex in ſcriptura fundationis Eccleſiæ Sancti Michaelis prope Amphitheatrum Salonæ ſitæ (quæ adhuc extat, ſimul cum ruinis ipſius Amphitheatri) anni 994. nominentur, & in alia repetantur.

In Chriſti nomine Amen. Amen. Anno nativ. ejusdem D. N. I. Chriſti M. Ind. 13. Regnantibus DD. NN. Baſilio, & Conſtantino magnis Imperatoribus, in Regno Croatiæ, gubernante autem Domino Dircislavo inclito Rege, reſidente etiam in ſede Beati Dominii D. Martino Reverendiſſimo Archiepiſcopo, una cum D. Florino Principe Spalati, & Clyſi.

Ideo vera ſcripſiſſe Archidiaconum, credendum eſt: ſed, ſicuti conſtat ex his, Dircislaum fuiſſe Regem Croatiæ, ita ipſum, ejusque ſucceſſores uſque ad Creſimirum Petrum, Dalmatiæ titulo uſos non reperitur; ex quibus Dircislavum regnaſſe, ab anno 994. uſque ad 1000. conſtat, Petrum autem Vrſeolum Venetorum Ducem in Dalmatiam veniſſe intra eoſdem annos Veneti Chroniſtæ, & Hiſtorici ſcribunt: Hoc ergo Dircislavoregnante, Venetos Dalmatiam in protectionem ſuſcepiſſe dicendum eſt. Sed Dandulus, & ex eo Hiſtorici, & recentiores Chroniſtæ ſcribunt, mortuo Rege Tyrpimiro cum inter filios Mutimirum, & Surigura contenderetur Mutimirum prævaluiſſe, junctum Narentanis, Dalmatas infeſtaſſe, eosque ad Venetos confugiſſe, & cætera, quæ relata ſunt; Sed cum Chronographi antiquiores Regem Croatorum tantum referant, nomen autem Regis non exprimant, Dandulus, & ex eo reliqui, Tyrpimiri, & Mucimiri nomina addentes, erravere; nam ii neque Reges fuere, neque tunc temporis vixere, ut ſupra in recenſione Ducum ex eorundem privilegiis relatum eſt: Hic error autem ab Archidiacono Spalatenſi, ortum duxiſſe videtur, qui Tyrpimirum, & Mucimirum inter Reges ponit anno 990 deceptus & ipſe a privilegio Suinimiri Regis conceſſo Eccleſiæ Spalat. anno 1076. die 9. Octobris, in quo ſcriptor Tyrpimirum, & Mucimirum perperam Reges nominavit, ob id Archidiaconus, cum eos inter Reges recenſere vellet, poſt primum Dircislavum poſuit, ceterisque erroris cauſa fuit, & quamvis, ex datis eorundem privilegiorum, ei conſtare poterat anteriores fuiſſe Dircislavo, tamen ſolito ſuo more, temporibus non examinatis, lapſus eſt, exterosque in errorem induxit: Ideo omiſſis nominibus Regum a Dandulo poſitis, & ab exſcriptoribus ejus etiam depravatis, Dircislavo Regnante in Croatia, Ducis Vrſeoli adventum in Dalmatiam eveniſſe concludi debet, & contentionem fuiſſe inter Dircislavum & Creſimirum fratres: nam Stephanum, filium fratris Regis, obſidem traditum Duci, Dandulus ex Chroniſtis antiquis memorat, quod congruit cum ſtirpe ex privilegiis extracta, Dircislavumque Creſimiro fratri Primogenito Regnum extorſiſſe, & ob id Creſimirum Petrum Dircislavum Regem nominaſſe forſan noluiſſe, prout Avum Creſimirum, conjectari poteſt.

Quem Creſimirum, cum Iadrenſe territorium, deinde moleſtaverit, in ea parte Croatiæ a Dircislavo poſſeſſa quoquo modo ſucceſſiſſe dicendum eſt, ut Dandulus refert relata ſucceſſione Othonis.

Erat quippe Dux Otho annorum 18. quo tempore Regis Hung. 1009. *filiam & ſororem Stephani ſucceſſoris traduxit uxorem, mulierem utique generoſitate ſerenam, facie facundam, & honeſtate præclaram. Nono Ducis anno Creſmurus Croatorum Præſidens, Regionem Iadram, &* 1018. *alias maritimas Civitates Dalmatiæ, quotidianis incurſionibus inquietat, a quibus Dux requiſitus cum ſtolo exiit, & Civitates tutavit, hoſtes in fugam vertit, & Cives illarum in ſua fidelitate & obedientia ſolidavit; & rediens a Vitale Epiſcopo Veglen. & Maio Epiſcopo Arbe & Martino Epiſcopo Arbonis. & Martino Epiſcopo Auſerens. & ab univerſo Clero, Prioribus, & populo dictarum Inſularum de tributo ſibi, & ſucceſſoribus ſuis annuatim in perpetuum ſolvendo ſponſionem ſuſcepit.*

Hæc Dandulus, Sabellicus, & reliqui fere eadem, ſed pro Creſimiro, Mucimirum; quem & Hereſimum dictum, ponunt. De tributo autem Othoni Duci pacto extat in ſanctuario Eccleſiæ Cathedralis Arben. ejuſdem obligatio.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, anno ab Incarnatione ejusdem 1018. *menſe Iulio Indictione prima in Civitate Arbes. Spondentes ſpondemus, promittentes, promittimus, nos quidem Maius Epiſcopus dictæ Civitatis Arbes, ſimul cum Tribuno Trium Bellata Priore noſtro, una pariter cum Clero, & populo habitante in Civitate ſupradicta, cum ſucceſſoribus, ſeu hæredibus, ac prohæredibus noſtris, vobis D. Othoni ſeniori noſtro Duci Venetorum, & Dalmaticorum, & ſucceſſoribus veſtris Tributum dare omni anno libras de ſeta ſerica decem, & noſtrum miſſum in Nativitate D. N. I. Chriſti, & ſi vobis veſtrum miſſum tranſmittere placuerit, nequaquam ſupradictum tributum contradicere debeamus, per nullum ingenium. Hæc autem ut ſupra leguntur, omnia adimplere promittimus, ſine omni intermiſſione, aut aliquo interpoſito capitulo. Si autem per quodvis ingenium non adimpleverimus omnia, ſicut ſuperius legitur in conſtituto tempore, tunc promittimus cum hæredibus & ſucceſſoribus noſtris vobis, & veſtris ſucceſſoribus auri obrizi libras quinque, & hæc promiſſionis cartula perpetualiter maneat in ſua firmitate. Ego Majus Epiſcopus manu mea ſcripſi.*

Ego Bellata Prior hæc rogavi fieri.
Ego Io. Archipr ſbyter m. m. ſcripſi.
Ego Petrus Luccani m. m. ſcripſi.
Ego Marcus Diac. m. m. s.
Ego Nicephorus hæc rogatus feci.
Ego Lampridius h. r. f.
Ego Fuſcus h. r. f.

Ego

Ego Donus h. r. f.
Ego Martinus h. r. f.
Ego Sergius h. r. f.
Ego Iohannes h. r. f.
Ego Dabro h. r. f.
Ego Muzlo h. r. f.
Ego Petrus h. r. f.
Ego Petrus Diac. rogatus a Clero, & populo conscripsi, atque complevi.

Ex quo Othonem Ducem Venetorum Dalmatiæ titulum continuasse, & Cresimirum in Regno Croatiæ successisse concludendum est, quod deinceps inter ejus filios divisum fuit, ut Cedrenus refert.

Actum hoc Indictione secunda anno mundi 6527.

1019. *Subacta Bulgaria, Imperatori se dedidit conterminа Chrobatorum gens, & ejus Principes fratres duo, quibus Imperator honores, ac opes amplas tribuit, solus adhuc Imperium detrectabat Sermo Sermii Dominus, Neslongi frater. Ad hunc Constantinus Diogenes, finitimæ Provinciæ Præfectus, Legatum mittit, interposito Iurejurando, affirmans cupere se ipsum convenire, ac de rebus necessariis colloqui, quod si ipse insidias vereretur subesse, tribus tantum famulis stipatum sc. ad Ripam profluentis ibi amnis accessurum, idem ipse quoque faceret, obtemperat Sermo, atque hoc modo, cum Diogene congreditur. ibi cum jam collocuturi essent, Diogenes pugionem quem in sinu abditum gestabat, subito in latus Sermionis adigit, eumque interfecit; famuli fuga elabuntur, Diogenes vicinis excercitibus contractis, valida cum manu ad Sermium proficiscitur, viduæque exterritæ, magnis insuper pollicitationibus persuadet, ut se Sirmiumque Imperatori traderet. Ea Byzantium missa, ibi primario cuidam Civium matrimonio copulata est. Diogenes recens captæ ditioni Præfectus est* hoc modo Croatiam inter Banos divisam, Orientale Imperium recognovisse constat, & continuasse sub Constantino fratre Basilii, dicti Bulgaroctoni, nam idem refert Cedrenus. *Itaque Constantinus Sirmii Diogenem Præfectum Bulgariæ Ducem creat* (scilicet contra Patzinacas) ex quibus, illam partem Croatiæ, quæ inter Savum, & Dravum flumina sita, Interamnensis dici potest, Præfecto Imperiali paruisse constat; ita reliquam quoque usque ad mare ex Anonimo Barensi & Lupo Protospata, qui iisdem verbis referunt 1024. *Indictione 7. Barchavit Bugiano in Crobatia cum Barenses & comprehen. ipsam Patricissa Vxor Cosmici, & adduxit illam in Bari, misitque illam cum filio suo Constantinop.* Ex quibus, quamvis corrupto sermone scriptis, Iurisdictio græcorum in Croatia maritima apparet, eandemque Principibus, sive Banis Croatorum, Imperium recognoscentibus, paruisse, de quibus in Privilegiis Cresimiri fit mentio, dicendum videtur, scilicet *Pribinna, Godemir, Suetoslaus Goislau, Varda, Bozetare, Stephanus, & Prasca*, quos sicuti, non eodem tempore simul, ita ante Cresimiri Petri Regnum fuisse constat; Et

Principissam uxorem.

quamvis Sermonis, & Nestongi ejus fratris nomina, quos Cedrenus memorat, cum supra nominatis non conveniant: tamen quia Græci Slava nomina sæpe vel mutarunt, vel alia iisdem addiderunt (ut de Cresimiro, dicto Petro & Zuonimiro, dicto Demetrio; ex eorum privilegiis, & de Serviæ Principe Boisthlabo ex Cedreno constat) quos eosdem fuisse argui potest quorum Banorum aliquæ memoriæ reperiuntur, scilicet Godemiri 1029. *Indictione 12. Imperante D. Romano Augusto, Andrea Venerabili Episcopo Iadertinæ Civitatis, testamentum, sive Cartula donationis facta mon. Sancti Chrysogoni Iadrensis per Elenizam Sororem Godemiri Bani.* *ex Arch. S. Chris.*

De Stephano quoque Bano in eodem Archivo S. Chrysog. antiquum transumptum reperitur, quod quamvis mendosum appareat præsertim in numero Indictionis mil. 1018. quod cum annis Monomachi qui 1042. imperare cœpit, congruere non potest, tamen quia temporum mores & supellectile tunc in Ecclesiis usitatum exprimit ponendum est prout stat. *In nomine Domini Nostri Iesu Christi Ego S. Banus fabricavi istam Ecclesiam ad honorem S. Nicolai Confessoris Christi, & S. Petri Apostoli, & S. Stephani Pont. & B. Dimitri mart. & Magni Ghrysogoni mart. nec non & B. B Genitricis Mariæ, atque omnium Sanctorum Christi, cum Conjuge mea Maria fabricavi eam sub temporibus B. Constantini Monomachi. Ego denique S. Banus Imperialis Protospatarius complevi hæc omnia intrante anno Domini mil. octavo decimo Indictione XXII. Incipiente anno X. de propria mea facultate laboravi eam, & dedi in eam XV. panno de serico & una Cortina de serico V. planetas de serico, & IIII. paria de bracilo, & IIII. manipulos, IIII. stolas VI. Camiso, IIII. amictos, IIII. cingulos, unam cupam, unum cocleare, I. fistula de argento III. Cruces, unam de argento, filacteria IIII. de auro, & III. de argento, unam capsam, & I. turibulum, & II. Calices de argento III. libros missales, I. passionario, III. Omeliæ, Smaragdum unum, duo antiphonaria, II. manicale, psalterium III. Imnacia II. brebiarium unum, duos cereslata, I. sellam, I. pario de bracili, III. facinegia. Dedi etiam unam curtem, quæ cognominatur Insula cum Ecclesia S. Pet. & cum VI. servos, & IIII. ancillas, & alia Curte, quæ vocatur nova sella, cum duodecim familia, & tertia Curte, quæ dicitur Butinaviso cumocto familias, dedi XX. jumenta, cum II. equos, & XXX. Vaccas, & CCCC. pecora, & XXXII. porcos, posui III. Campanas, quæ sunt apretiatæ I. libram de auro. Hæc omnia, & cum ipsa Ecclesia trado in potestate D. meo patri Spirituali Trasoni Abbati, ut si in perpetuum Cella sancti Chrysogoni, cujus sacratissima membra Iadræ retinentur. Et si quis (quod absit) ausus fuerit subtrahere ex meis, vel extraneis moriat de Ramato, & habeat semen super terram, & persolvat auri libras XXX. Insuper iratum habeat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & maledictionem a C.C.C.X. & VIII. Patres, & in novissimo Maranatha cum Diabolo, & ejus tetris Angelis, ac Iuda*

Scariothe in Inferno numeretur, & hac Cartula volumus, ut in ſua maneat firmitate.

Et Ego Marco Iudigo Epiſcopus Croatenſis collaudo, confirmo, corroboro, atque concedo.

Ex quo Stephanum Banum Protoſpatarii Imperialis titulo decoratum Amicum Imperii Orientalis arguitur.

Hæc de Regibus, & Banis Croatiæ ante Creſimiri Petri Regnum colligi potuerunt.

CAPVT IX.

De titulo Regni Dalmatiæ, & Regno Creſimiri Petri.

DAlmatiam Imperii Orientalis Provinciam per Duces & Præfectos rectam, ſuperiori libro relatum eſt. Hos eoſdem Magiſtratus continuaſſe, ex ſerie rerum expoſitarum patet, quos ſicuti Græco¦ vocabulo Stratigos nuncupatos Porphirogenitus memorat, ita antiquo quoque Romano Proconſules dicti memoriæ quædam reperiuntur, quas non erit inutile indicare. *In Chriſti nomine & ejusdem Incarnationis anno 986. Ind. 24. ſub die fere 18. menſis Decembris, Imperatoribus DD. Piiſſimis, & perpetuis Auguſtis Vaſilio & Conſtantino a Deo coronati magni Imperatores, apud Civitatem Iaderæ Cathedra Pontificali ſub Regimine Anaſtaſii Epiſcopi. Igitur ego quidem Majus Prior ſupradictæ Civitatis atque Proconſul Dalmatiarum* dedita Venetis Dalmatia, Ducibusque eorum titulo ejus utentibus, an aliquis Magiſtratus Imperialis in eadem fuerit (cum illorum temporum Scripturæ non reperiantur Iadræ, ubi Præfecti, reſidere ſolebant) incertum eſt, ſed cum conſentientibus Impp. Dalmatiæ protectionem Ducem ſuſcepiſſe, Veneti ſcribant, ejuſque titulo Petrum, & Othonem Vrſeolos uſos conſtet, veroſimile eſt nullos Græcorum Magiſtratus in Dalmatia fuiſſe, Civitates tamen ſingulas, proprio ſibi, more & titulo ſolito, elegiſſe, innui debet ex relata ſcriptura Spalati anni 1000. tempore Petri Vrſeoli Ducis, in qua Florinus Princeps ſive Prior Spalati, & Cliſſi nominatur, & alia Arben. 1018. tempore Othonis in qua *Trum*, id eſt Tribunus Bellata Prior nominatur, cujus Ducis Othonis tempore, Baſilius Imperator Bulgaros ſubegit, & Croatos in deditionem accepit, ut ex Cedreno ſupra relatum eſt, qua acceſſione terreſtres vires Imperii in Illyrico auctæ fuere, ſed ſicuti, quid tunc de Dalmatia evenerit, nulla memoria reperitur, ita Othonem Ducem ejus titulum, & ſuperioritatem ſervaſſe argui debet, cum Imperio, Principibus Croatorum, & Regi Vngariæ affinitate vinctus fuerit, quam ob cauſam forſan Civibus ſuſpicionem præbuit, & a Dominico Flabanico conjuratione orta, depoſitus, & Conſtantinop. relegatus fuit, ut Veneti concordes ſcribunt: qui autem Magiſtratus in Dalmatia, tempore Petri Centranici, Othonis ſucceſſoris rexerint, nulla memoria reperitur: at ipſo ejecto, & in Græciam relegato, Dominicus Flabanicus electus, Ducatui decem annis præfuit, cujus tempore magiſtratuum Imperialium in Dalmatia memoriæ reperiuntur 1033. *Indictione prima die 5. Iulii Regnante Romano Auguſto Iaderæ regente Cathedram Pontificatus Andrea Venerabili Epiſcopo Priore Vrbis Domino Gregorio, & Proconſule.*

1036. *Indictione quarta die 13. Feb. Romani Imperii dignitatem gubernante Sereniſſimo Michaele, Gregorio Protoſpatario, & Stratico Vniverſæ Dalmatiæ.*

1036. *Indictione quarta Michaele glorioſiſſimo Imperatore, in finibus Dalmatiarum honorabili Prothoſpatario & Stratico Gregorio Viro Illuſtriſſimo procurante.*

Ex quibus ſicuti Magiſtratus Imperiales in Dalmatia fuiſſe apparet, ita quoque integrum ejus Dominium ad Imperium rediiſſe argui debet, Venetosque inter ſe tumultuantes, Dalmatiæ protectionem, vel prætermiſiſſe, vel, ob auctam, acceſſione Croatiæ, Imperii potentiam, retinere non potuiſſe, & ideo, poſt Vrſeolos, uſque ad Vitalem Phaletrum, nullum Ducem, Dalmatiæ titulo uſum aliquis eorum ſcriptor memorat; at cum Cedrenus referat *Indictione XV. menſe Septembris anno Mundi 6540. Iulii menſ. 28.*

Paulo poſt Nuncii Arabes in Meſobotamia, Patcinacæ, Iſtro tranſmiſſo, Myſiam, Saracenos graſſationibus, & incendiis ora Illyrici vexanda uſque ad Corcyram perexiſſe. Ac reliqui ſane hoſtes illeſi domum redierunt, Saruceni a Raguſinis, & Nicephoro Patricio Nauplii Præfecto, Caranteni filio, male ſunt multati, prælio victi, & majorem navium partem cum amiſiſſent, domum redeuntes, naufragio in Siculo mari perierunt, neque Denetos contra Saracenos, more ſolito, Græcis auxilia præſtitiſſe memoret, hinc argui poteſt, ob Dalmatiæ titulum, denegatum, vel vetitum, Venetos ab Imperio alienatos, auxilia contra Saracenos, quamvis communes Inimicos præbere noluiſſe; ſed Michaele Paphlagone male Imperium adminiſtrante, Parzinacis Iſtrum ſæpe transmittentibus, Bulgaris, & Serviis rebellantibus, Græcorum in dies viribus decreſcentibus, eo tenuitatis devenit eorum Imperium, ut Siciliam, tunc a Saracenis occupatam, conductis etiam Northmannorum auxiliis, recuperare nequiverint, imo ob denegatum ſtipendium, ipſi rebellantes Northmannii, victis Græcis, eos Italia fere tota expulerunt, ut Cedrenus refert *quatuor tantum Vrbes in Romanorum fide permanſerunt Brunduſium, Hidrus, Tarentum, & Baris*, & quamvis Imperio ad Conſtantinum Monomacum reducto, is Maniacum Catapanum miſiſſet, qui res in Italia reparavit, tamen, ipſo quoque

D. Greg. P.P. Epiſt. l. Ep. 3 ex Arch. S. Chriſ.

Ex Arch. S. Chriſ.

1032.

1033.

a. 1026. usq. 1032

a 1032. usq. 1042

a. 1034. usq. 1041

que Maniaco rebellante, Northmanni ditiones acquisitas retinuerunt, & Turcis Orientem, Patzinacis Thraciam vexantibus, coactus fuit Imperator cum Serviæ Principe pacisci, ut idem Cedrenus refert. Hæc de Italia Cedrenus, prout etiam de Servia capite præcedenti, sed de Croatia, & Dalmatia quid tunc evenerit, nec ipse, nec quisquam, aliquid refert, præter Venetos; Scribit enim Dandulus Petri Centranici Ducis tempore.

in Annal. *Andreas igitur Hungariæ Rex Dalmatinos continuo inquietans, aliquos tandem ad deditionem coegit.* Item Dominici Contareni Ducis. *Hoc tempore Salomon Rex Ungariæ terrestria loca Dalmatiæ inquietans, Iadratinos qui promissam Duci fidelitatem hucusque servaverant, ad rebellionem induxit; Postea itaque, orta discordia, inter Salomonem Regem, & fratres Zeycham, & Ladislaum, maximis Regnum conquassatur angustiis: Tunc iste Dux sui Ducatus anno 7. hostiliter egressus, quibusdam incolis confoventibus, Iadram recuperavit, similiter ex Dalmaticis aliqui Ducis præsentiam cognoscentes ad exhibendam subjectionem solitam accesserunt. Salomon Rex tandem a fratribus expellitur, Zeicha autem regnavit.* Sabellicus vero, relata ejusdem Ducis Contareni electione *Iadrenses ad Croatiorum Regulum defecerant, vel ut alii scribunt ad Salomonem Pannoniæ Regem, qua desertione audita (apparebat enim, nisi primo quoque tempore, Veneta Classis in Dalmatiam processisset, fore ut non multo post reliqui populi, qui jam ad defectionem spectare dicebantur, Veneto alienarentur Imperio) confestim Dux ingenti vi navium in Dalmatiam transmisit, Iaderam obsidione cingit; cinctam operibus expugnat. Iadrensis expugnationis fama peropportuna fuit ad cæteras Vrbes in fide continendas*, quæ de Regibus Vngariæ refert Dandulus ea temporibus congruere non possunt, nam Andreas regnare cœpit anno 1043. ob id non Ducis Centranici tempore, sed Contareni fuit; Salomon vero anno 1066. quod in 24. non septimum Contareni Ducatus annum cadit, at cum tunc Vngarici Regni fines usque ad Dalmatiam non extenderentur (inter media Croatia universa) Vngaros aliquid egisse affirmari non potest, neque Vngarici Scriptores usque ad Sanctum Ladislavum aliquid Vngaros in Dalmatia egisse memorant; quæ autem Sabellicus, & ab eo reliqui ad Croatiæ Regulum Iadrenses defeciisse referunt, hoc idem Chronista Venetus antiquus scribit, anno 1050. evenisse, & sicut Cresimirum Petrum tunc fuisse Regem Croatorum conjici potest, ita cum Venetis aliquam Controversiam habuisse argui debet, sed quamvis aliqui Veneti Chronistæ Rectorem quoque Venetum tunc Iadra expulsum, & post ejusdem recuperationem ibidem alium missum nominent; tamen circa eadem tempora anteriorum, & posteriorum magistratuum Iadræ nomina diversa a relatis a Venetis Scriptoribus, titulo solito Prioratus, reperiuntur; at sicuti post Vrseolos usque ad vitalem Phaletrum, Venetorum Duces titulo Dalmatico usos, nemo memorat, ita an tunc aliquam Iurisdictionem in Iadra habuerint Veneti ambigi potest; Sed etiamsi nullum Ius in Dalmaticis Civitatibus habuerint, dominium tamen maris Dalmatici, seu Adriatici sine controversia possedisse constat, ex quo Iadrenses, & reliquos Dalmatas Venetis obnoxios fuisse, imo ipsos etiam Croatos maritimos necesse est, hacque de causa aliquam controversiam inter Venetos, & Iadrenses, vel potius inter Iadrenses, & Regem Cresimirum intercessisse suspicari potest, eo quia Iadrensibus magis conducebat cum Venetis, maris Dominis, convenire, quam cum Croatis, parvæ ipsorum terrestri ditioni levem molestiam inferre volentibus, sed cum reperiatur privilegium Cresimiri concessum Ecclesiæ Monialium S. Mariæ de Iadra, titulo Regis Croatorum, & Dalmatinorum anno 1052. & infra apparebit titulo Dalmatico de Insulis disponere voluisse: Si quis diceret, hac de causa Venetos Maris Dominos irritasse, & inde contentionem inter Venetos, & Regem ortam, forsan a veritate non aberraret, cum tamen hæc secuta sint iis temporibus, quæ Scriptoribus carent, & scripturæ raræ reperiantur, ea indefinita relinquere non pigebit: sed utcumque hæc controversia finem habuit, cum imperante eodem Monomaco, Dominicum Contarenum Ducem Patricii, & Imperialis Archispati titulo insignitum reperiatur, ex hoc Venetos Amicos Imperii effectos dicendum videtur, & Græcos, auxiliorum indigos, Venetos Adriatici Dominos, sibi conciliare studuisse argui debet. Cresimirus Petrus primus reperitur Privilegia concessisse, titulo Regis Croatorum, & Dalmatinorum, vel Dalmatiæ, & Croatiæ anno 1052. sed quando regnare cœperit, & a quo Regni titulum, Dalmatiæque accessionem consequutus sit non constat, at cum ejus Regnum, in ea tempora inciderit, quæ Baronius deplorans ait: *Apud Græcos, sive Latinos Historicos, quorum de rebus Orientalibus brevis tantum, & inops narratio scripta legitur, siquid aliunde afferre posse contigerit magnum ad ipsarum notitiam in tanta obscuritate res ipsæ accipient incrementum.* anno 1073.

Ideo si exilia erunt, quæ ex monumentis Dalmaticis proferentur, spernenda non sunt, ut in hac rerum obscuritate aliqua lux adhiberi possit, ex qua status Regni Dalmatiæ, & Croatiæ adumbrari saltem queat. Regnum Croatorum inter Banos divisum fuisse usque ad Cresimirum Petrum ex relatis constat, quod quomodo in ipsum coaluerit non apparet, at cum idem in privilegio suprapositio 1069. testetur. *Igitur*

quia Deus omnipotens terra marique noſtrum prolongavit Regnum, prolongatio Regni terreſtris intelligenda videtur de partibus Croatiæ citra & ultra Savum poſitis, & in plures Banos diviſis, ut ſupra dictum eſt; Maritima autem, de Dalmatiæ acceſſione omnino intelligi debet, ſed cum hæc adeo exilia ſint, ut quomodo evenire potuerint abſque conjecturis percipi non poſſint, hæc ex vicinarum Regionun ſtatu elicienda ſunt, & referenda ea, quæ de Principibus Serviæ pluribus in locis refert Cedrenus: *(Michaele Paphlagone imperante) Serbia, quæ morte Romani Imperatoris jugum excuſſerat, rurſus Imperio conjuncta eſt. Princeps Serborum Stephanus qui & Boisthlabus, is paulo ante ex Vrbe profugerat, & Serbiam occupaverat, pulſo inde Theophilo*
1042. *Erotico (Conſtantino Monomaco Imperante Ind. XI.) cum Stephanus, qui & Boisthlabus fuga, ut ante docuimus, elapſus, Illyricos occupaſſet montes, ac Tribalos, & Servios, indeque viciniam Romanis ſubditam populationibus vexaret (relatis Turcarum in Oriente incurſionibus) Hoc ipſo tempore Michaelas Stephani filius, qui, poſt Patris mortem, Tribalorum ac Serborum Principatum tenebat, cum Imperatore fœdus icit, Protoſpatariique decoratus honore, in Album ſociorum ac Amicorum Imperii Roman. abſcribitur.* Sic Servia, ab Imperio vulaſa, Principem proprium ſocium & Amicum Imperii ſortita eſt. De Croatia autem multo magis eadem eveniſſe conjectandum eſt, nam ſicuti Sirmienſem Præfecturam Croatiæ Interamnenſis Diog. Præfecto Imperiali Tauruni, ſive Albæ Græcæ gubernandam traditam a Baſilio Bulgaroctono, & ſub Conſtantino ejus fratre continuatam ſupra traditum eſt, ita, cum amplius apud Græcos Sirmienſis Præfecturæ memoria non reperiatur, eam tunc in hac Serviæ tumultuatione per ſe, vel ipſis etiam Serviis auxiliantibus, vel conniventibus alicui, ex Banis Croatiæ ſe ſubdidiſſe, & deinde eandem Creſimirum *terra prolongando Regnum* in ſuam poteſtatem cum reliqua Croatia redegiſſe conjectari debet; & ſicuti Dircislavum, Scripturæ, & Hiſtorici Veneti relati, Regem Croatorum fuiſſe memorant, ita deinceps, diviſo Regno inter fratres, & Græcis tradito, Croatiam nomen Regium quoque amiſiſſe concludi debet, ſed partibus ejusdem iterum in unum coaleſcentibus, Regium titulum reaſſumpſiſſe, prout de Creſimiro, Avo Creſimiri Petri, tempore Othonis Vrſeoli Ducis Venetorum, ex eorundem Hiſtoricis annotatum eſt; Creſimirus Petrus ergo integrum Regnum conſecutus, Regium titulum non ſolum Croatiæ aſſumpſit, ſed etiam Dalmatiæ addidit, & Patrem, Avum, & Proavum regio nomine in privilegiis proſecutus eſt, quod Græci ob eorum imbecillitatem diſſimularunt: nam ſicuti Monamacus Imperator dedignatus non eſt Serviæ Principem ex ſubdito ſocium declarare, multo magis de Croatia remotiori ſub dominio unius Regis coaleſcente egiſſe conjectari debet, & ſicuti Stephanum Banum, ſive Ducem, ejus partis Croatiæ, quæ Iadræ proxima eſt, titulo Imperialis Protoſpatarii decoratum conſtat, ita Græcos auxiliorum indigos, ſicuti olim Venetorum Ducibus Dalmatiam titulo Ducatus conſenſerant, tunc Regi Croatorum titulo regio permiſiſſe conjectari debet, ſed ſicuti Creſimirum titulo Regni Dalmatiæ ex ejuſdem privilegiis multoties uſum conſtat; Ita quam Iurisdictionem in Dalmaticis Civitatibus habuerit nulla memoria reperitur.

Ad deteriora deinde Imperio prolabente Northmanni Sicilia Saracenis erepta, reliqua Italiæ loca aggreſſi ſunt, ut Curopalata tradit; narranſque quomodo Robertus, imperante Iſaacio, Rhegium Metropolim, ſedemque Ducum ceperit ſubdit. *Adhuc enim a Romanis erant Baris, Idrus, Callipolis, Tarentum, Brunduſium, & Horæ, & alia oppidula multa, & omnino tota regio. Interea vero declaratus Dux Italiæ Perenus fuit. Cum vero non potuiſſet in Longobardiam copias traiicere propter Ruberti potentiam, Dyrrachii manſit, Dux Dyrrachii appellatus, Nicephorus autem Carantinus excurſiones faciente Ruberto, & infinitis malis Italiam vexante, timebat quidem, verumtamen ab Imperatore auxilium expectabat; omnes igitur Illyricæ Vrbes ad eum ſe applicuerant, & præſidia acceperunt, quoſdam vero præſidia recuſantes, ſtipendiarios fecere.*

Perenus igitur in Dyrchachio manſit, Imperium vero inteſtina mala opprimebant, & Orientem Turci vexabant, iis malis quæ quotidie aucta, nulla ex parte remittebantur; mortuo autem Duce Conſtantino Imperatore, cum Regina Eudoxia ad breve tempus Imperium obtinuiſſet, ad Diogenem ſceptra pervenere. ex quibus apparet, Græcorum imbecillitas, ſimulque potentia Northmannorum, qui tunc Oras, Brunduſium, Tarentum, Materam capiunt, ut Lupus Protospatha memorat, quoque metu, Dyrrachio in Italiam trajicere auſi non ſunt Græci; ob id Adriatici maris accolas incurſionibus Northmannorum infeſtatos fuiſſe dicendum eſt, quod comprobatur ex antiquo Scriptore Vitæ B. Ioannis Trag. Epiſcopi, in qua crebri bellum incurſus memorantur (quos in notis ad eandem circa 1063. eveniſſe 1063.
probatur) & cum Veneti alicui parti faviſſe non memorentur, & Croati Claſſem non haberent, qua Dalmatas, & Croatiam maritimam protegerent, ideo Dalmatas Græcis ſe jungere coactos fuiſſe argui debet, Rege ipſo conſentiente, ut inferius dicetur, quod congruit cum Curopalata referente hæc eveniſſe Conſtantino Duce Imperante, Il- a 1059.
lyricasque tunc Civitates, ſcilicet Dal- uſque
matarum, & ſi quæ Croatiæ, & Mari- 1067.
timæ Narentanorum, ſe Græcis applicaſſe, & Dalmatas ſolita navium auxi-

lia

lia pro communi defensione præbuisse, & præsidia voluntaria metu Northmannorum recepisse, & si *quæ recusarum stipendiariæ factæ sunt.* Sic Græci propriam imbecillitatem, Dalmaticis auxilii fulcientes, cum loca sibi reliqua Italiæ a Northmannorum molestiis liberare non possent, saltem ne Dalmatiam, Adriaticumque occuparent, impedire conati sunt, Dalmatia vero ad Imperium reversa, Magistratus quoque Imperiales sortita est eorumque memoria reperitur. 1067. *Regnante D. Constantino Duce magno imperatore, Prioratum vero Iadræ retinente D. Leone Imperiali Prothospatario, & totius Dalmatiæ Catipano.* Quem magistratum, consentiente Rege Cresimiro resedisse dicendum est, cum in suprascripto ejus Privilegio 1069. dato in suo Nonen. Cœnaculo, post Aulicos Regis nominatur idem *D Leo Imperialis Prothospatarius, ac totius Dalmatiæ Catipanus Testis.* nec enim ad præsentiam Regis, & ejus Aulæ interfuisset, nisi Amicus esset, neque Prothospatarii, & Capitani Dalmatiæ titulo in Privilegio Regis Dalmatiæ nominatus fuisset, nisi consentiente Rege Ex quo Regi cum Imperio conventionem aliquam interveniisse dicendum est, & sicuti Græcos, ob imbecillitatem virium, eidem titulum Dalmatiæ permisisse facile suaderi potest, ita Regem viribus maritimis carentem, quibus Dalmatiam defendere posset, antiqui tantum Tributi solutione (quod sub Venetorum protectione solvi desierat) nominisque Dalmatici titulo contentum conjici debet, quod ex sequentibus clarius patebit.

ex Arch. S. Chris.

Michaele Parapinace Imperante Græcos a Northmannis Italia pulsos Curopalata tradit: *Michaele vero cum Imperium negligenter, ac pueriliter administraretur (Northmanni) ut stabiles Domini, a mari, usque ad mare, & Longobardiam, & Calabriam, sibi subegere, eaque distributa, & oppidis divisis, se Comites, Rubertum vero Ducem appellarunt, Michael autem non solum non retinuit Regionem, quæ ad se pertinebat, sed ut ipsos Turcos ex oriente expelleret, existimavit sibi faciendum esse, ut cum ipsis fœdus percuteret, & ipsorum ope, ac Societate Turcorum temerarium in Romanorum Regionem adventum, coerceret, quare etiam affinitatem cum Ruberto contraxit, suamque filiam Elenam despondet suo filio Constantino, Volebat hac ratione Imp. finem aliquem rebus imponi.*

Sic Græci, Italia tandem pulsi, Adriaticum quoque deserere coacti fuerunt, quod simul cum Dalmatia a Northmannis tunc infestatum, & a Venetis protectum refert Dandulus. *Greg. 7 anno 20. id est 1075. In quo tempore Northmanni Dalmaticorum fines invadunt, & destruunt. Dux itaque egressus, eos abire coegit, ut ab incolis solitam fidelitatem cum promissione non adducendi Northmannos in Dalmatiam accepit,* quæ congruunt cum inscriptione Epistolæ Spalatensium a Vansovino relatæ 1075. *Vobis D. Dominico Silvio Duci Venetiæ,* 1075. *& Dalmatiæ, ac Imperiali Protophedro, & Seniori nostro.* Ex quibus Venetos Imperio Amicos, eorumque Ducem ejusdem Protophedrum Northmannorum insultus prohibere conatum Dalmatas protexisse, etsi qui cum Northmannis sentiebant ab eisdem avertisse, & uti Adriatici, sive Dalmatici maris Dominum, titulo quoque Dalmatiæ a Spalatensibus recognitum constat eodem anno quo Croatorum Rex captus memoratur, ut infra patebit. Has autem Northmannorum molestias anno sequenti cessasse ob affinitatem inter eosdem, & Imperatorem contractam, de qua Curopalata loco relato, & Lupus Protospata. 1076. *& dedit prædictus Dux filiam suam Nurum ad Imperatorem Constant.* censendum est. Eodem Imperante Michaele Croatos; vel Servos Imperium vexasse scribunt Curopalates *Ind. 11. Servorum gens* 1074. *quos etiam Carvatas vocant exiit, ut Bulgariam in servitutem redactura.* Zonaras vero *Tertio porro anno Imperii (Parapinacis) gens* 1074. *Crobatorum, quos nonnulli Servios vocant, Bulgariam occupare aggressa est, ac quædam loca cepit, sed multis præliis factis, multis utrinque cæsis, tum iis excidit, quæ tenuerat, tum devicta, & Romana ditione expulsa, in suas sedes redire coacta est.* An autem hi fuerint Servii, vel Crovati dubium, sed potius Curopalatæ defferendum, a quo Zonaram multa suscepisse constat, & Crovatas in Dalmat. Græcis tunc subdita nihil egisse reperitur, ideo potius Servios fuisse, cum Curopalata dicendum, qui Bulgariam inquietarunt, & sæpe deinde idem effecere. Cresimiro Regnante nominatur Goizo Banus in Privilegio 1059. supra relato, qui quisnam fuerit non reperitur; nominantur etiam in Privilegio 1066. 25. Decembr. dato Sibenici *Dux Noster Stephanus,* quem primogenitum fuisse Cresimiri, Avi nomen habentem ad Regni successionem destinatum conjectari potest, quum eodem titulo postea Reges Vngariæ primogenitos suos insignire solerent, ut infra referetur.

CAPUT X.

De Regibus Slavizo, & Zuonimiro.

POst Creſimirum Slavici Regis memoria reperit. Nam in antiquo regiſtro Capituli Spalaten. in quo multa ad terras Eccleſiæ Metropolitanæ ſpectantia collecta ſunt, leguntur inter cætera ſequentia.

Attigit eo tempore venire in noſtris partibus Slavizo Rex, & Petrus Banus, nec non & Sardubba cauſa diſcordiæ, quæ erat inter Slavizo, & Lubomiro ... vocaverunt nos Tugarani in Eccleſia Sancti Petri, quæ ſita eſt in Olmiſi, ſcilicet coram Slavizo, nec non Petro, & Sarubba altercantes ... Poſtea venit Slavix Rex, & corroboraverat prædictas terras Petro Banno, & Sarubba Iupano, & Velcano Setnico.

Ibidem Slaviz ante eoſdem Teſtes, ſicut partem fratris ſui affirmavit, ſic ſuam partem, quam ibi habebat in eadem Eccleſia pro remedio animæ ſuæ, nec non ſui fratris perpetualiter contulit ... Poſt hæc vero Suinim. Rex. Ex quibus Slavizum Regem inter Creſimirum, & Zuonimirum ponendum conſtat; ſed ſicuti Creſimirum uſque ad 1073. regnaſſe apparet ex regiſtro Monialium S. Mariæ Iadren. *In nomine D. N. I. Ch. & ejusdem incarnat. 1073. Regnante Creſimero Croatiæ Bano Suinimiro,* ita quando mortuus ſit non conſtat: & Regem Croatiæ captum reperiatur. *In anno 1075. ab Incarnat. D. N. I. Chr. menſe Novembris, & tempeſtate, qua Comes Amicus Regem Croatiæ cepit,* at cum eodem anno Zuonimirum Regem nominet ſcriptura ejusdem Archivii, hanc Regis captivitatem de Slavizo intelligendum argui poteſt, Slavizumque Zuonimiro in Privilegio Creſimiri ſupra relato Bano vocato, & ob id ad ſucceſſionem Regni deſtinato, Regnum præripuiſſe, ſibique Petrum Banum deſtinaſſe; Inde turbas tunc in Regno Croatiæ extitiſſe dicendum eſt, ut infra conſiderabitur, Zuonimirus autem an filius Creſimiri fuerit, cum nullibi in ſuis privilegiis patrem nominet, incertum eſt, & ſicuti pro Rege Slavorum anno 1075. jam habitum apparet, ita Coronam, & inveſtituram Regni Croatorum, & Dalmatinorum anno 1076. in Synodo a Summi Pont. Legato ſolemniter ſuſcepiſſe conſtat, ut Baronius refert. *ex Tab. XI. Annalium Baronii A. 1076. Greg. P. P. VII. anno 4. Ex Synodo habita in Dalmatia a legatis 7. Papæ Gregorii, ſcilicet a Gebizone tunc Monaſterii S. S. Bonifacii & Alexii Abbate, nunc vero Ceſenate Epiſcopo, nec non a Folcuino Foriſempronii Epiſcopo, quæ Synodus habetur in Archivio S. Palatii Lateranenſ. in qua de Regno, & de Rege Dalmatiæ ita inter cætera legitur. In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Anno Dominicæ Incarnationis 1067. Indict. 14. menſis Octob. Ego Demetrius, qui & Suinimir nuncupor D. G. Croatiæ, Dalmatiæque Dux a te Domino Gebizone ex Apoſtolicæ ſedis legatione D. N. PP. Gregorii poteſtatem obtinente in Salonitana Baſilica S. Petri Synodali, & concordi totius Cleri & populi electione de Croatorum, Dalmatinorumque Regni regimine per Vexillum, Enſem, ſceptrum, & coronam inveſtitus, atque conſtitutus Rex, tibi devoveo, ſpondeo, & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi ſua Reverenda injungit Sanctitas, videlicet, ut in omnibus, & per omnia Apoſtolicæ ſedi fidem obſervem, & quidquid hic in Regno, tam Apoſtolica ſedes, quam ſui Legati ſanxerunt, aut ſanxerint irrevocabiliter cuſtodiam, juſtitiam excolam, Eccleſias defendam, primitiæ, Decimæ, omniumque ad Eccleſiam pertinentium Procurator exiſtam, vitæ Epiſcoporum Presbyt. Diac. Subdiaconorumque, ut caſte, & regulariter vivant, provideam pauperes, viduas, atque pupillos protegam, parentelæ illicitam copulam deſtruens, legitimam dotem annulo, Sacerdotisque benedictione conſtitutam, & conſtitutam corrumpi non permittam, hominum venditionem contradicam, atque in omnibus, quæ ad reſtitutionis ſtatum congruunt, Deo auctore, me æquum exhibeam, ducentorum quoque Bizantiorum tributum meorum omnium conſultu primatum S. Petro per ſingulos annos in Reſurrectione Domini de mihi conceſſo Regno perſolvendos ſtatuo, & ut poſt me regnaturi, hoc idem perpetuo, ſervent cenſeo, corroboro, atque ſancio, Dono inſuper, concedo, atque confirmo Apoſtolicæ Sedi S. Gregorii Monaſterium, cui Vrana eſt vocabulum cum omni ſuo Theſauro, ſcilicet cum capta argentea reliquias ſacri Corporis ejusdem B. Gregorii continente, cum duabus Crucibus, cum Calice, & patena, cum duabus Coronis aureis gemmis, ornatis, cum Evangeliorum textu de argento, cumque omnibus ſuis mobilibus, & immobilibus bonis, ut S. Petri legatis ſemper ſit ad Hoſpitium, & omnino in poteſtate eorum. Hoc tamen interpoſito tenore, ut nulli alii poteſtati detur, ſed omni tempore S. Petri ſit proprium, & a me, meisque ſucceſſoribus defenſum, atque ab omni homine liberum & ſecurum. Cujuſcunque autem audacia temerario auſu præfatum Monaſterium ei aſſignato Theſauro privaverit, terribilem illam Iudicis vocem, quam Diabolus cum ſuis Angelis auditurus eſt audiat.*

Præterea cum Deo ſervire, regnare eſt vice B. Petri, & D. N. P. P. Gregor. atque poſt ſe ſucceſſorum in Apoſtolica ſede, me ſuis manibus committo, & commendo, hanc fidelitatem ſacramento ſtabilio. Ego inquam Demetrius, qui, & Suinmur D. G. & Apoſtolicæ ſedis dono Rex ab hac hora in antea S. Petro, & D. meo P. P. Greg. ſuisque ſucceſſoribus Canonice intrantibus ero fidelis, & ut ipſe ſive poſt eum futuri Pontifices, ſive Legati eorum vitam aut membra perdant, aut capiantur, neque in conſilio, neque in facto ero, & conſilium quod mihi crediderint, ad illorum damnum ſcienter nulli intimabo, Regnum autem quod mihi per manum ſuam D. Gebizo traditur, fideliter retinebo, & illud, ſuumque jus Apoſtolicæ ſedi aliquo ingenio, aliquando non ſubtraham D. meum PP. Gregorium, & ſuos ſucceſſores, atque Legatos ſi in meam poteſtatem venerint honorifice ſuſcipiam, & honeſte tractabo, & remittam, & undecumque me invitaverint, prout potero eis ſimpliciter ſerviam. Hæc Baronius ex Codice Vaticano, qui Cencius Camerarius inſcribitur.

Arch. Mon. SS. Coſm. & Dam.

Extat

Extat tamen adhuc in Archivo Capituli Spalatenſis Originalis membrana (quam ex foraminibus clauſam fuiſſe, ſigillumque ex ea pependiſſe apparet) ſupraſcriptæ donationis Zuonimiri monaſterii S. Gregorii, cui Vrana vocabulum, hodie uſque durat, fuitque deinceps Templariorum, in omnibus, cum ſupra a Baronio relatis, conveniens; ſed in Baroniana deeſt tantum inſcriptio, quæ eſt talis, ſine milleſimo. *Ego Demetrius qui & Zuinimir nuncupor, Dei providentia, Crobatiæ, Dalmatiæque Dux dono, concedo, & confirmo*, & cætera ut in Baron.

Ex qua inſcriptione Ducem Zuinimirum donationem monaſterii ante Regni inveſtituram feciſſe cenſendum eſt, quamvis Cencius, ſummatim exactis Synodi colligendo, donationem inter inveſtituram, & Iuramentum Regni inſeruerit.

Obſervandum quoque eſt ab eodem Cencio duos nominari ſummi Pontificis Legatos, in inveſtitura autem Regis ſolius Gebizonis, nomen exprimitur; Sed ambos tunc in Dalmatia fuiſſe, conſtat ex donatione facta a Preſtantio Epiſcopo Eccleſiæ S. Coſmi, & Damiani Monaſterio S. Ioannis Evangeliſtæ Belgraden. Civitatis 1076. *in præſentia ſcilicet DD. Laurentii, totius Dalmatiæ, ac Croatiæ Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & Domini Gebizonis S. S. Bonifacii, & Alexii religioſiſſimi Abbatis, una cum Fulcoino Foriſempronii Venerabili Epiſcopo Aquileiæ Sedis Apochriſariorum in vinea Iuſtitiæ Dei totis viribus miſericorditer laborantibus* eandem quoque Eccleſiam, eosdem dedicaſſe alia ejusdem anni ſcriptura teſtatur. *Monaſterio S. Ioannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, die videlicet dedicationis ejusdem Eccleſiæ, quam Viri Religioſiſſimi Dominus ſcilicet Laurentius Spalat. Archiepiſcopus, una cum Apochriſariis Romanæ ſedis Epiſcopo Fulcoino, & Gebizone Abbate SS. Bonifacii, & Alexii, nec non & Preſtantio ejuſdem Urbis Epiſcopo dedicaverunt.* Ex quibus, ſicuti ambos legatos ſimul in Dalmatia fuiſſe apparet, ita in Synodo, aliqua de cauſa Gebizonem ſolum præſentem fuiſſe argui poteſt, tuncque Curiam celebratam ſimul cum Synodo, electionemque Regis ſequutam ex verbis illis. *Concordi totius Cleri, & populi electioni* clare conſtat, illa autem verba *atque in omnibus, quæ ad reſtitutionis ſtatum congruunt Deo auctore me æquum exhibeam.*

Diſſenſiones præceſſiſſe ſignificant, & ſtatum reſtitutione indiguiſſe, veroſimile eſt, at cum tunc Michael Ducas Parapinaces imperaret in Oriente, & ſicut ſua inertia reliqua Apuliæ, & Calabriæ loca amiſerat, & cum eisdem occupatoribus Northmannis pacem, & affinitatem jungere coactus fuerat, ut Turcis in Oriente reſiſtere poſſet, ut ſupra relatum eſt; nullusque tunc Imperialis Magiſtratus in Dalmatia reperiatur, ob id Græcos Dalmatiam neglexiſſe dicendum eſt, vigentibuſque Croatorum diſſenſionibus, Dalmatas in factiones diſtractos (pro ut poſteriora exempla docent) ab eiſdem vexatos, Imperiali protectione deſtitutos, ad Venetos recurriſſe dicendum eſt, ut de Spalatenſibus ex relata eorundem Epiſtola Sanſovinus refert, ideo tunc, ſpreto Imperatore Græco, a præſente ſedis Apoſtolicæ Legato, turbarum conciliatore, titulum Regium Zuinimirum ſumpſiſſe dici poteſt.

Poſt hanc inveſtituram Zuinimirus privilegia multis Eccleſiis conceſſit; inquietatum tamen poſtea eundem Zunimirum a quodam Vuezelino, memorat idem Baronius ex Epiſtolis Gregorii Papæ VII. anno 1079. & vixiſſe usque ad annum 1087. ex ejus privilegio conceſſo Eccleſiæ S. Mariæ Monialium de Iadra dato in Teneno conſtat.

CAPVT XI.

An Zuonimirus fuerit ultimus Rex Dalm. & Croatiæ?

ULtimum Regem Croatorum, & Dalmatinorum Archidiaconus, & Ungarici Scriptores, ponunt Zuonimirum ſupraſcriptum ſine prole defunctum. Extat tamen Regis Stephani Originale Priv. in membrana, quamvis ſine milleſimo, tamen ejusdem characteris, cum ſcriptura fundationis monaſterii S. Benedicti Monialium Spalati, confecta anno 1069. difficillimæ lectionis, & multis in locis caducum, quem poſt Zuonimirum fuiſſe conſtat, quod quia hucusque latuit, & ab eo aliqua ſunt obſervanda integrum ponere placuit. † *In Chriſti nomine Stephanus ego nutu Dei Croatorum, & Dalmatinorum Rex. Hujus paginis ſeriem, vel dictaminis cauſæ cunctis noſtri Regni Comprovincialibus ad futurorum Diutne . . . gratiæ noſtræ his ſtudui ſcriptis . . . cum igitur omnipotentis Dei pietas me ſuæ Clementiæ Patrum, Avum, Proavumque ſolio in Regio omnibus Chroatiæ, & Dalmatiæ nobilibus collaudantibus exaltaverit honore, univerſa nobilitas, ſeu exigui populi manus, ac cæteri Eccleſiarum, Cenobiorumque Rectores, vel retroactis pro cauſis, & . . . . confirmatio . . . arum vel gratiæ communis noſtri Regni utilitatis ad noſtra, ut majoris, eſt cu . . . . imperantibus confluere cœperunt. Itaque mater, & Procuratrix ſanctimonialium Spalatini Cenobii S. Vid. Benedicti. M. . . . . inter hos noſtri præſentiæ, una cum quibusdam ſuis ſororibus quoddam ſchriptum, a nuper Rege defuncto Suinimiro conceſſum, ſibi hoc: ad op. ſui Cenobii de quodam territorio regali, qui in loco, qui dicitur Laſani habetur, ſecum deſferens in die Nativitatis ſanctæ Dei genetricis, & Virginis Mariæ ſe medium ſtatuit, & hoc idcirco e . . . at ut quemadmodum a memorato Rege illud donationis ſcriptum habebatur ratum,*

atque firmatum pari modo, immo meliori a noſtra Regali dignitate. Cum noſtri impreſſione ſigilli roborari, nec non perpetuo deberet firmari. Quo cognito tum illarum precibus flexi, tum noſtrorum Nobilium conſilio ſuffulti, quod poſtulaverant adimpleri illis præcipimus. Igitur memoratum territorium jam dicto in loco inconcuſſum perpetualiter, atque inviolatum ad opus præſcripti monaſterii, cui, & terras, quæ Puſtize nominantur firmamus, ita quidem, noſtrorum ſucceſſorum nullus, vel cujuslibet perſona magna, vel parva nullo modo his noſtris firmationibus, & ſigilli impreſſione contraire debeat. Quod ſi, quod abſit, aliud aliquis agere temptaverit, & prænominatam domum Dei his terris disveſtire voluerit, trinum, & unum Dominum habeat iratum, & 318. Sanctorum Patrum conſequatur maledictionem, & cum Iuda traditore in Inferno mancipetur.

Actum eſt hoc apud Caſtrum Sibenico in die præfatæ ſolemnitatis ante notitiam horum teſtimoniorum. Inprimis Laurentis Archiepiſcopi Johannis Tragurini Epiſcopi, Petri Spalatini, Archidiaconi, Presbyteri Petri Spalatini, Iacobi Morſtici, Ubomiri, Epzi, Strezigne, Berberiſtici, Viſeni, Zetinſtici, Dragoslavi, Iagorſtici, Uracina, Polſtici, Oſrina, Dridiſtici, Deſimiri, ... Colano, Epiciza, ac cæterorum noſtrorum Nobilium; Ad hæc quoque cauſa divini Amoris a parte noſtri ſibi conceſſimus perpetu: Salone molendinum, ſimiliter & ſtarea, quæ eſt propria noſtra .... teſtibus confirmantibus; quibus eis omnibus Legatum Iupanum Cenaene Iuſenum videlicet dedimus .... membrana in calce corroſa eſt ita, ut an ſigillum appreſſum fuerit cognoſci nequeat.

Hunc Stephanum fuiſſe filium Creſimiri, ſupranominatum Ducem, cui Zuinimirus aliquo caſu Regnum præripuerat argui poſſet, cum ſe patrum Avorum, & proavorum Regnum poſſidere teſtetur; ſed cum Zuinimirum nominet, fratremque non vocet, is eſſe potuit ille Radovanus, qui in Privilegio ejusdem Zuon: Regis filius nominatur, Banique titulo non inſignitur, ob id forſan illegitimus Zuonimiri filius mutato ſibi nomine, exemplo Patris, & Avi Stephanus vocari voluit, ipſeque viduam Zuonimiri inquietaſſe conjici poteſt, & ob id Ladislaum Regem Ung. ſorori auxilio adveniſſe, ut Ungarici tradunt Scriptores, & libro ſequenti referetur. Curiam, tunc Stephanus Regum more| Sibenici celebravit, tamen eam infrequentem fuiſſe ex nominatis apparet, & cum nullum aliud ejus privilegium reperiatur, neque in confirmationibus Regum Ungariæ, ejus aliqua mentio fiat, ut Zuonimiri, & Creſcimiri, imo in Decreto, anno 1188. Curia Spalat. mentionem faciens ejusdem Privil. Zuonimiri, quod Stephanus confirmavit, de Stephano ne verbum quidem poſuit, ex quibus ipſum, vel ab omnibus pro Rege non habitum, vel parum vixiſſe, dici debet; cum Laurentius Archiepiſcopus, vir magnæ prudentiæ, tunc præſens, ſi Stephanum ſine controverſia regnare exiſtimaſſet, quatuor Privilegiorum a Zuonimiro Eccleſiæ Spalat. conceſſorum, quæ extaret, confirmationem procurare non omiſiſſet, prout ſucceſſor ejus Creſcentius a Colomanno obtinuit, ut dicetur; B. Ioannem vero Epiſcopum Tragurii, an aliquid tentaverit, obſcurum eſt, nam Privilegia Regum Croatorum Eccleſiæ Trag. conceſſa perierunt, ut in notis ad vitam ejusdem B. Ioannis dictum eſt, ideo Archiepiſcopus, & ejus perpetuus Comes, B. Ioannes more illorum temporum ab Epiſcopis uſitato Sibenici, tunc in Diœceſi Trag. exiſtentis, Stephanum Curiam celebrantem adiiſſe, & ad aliquam compoſitionem, cum Regina vidua, vel proceribus Croatorum ineundam exhortatum eſſe potius conjectandum eſt, ipſumque Stephanum monialibus Privil. Zunonimiri confirmaſſe, & donationem molendini, Salonæ ultro addidiſſe, ut aliquid Regale feciſſe videretur.

Reges ſupra nominatos Croatiæ, & Dalmatiæ titulis, vel Croatorum, & Dalmatinorum uſos ex eorundem Privilegiis conſtat, at ſicuti Croati, & Servii Slavi erant, ita ab exteris, & ipſis quoque conterminis Dalmatis, ut plurimum Slavorum nomine vocabantur, ut ex ſcripturis ſuperſtitibus apparet, ita B. Petrus Damianus Creſimiri Regis contemporaneus ſcriptum reliquit, Abſarenſes Dalmatas uti Regi Slavo ſubditos, Slavonici Regni partem exiſtimatos *Epiſtolarum lib. 1. Epiſtola 9. ad Nicolaum II. Romanorum Pont. Ven. quoque Gaudentius Apſarenſis Epiſcopus, cujus ego familiaritatis dulcedinem merui, per quem Deus jam non ignobilem, miraculum fecerat, Epiſcopatum dimiſit, & de Sclavonico Regno Italiam navigans, littoribus Anconitanæ Urbis applicuit, a qua non longe poſt biennium feliciter obiit.* a. 1058. uſque 1061.

Sed paulo poſt Alexander II. Summus Pont. eidem Creſimiro ſcribens non Sclavoniæ, vel Croatiæ, & Dalmatiæ titulis, tunc uſum receptis, ſed more Curiæ Romanæ ſolito, & antiquo Dalmatiarum ſcripſit. *Cap. ſi quis a modo 116. diſt. 81. Item Alexander Venerabilibus Epiſcopis, & Regi Dalmatiarum*, quo nomine, Dalmatiarum, Croatia quoque comprehendebatur, & præter hanc etiam Servia. Ideo ſicuti Legati Gregor. VII. Zuonimiro inveſtituram partis occidentalis Dalmatiarum dantes, titulos Dalmatiæ, & Croatiæ, jam uſu receptos conceſſerunt; ita idem Pont. cum ſupra nominatum Michaelem Principem Serviæ ab Imperio Orientali avulſum Regio titulo inſignire vellet, quamvis Orientalem partem Dalmatiarum poſſideret, tamen Sclavorum Regis titulo decoravit, ut ex ejusdem Epiſtola apparet. *Greg. Papa VII. Ep. l. 5. Ep. 12. Michaeli Sclavorum Regi ſal. & Apoſtolicam benedictionem. Cognoſcat debitæ tuæ devotionis circa ſedem Apoſtolicam reverentia, Petrum apud vos dictum noſtrum Legatum adhuc noſtram non adveniſſe præſentiam: ſuas tamen miſiſſe litteras, quæ ita veſtris diſſonantes exiſtunt, quod veſtram cauſam, ſeu Raguſinæ* a. 1061. uſque 1073. 1076. 1078.

ſinæ Eccleſiæ penitus finire nequivimus, quapropter Petrum Antibaren. Epiſcopum, atque Raguſanum, ſive alios idoneos Nuncios ad Nos mittere oportet, per quos de lite, quæ inter Spaletanum Archiepiſcopum, ac Raguſanum luſtitia poſſit inquiri, ac Canonice definiri, tuique Regni honor a nobis cognoſci; Tunc vero recognita, tuæ petitioni juſte ſatisfacere, ſecundum quod cupimus, valebimus, ac in dono vexilli, & in conceſſione pallii, quaſi Chariſſimum B. P. filium dictante rectitudine audiemus. Datum Romæ 5. Idus Ianuarii Indictione prima. Summum Pontificem, ut inter duos Reges, intra Dalmatiarum antiquos fines, eodem tempore regnantes, diſcrimen aliquod poneret, cum Zuonimiro Dalmatiæ, & Croatiæ tituli, tunc uſitati, jam dati fuiſſent, Michaeli quoque itidem uſitatum Sclavorum tradidiſſe, argui debet, qui deinde in Serviam mutatus fuit, ut ſuo loco referetur.

Hæc de Dalmatiarum, ſed præſertim, de Croatiæ, & Dalmatiæ Regibus, invenire licuit, quibus enumeratis Dalmatiæ, & Croatiæ limites, qui Regum tempore fuerint, deſcribendi, vel potius conjectandi ſunt, ut dignoſcatur, quid nomine Croatiæ, & quid Dalmatiæ, tunc cenſitum fuerit, & exinde hodiernæ Dalmatiæ differentia, melius percipiatur.

CAPUT XII.

De Regni Croatiæ terminis.

CRoatiæ nomine cenſebatur, quidquid Croati in Occidentali Dalmatia, tam maritima, quam mediterranea, cap. 30. poſſidebant, ut ex Porphir. jam dictum eſt; Croatos quoque fuiſſe, qui Saviam occuparunt ex eodem, & Cedreno conſtat.

Totius ergo Croatiæ nomine, comprehendebatur Dalmatia Occidentalis, tam maritima, quam mediterranea, & Savia, quæ nunc Sclavonia nuncupatur, ita, ut Croatia diſtingui poſſit in tres Provincias, ſcilicet, maritimam, mediterraneam, & interamnenſem, ſive Saviam, has omnes uno nomine Regnum Croatorum dictas ex Archidiacono apparet. Cap. 13. *Habebant namque ex ſucceſſione ſuæ originis patrum & proavorum Dominium Regni Dalmatiæ, & Croatiæ, iſtaque fuerunt Regni eorum confinia, ab Oriente Delmina, ubi fuit Civitas Delmis, in qua eſt quædam Eccleſia, quam B. Germanus Capuanus Epiſcopus conſecravit, ſicut ſcriptum reperitur in ea. Ab Occidente Carinthia, verſus mare, uſque ad oppidum Stridonis, quod nunc eſt confinium Dalmatiæ, & Iſtriæ, ab Aquilone vero, a ripa Danubii, uſque ad mare Dalmaticum, cum tota Maronia, & Chulmiæ Ducatu.* Ad Dravum Croatorum terminum perveniſſe, infra, in S. Ladislavi, & Colomanni Regum Vngariæ rebus geſtis referetur. Has tres Regiones ſimul ſumptas Regnum Croatorum dictas antequam Duces Croatorum Regni titulum habuerint; terrasque in Croatico ſolo poſitas (de regali territorio) vocatus, ex ſupradicto Privilegio Tirpimiri conſtat; ideo tres hæ Regiones deſcribendæ ſunt.

De Sclavonia, ſive Sclavonica, inferius ſermo erit. De Dalmatia vero Occidentali parte mediterranea, etiam nunc Croatia dicta, an olim latiorem, vel arctiorem hodierna fuiſſe, dicendum ſit, illius regionis incolæ, ſi quid ſcripturarum antiquarum retinent, ſcire poſſunt.

Boſnam autem, quæ ex Oriente hodiernæ Croatiæ ſita eſt Porph. tempore Serbliæ Regionem fuiſſe apparet. *In agro vero B ſonæ Cadera, & Deſnez.* Cap. 32. Ex quo Boſnenſi Cataro, Catarum hodiernum Maritimum denominatum, tradunt Iacobus Luccari, & Maurus Orbinus; Quinam autem Occidentales fines Croatiæ fuerint, & quid Maroniæ nomine Archidiaconus intelligere voluerit, incertum.

Maritimam autem Croatiam ab Occidente Iſtria ab Oriente Chlebna ipſi incluſa terminari Porph. tradit, Archid. quoque Chlebnam Chulmiæ Ducatum nominat, ſed Dalmatiam a Croatia maritima non diſtinguit, ut Porph. id ergo præſtandum eſt, ut diſtincte cognoſcatur, quid Dalmatiæ titulo Reges Croatorum habuerint?

CAPUT XIII.

De Regni Dalmatiæ finibus.

CRoatos in Dalmatia maritima, a Cetina flumine, uſque ad Iſtriam, omnia occupaſſe, præter oppida maritima Iadra, Trag. & Spalato, quæ cum Inſulis Dalmatarum vel Romanorum nomen retinuerunt, ut Porph. tradit, & quamvis eosdem, aliquas etiam Inſulas, occupaſſe conſtet, tamen Croatos maris uſum, Dalmatis, & Venetis invitis, habere non potuiſſe, ex ſupradictis apparet: at cum harum trium Civitatum Dalmatiæ Territoria in continenti eſſent, eorum fines indagandi ſunt, ut exinde quid nomini Dalmatico in continenti relictum eſſet cognoſci poſſit.

Iadra ab Oriente Belgradum, ab Occidente Nonam Croatorum Civitates habuit, ideo ejus Territorium arctis terminis comprehenſum fuit, neque mul-

tum a Septentrione Croatiæ termini a Civitate distabant, ut ex Regum Croatorum concessionibus de prædiis, in Regali solo positis constat.

Trag. itidem Territorium arctissimum fuit, ita, ut præter colles supra Civitatem a Septentrionali plaga positos, campum, qui parvus dicitur, comprehendentes, nihil aliud in continenti possideret.

Spalatense quoque Territorium parvo spatio protensum fuisse constat, cum Insulam, sive Peninsulam ab Archidiacono Vraniam dictam, citra flumen Salonæ existentem, in Croatico solo positam, & *Duranam* vocatam ex Privilegio Cresimiri constat, ideo arctos, & incertos terminos Spalatensis Territorii Regum Croatorum tempore fuisse dicendum est. Adeo ut, præter has tres arctissimas Regiones, cætera omnia in continenti Croati possederint, quibus si addatur tributum annuum *Vini & cæterarum specierum diversarum quas præter pecuniam (Dalmatæ Croatis) exhibebant*, quam exilem proventum Dalmatæ in continenti habuerint, facile dignosci potest a quolibet locorum gnaro. Omnes autem Insulæ Occidentalis Dalmatiæ a Brachia (quæ Narentanorum) Istriam usque ad Dalmaticas Civitates pertinuere, & quamvis aliquæ earum, quæ prope Civitates Croatorum erant, ut Pagus, prope Nonam, SS. Cosmæ, & Damiani prope Belgradum, & reliquæ, quæ nunc in Territorio Sibenicensi continentur, Trag. usque a Croatis sensim occupatæ fuerint, tamen quia Dalmatæ maris usum tenebant, a Croatis sine Dalmatarum consensu habitari non poterant, multæque ob id desertæ fuere, ut Porph. refert. Has autem Insulas Croaticas in Dalmatico mari sitas, fatetur ipse Rex Cresimirus in privilegio supra citato. *Nostram propriam Insulam in nostro Dalmatico mari sitam quæ vocatur, Mauni, cui ex Orientali parte adjacet Insula, quæ in vulgari Slavonico Veru muncupatur*, quæ alias Nonenses dici debuissent, si Croatiæ adnumeratæ fuissent.

Archiv. Archiep. Spalat.

Porph. cap. 30.

Dalmatiæ ergo nomine Reges Croatiæ habuerunt omnes Insulas Occidentales Dalmatiæ, & in continenti Iadrense, Trag. & Spalatense Territoria, tunc arctissimis terminis comprehensa; reliqua vero Dalmatiæ Occidentalis, tam maritimæ quam mediterraneæ, cum Slavonia, Croatiæ titulo possederunt. Sed cum Spalatensis Archiepiscopus Primatis Dalmatiæ, totiusque Croatiæ titulo utatur, non inutile erit indagare quomodo Salonitana Ecclesia Spalatum translata fuerit, quæque Jura habuerit eo tempore, quo Dalmatia & Croatia a propriis Regibus recta fuit.

CAPUT XIV.

De Archiepiscopatu Salonitano, sive Spalatensi.

SAlonitana Ecclesia Martyrio S. Domnii Discipuli Petri Apostolorum Principis instituta fuit, ut Archidiaconus Spalat. c. 3. refert.

Primus itaque B. Paulus Apostolus, qui ab Hierusalem, usque Illyricum replevit Evangelio Christi, non tamen ipse per se intravit Illyricum prædicare, sed misit Titum discipulum suum, sicut dicit ad Timotheum. Crescens abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Hic ergo B. Titus ad Dalmatiæ partes adveniens, & verbum salutis gentibus illis prædicans, non longo illic tempore mansit: sed audiens, quod Beatus Paulus a Præside Festo jussus esset Romam pergere, statim, omissis omnibus, præveniens eum, expectavit in Vrbe, quo cum Beatus Apostolus accessisset, ibique verbum Dei diutius prædicavit. Cum autem per Spiritum Sanctum cognosceret, in eadem Vrbe suum Martyrium consummandum, de Ecclesiis Græciæ disponere curavit: quam ob rem Beatum Titum non remisit ad Dalmatias, sed ad Græciam, ubi magis erat notus, Pontificem eum constituens apud Insulam Cretam: cujus loco Beatus Petrus, Apostolorum Princeps, direxit quendam discipulum suum nomine Domnium, natione Syrum, patria Antiochenum, qui Dalmatiæ populis verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret. Hoc enim beatus Petrus statuerat, ut Pontifices Christianæ Religionis sic disponerentur per Vrbes singulas totius orbis, quemadmodum apud Gentiles fuerat antiquitus constitutum, in illis enim Vrbibus, in quibus erant gentiles Antistites, qui dicebantur Protoflamines, fecit ordinari Episcopos: in Metropoles vero Provinciarum, ubi erant Archiflamines, Archiepiscopos censuit statuendos. Vnde per oras Adriatici sinus tres direxit Pontifices: Apollinarem Ravennæ, quæ est Metropolis totius Provinciæ Æmiliæ; Marcum Evangelistam Aquileiæ, quæ præerat Venetiæ, & Istriæ, Domnium vero in Salonam direxit, quæ caput erat Dalmatiæ, & Chrovatiæ, in qua denique Civitate diutius prædicans, multosque per totam Provinciam a gentilitatis errore convertens, non parvam Christo Ecclesiam adunavit, ibique Agonem sui martyrii felici cruore peregit: ab hujus ergo præeminentia, Apostolicæ dignitatis omnes successores sui, Archiepiscopalia insignia per sedem Apostolicam sortiuntur. Hic autem cum multis aliis passus est, qui eum uno mense ad martyrii gloriam præcesserunt imita-

Epist. 2. cap. 4.

imitatione gentilium, Antiſtites Chriſtianos in primitiva Eccleſia inſtitutos,
Lib. 6. ep. 35. Gregorius ſeptimus teſtatur; ſed Archidiaconus in relatione, Flaminum ordinem invertit, nam, quos ipſe Protoflamines, vocabulo Græco, vocat, hos Primos Flamines a Romanis dictos, præter Gregorium, lapides antiqui, a
In tractatu de Primatu Lugdun. Eccleſ Petro de Marca relati, demonſtrant; cum enim in loco Primorum Flaminum non Epiſcopos, ut Archid. ſed Primates, ſeu Patriarchas ſubrogatos Gregorius referat, ideo Archidiaconum inferiore in loco Protoflamines ordine inverſo poſuiſſe, apparet, quibus Epiſcop. ſingularum Civitatum reſpondent: Archiflaminum vero memoria, ſicut apud antiquos non reperitur, ita primitiva Eccleſia Archiepiſcopos non habuit, ut ex Epiſtolis Divi Gregorii Papæ mox referendis patebit, ideo Archidiaconum, de S. Domnio ſcribentem, vocabula ſui temporis uſurpando, Croatiam quoque perperam nominaſſe, conſtat. Sed ſicuti Præſes Gentilium, vel Proconſul Provinciæ, Salonæ reſidebat, ita Metropolica quoque Iura Epiſcopum
Ep. 1. ejus habuiſſe, Zoſimus Papa Heſychio Salon. Epiſcopo ſcribens, teſtatur, &
l. 7. ep. 130. clarius Gregorius Magnus Maximo ejusdem Epiſcopo pallium mittens, viguitque quoad Salona cum cæteris Dalmatiæ Civitatibus a Slavis deſtructa fuit. Civibus deinde ejus paulo poſt Spalatum ſe reducentibus, ibidem quoque Metropolica Iura translata fuerunt, ut idem Archidiaconus refert cap. XI.

De Ioanne primo Archiepiſcopo Spalatino.

Interea Summus Pontifex miſit quendam Legatum, Ioannem nomine, patria Ravennatem, qui partes Dalmatiæ & Croatiæ peragrando, ſalutaribus monitis Chriſticolas informaret. In Eccleſia autem Salonitana a tempore ſubverſionis Præſul non fuerat ordinatus, Venerabilis ergo Ioannes cœpit Clerum & populum exhortari. Vt Archiepiſcopatum Civitatis antiquæ intra ſe inſtaurare deberent: quod illis valde gratum extitit & acceptum. Tunc coadunato Clero, ut moris erat electio in perſona prædicti Ioannis concorditer ab omnibus celebrata eſt, qui per Dominum Papam conſecratione ſuſcepta, tanquam bonus Paſtor ad proprias oves acceſſit, non animo cumulandi pecunias, cum Eccleſia tunc eſſet pauperrima: ſed charitatis ſtudio, de animarum ſalute, lucrum ſpirituale quærere ſatagebat. Ipſi conceſſum eſt a ſede Apoſtolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, obtineret Eccleſia Spalatenſis. Tunc cœpit Eccleſiam Clerumque componere, inſtare Doctrinæ, prædicationi vacare, curamque Paſtoralis officii, multum ſolicite exercere. Etenim per Dalmatiæ, & Sclavoniæ Regiones circumeundo, reſtaurabat Eccleſias, ordinabat Epiſcopos, Parochias diſponebat, & paulatim rudes populos ad informationem Catholicam attrahebat. Tunc prænominatus Severus domicilium ſuum, quod inſpalato fortitus fuerat quando de inſulis redierunt, donavit Eccleſiæ, cum Turri angulari, & Palatio, Epiſcopium ibi fieri ſtatuens. Ibique Venerabilis Præſul Ioannes primitus habitare cœpit, ita quidquid Chriſtianorum reliquum univerſæ Dalmatiæ tam in Romanorum poteſtate ſervatum eſt, quam in Slavorum ſervitutem ceſſit, ſub jurisdictione Spa- *Infra XI.*
latenſis Provinciæ manſit, ut Innocentius ſecundus, Gaudio Archiepiſcopo Spalaten. ſcribens, teſtatur, in decretis ſummorum Pontificum comperiſſe. *Præterea Epiſcopos per Dalmatiam conſtitutos ſuffraganeos, quibus Salona tempore ſuo rutilando utebatur S. Eccleſiæ Spalatinæ, ubi corpus S. Domnii diſcipuli B. Petri requieſcit cum omni reverentia obedire ſancimus, quoniam unum totius Dalmatiæ Metropolitanum in Salonitana Eccleſia fore ſcimus, juxta quod in Decretis noſtris comperimus*, animadvertendum tamen eſt, Archidiaconum Slavos ex Diocleate, Gothos, credentem Chriſtianos, ſed Arrianos præſumentem, primo legatum Croatiam peragraſſe, mox electum Archiepiſcopum per Slavoniam Epiſcopos ordinaſſe ſcripſit, ſed cum Slavi, tam Croati, quam Servii Idololatræ, multo tempore poſt occupationem Dalmatiæ, Chriſti fidem ſuſcepiſſent, ut relatum eſt, quinam Epiſcopatus in utrorumque Regionibus, & quando reſtituti fuerint, nulla memoria reperitur; Ex Epiſtolis tamen Ioannis Papæ Octavi & Privilegio Mucimiri Ducis, unicum tantum Nonen: Epiſcopum in Regno Croatorum fuiſſe, & Spalatenſem Metropolim recognoviſſe, conſtat: reliquum quoque Dalmatiæ a Serviis occupatæ, Spalatenſi Eccleſiæ paruiſſe, idem Archidiaconus refert cap. 15.

De exemptione Epiſcoporum ſuperioris Dalmatiæ. Factum eſt autem, ut illis diebus convocarentur omnes ſuffraganei Dalmatiæ ad Provincialem Synodum, quæ celebranda erat in Eccleſia Spalatenſi. Epiſcopis autem ſuperioris Dalmatiæ viſum eſt, quod commodius ſuum poſſent iter peragere, ſi omnes uno navigio ducerentur. Tunc præparata navi, ex condicto acceſſerunt ad portum, & imponentes, quæ erant navigantibus neceſſaria, omnes fere Epiſcopi eandem navem conſcenderunt: videlicet Catarienſis, Antibarenſis, Dulcinenſis, & Suacenſis. Cum autem circa Inſulas ventis impellerentur non multum adverſis, ecce ſubito tempeſtatis turbo mediis fluctibus toto ſe fragore immerſit, ſtatimque attoniti nautæ, confuſis clamoribus ad armamenta velorum, manus accurrunt opponere, annitentes vela deponere, ancoras projicere, ne navis in aſperrima loca, quæ jam erant proxima, incideret. Sed antequam poſſent quicquam conſulte agere, confeſtim navis arrepta in ſiccum, tota illisa eſt, intumeſcentibusque procellis, minutatim quaſſata eſt

& confracta; Sicque divino judicio miserabiles Episcopi, & omnes, qui cum eis erant, perierunt. Tunc Cives urbium prædictarum, missa relatione ad Summum Pontificem, nunciaverunt de naufragio Episcoporum suorum, suppliciter postulantes, eximia subjectione Ecclesiæ Spalatensis, satis probabilem, prætendentes occasionem, quia periculosum illis erat, tam remotam Ecclesiam visitare Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omnesque Episcopos a Ragusio superius absolvit a vinculo, quo tenebantur Antiquæ Metropolitanæ, statuitque novam Metropolim in Civitate Antibarensi, & omnes Episcopatus presbyteros ei subjecit. Hæc Archidiaconus de exemptione Antiparensis Ecclesiæ, sed quando id evenerit, non refert; reperitur tamen ipso antiquior Archiepiscopi Antebarens. declaratio, in qua fatetur suam Ecclesiam Spalatensis Archiepiscopi consensu, in Archiepiscopatu erectam, quæ Archidiaconi relationem confirmare videtur.

Ex Archivo Capituli Spalat.

Ven. Patri, & D. R D. G. Sanctæ Salonitanæ Ecclesiæ Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato, G. Antibarens. Minister, licet immeritus salutem cum reverentia. Ex antiquis rescriptis, & monumentis antecessorum meorum, & diversis aliis conjecturis veritatem perpendens, quod Salonitana Ecclesia totius Dalmatiæ dominatum, & primatum quondam obtinuit, & quod Diocletana Ecclesia, cujus vicem Antibarens. Ecclesia in se recto transtulit consilio in Metropoli, prædictæ Salonitanæ Ecclesiæ consensu, se ordinavit reverentia suæ matrici servata; satis, & satis, mecum reputans, tam gravissimum excessum, potius cum honore fore sepeliendum, quam quod, ut ad consequentiam, & exemplum traheretur, ut illa nobilis Ecclesia tam nitidissimis monumentis decorata, diutius in tantum sua privaretur nobilitate, hinc enim quoque curiosius permansi, volens debitam decenter reverentiam Dominæ meæ firmiter exhibere, nuncium certum hoc agendi per me non tamen inveniens, laudem Dominus noster verus, qui pia gubernatione quemlibet amplectitur, fidelissimos nuntios vestros Mag. F. & R. qui supra certa servitia vestra tractare procurant mihi multa volventi dirigere destinavit, quorum avidis precibus . . & quibus inclitam vestram voluntatem referentibus, jam Ecclesiam vestram in matrem & Dominam recognoscere destinavi, & ei debitum honorem, & reverentiam ceu Dominæ speciali, exhibere. Ita tamen quod mihi ad Pallium ad vestrum servitium a Curia Romana inquirendum, tamquam in negotio proprio curiosius existatis, & quod consilium, auxilium, & autorium huic Ecclesiæ Antibaren. cum successoribus vestris mihi, & successoribus meis perpetuo vos, & vestri successores impendatis, & quod Dominus Papa hoc velit, vobis incumbat. Me autem eidem hoc Domino Papæ attestaturum personaliter, vel internuntio omnino fore, sciatis.

adiutorium.

Hæc declaratio facta videtur tempore R. id est Beati Raynerii Archiep. Spalat. quem lapidatum obiisse anno 1180. infra patebit, cum ejusdem Gregorii Antiparens. Archiepiscopi simul, & Vincensii S. Grisogoni Abbatis inter testes mentio fiat, in sententia lata a Petro Spalaten. Archiepiscopo, Matthæo, Nonen. Episcopo & Comitibus Iadræ, & Spalati Iudicibus, a Rege Vngariæ delegatis, anno 1194. die 9. Iulii inter templarios, & Monacos SS. Cosmæ, & Damiani de monte Iadrens. Diœcesis. Testamentum quoque, sive donatio ejusdem Archiepiscopi ad favorem dicti Abbatis reperitur itidem sine millesimo sequentis tenoris.

Ex Archivo mon. S. Chrisogoni.

In Christi nomine Ego GG. olim D. licet indignus Antiparens. Archiepiscopus ex præcepto divino agnoscens quæ Dominus ait, estote parati, quia nescitis extremam vitæ horam, decidens in egritudinem corporis, valida Dei dispensatione, apud Monasterium Beatissimi Chrysogoni Iacio testamentum, tum stabilitatis rerum ad salvationem animæ meæ, sive obiero in ipsa infirmitate, vel etiam evasero ante Abb. prædicti Cenobii D. Vincentium, & D. Decanum Simeonem, atque fratrem Iordanem & Iupanum . . P. . Vitace, ut inprimis Capellam meam, & duas mitras, & virgam pastoralem, Planetum, & Pluvialem, Dalmaticam & Camisum, stolam, manipulum, & Cingulum cum Cotta, de libris etiam Decretum, Missale, ordinem Episcopalem, atque matutinalem, librum firma donatione volo habere, ac prædicto Cenobii *ad honorem Dei, & matris sæcula in Domino perpetua,* ex quibus constat Antibarensem Ecclesiam alias Diocletanam recognovisse Salonitanam, sive Spalatensem; sed quando ipsa Diocletana, quam D. Greg. Doclealinam vocat restituta, & deinde Antibarim translata fuerit, nemo refert. Presbyter tamen Diocleas, a Legato summi Pontificis utrasque Metropoles institutas, scribit, tempore, quo Croatiæ, & Serviæ Slavi a S. Cyrillo baptizati fuerunt; Sed, sicuti conversionem eorundem, ante Cyrilli tempora, ita Archiepiscopatum quoque Spalatensem, multo etiam antiquiorem fuisse, supra relatum est, quod ex Epistola Io. Papæ 8. confirmatur. *Io Papæ 8. Epistola 190. Reverendissimis & Sanctissimis Episcopis, Vitali Iadrensi, Dominico Absarensi, cæterisque Episcopis Dalmatinis, seu Ioanni Archipresb. Sanctæ sedis Salonitanæ, omnibusque sacerdotibus, & senioribus populi habitatoribus Spalatensis Civitatis, atque Zadarensis, cæterarumque Civitatum. Pastorali solicitudine moti, vos quasi oves Dominicas nobis in B. Petro Apostolorum Principe commissas, dicente Domino: Si diligis me Simon Petre, pasce oves meas; licet pro assidua gentium persecutione nunc usque impediti, his modo Apostolatus nostri litteris visitare curavimus, admonentes fraternitatem vestram, ut more præcessorum vestrorum ad sedem B. Petri Apostoli, quæ caput, & Magistra est omnium Ecclesiarum Dei, & id nos, qui ei divinitus præsidemus, toto animo libentique voluntate reverti studeatis: quatenus inde summi honorem sacerdotii & totius institutionis Ecclesiæ formam sumatis, unde parentes, ac præcessores vestros melliflua sanctæ prædicationis, & doctrinæ Apostolicæ potasse fluenta recolitis*

Cenobio.

Lib. X. ep 34.35.

colitis. Reminiſci namque debetis quanta eosdem præceſſores veſtros proſpera evidentiſſime comitabantur, quando ad limina Petri Cæleſtis Regni clavigeri, devoto pectore quaſi proprii filii confluebant, & quanta poſtmodum nunc uſque ſuſtinueritis adverſa, cum ab ea vos quaſi alienos ſeparare non dubitatis; Quapropter vos plurimum diligenter non ea, quæ veſtram ſed vos quærentes paterna benignitate monemus, atque hortamur, ut, ſicuti diximus, ad gremium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris veſtræ redire, ovanter attendatis, ut electus a vobis Canonice Archiepiſcopus, una cum veſtro omnium conſenſu, & voluntate ad nos veniens gratiam Epiſcopalis conſecrationis, Sacrumque pallium a nobis more priſtino incunctanter percipiat; ut gratiam, & benedictionem ſancti Petri, ac noſtram habentes, a malis omnibus libri, & bonis univerſis repleti, & hic in præſenti ſæculo gaudeatis, & in futuro cum Domino ſine fine procul dubio exultetis. Porro ſi aliquid de parte Græcorum, vel Sclavorum ſuper veſtra ad nos reverſione, vel conſecratione, aut de Pallii perceptione dubitatis, ſcitote pro certo quoniam nos ſecundum ſanctorum Patrum, deceſſorumque noſtrorum Pontificum ſtatuta vos adjuvare auctoritate curabimus. Quod ſi forte hanc noſtram Apoſtolicam admonitionem imo Canonicam præceptionem pro nihilo ducentes, ad ſedem Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ redire, & inde ſecundum antiquam normam conſecrationem Epiſcopalem, ſacrumque Pallium recipere contempſeritis, omni Eccleſiaſtica vos communione ſcitote penitus excommunicandos: Interim tamen auctoritate Dei, & Sancti Petri vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam aliunde conſecrationem, Palliumque recipere. Nam ſi feceritis quaſi tranſgreſſores, & inobedientes vos ſine dubio judicabimus. Hanc autem noſtri Apoſtolatus Epiſtolam fraternitati veſtræ per hunc præſentem Ioannem Ven. Presbyterum fidelem familiarem noſtrum direximus, cui ſcilicet aliqua injunximus, vobis verbotenus referenda, & ideo illi omnia, quæ de parte noſtra dixerit vobis, credere nullatenus dubitetis, ipſamque Epiſtolam, ut ad omnium veſtrum notitiam ferat bulla noſtra juſſimus in calce ſignari, data X. die menſ. Iun. Ind. XII. Ex qua Epiſtola Spalatenſem Eccleſiam paulo poſt Salonæ deſtructionem, reſtitutam cum Archidiacono dicendum eſt, qui Severum Salonitanum Civem, ut Spalatum habitaretur ſuaſiſſe, & turrim primo Archiepiſcopo ad habitandum tradidiſſe refert. Diocletana vero Civitas ſicuti, an reſtituta fuerit, non conſtat, ita tempore Porph. deſerta jacebat, *nunc habitatoribus vacua, in hodiernum uſque diem Dioclea appellatur*, ideo eundem Diocletanum Archiepiſcopum ex proxima Civitate in qua reſidebat Antiparenſ. etiam vocatum ex Alexandri 2. Epiſtola a Baronio relata, apparet.

c. 36.

949.

1062. *Alex. Ser. Ser. Dei Petro Ven. Archepiſcopo Dioclienſis atque Antibarenſis Eccle ſiæ ſalutem perpetuam in Chriſto . . Apoſtolica auctoritate decernimus, ut per hujus Privilegii noſtri paginam, ſic Sanctiſſimam Dioclienſem Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis. Eiaterenſ. cum . . Palahienſ. . . Servatienſ. . . Scodrienſ. . . Dinnaſtrienſem . . Polatinenſem . Sorbienſem . . Bolonienſem . . Tibunienſem . . Monaſteria quoque tam Latinorum, quam Græcorum, ſive Slavorum cures, ut ſcias, & hæc omnia unam Eccleſiam eſſe, deque omnibus prædictis locis Epiſcopali Regimine ſolemnia celebranda, ſicut anteceſſoribus tuis conceſſum eſt, concedimus. Crux etiam ante te ſicuti ante prædeceſſores tuos per Dalmatiam, & Slavoniam, ubique geratur: Archiepiſcopatum quoque Eccleſiæ tuæ juxta formam S. S. Prædeceſſorum noſtrorum, a quorum auctoritate non debes aberrare concedimus, & confirmamus* ex nominibus Epiſcopatuum in Epiſtola poſitorum Diocletanum, ſive Antibarenſem Archiepiſcopum Dalmatiæ Orientalis, a Serviis poſſeſſæ, Iurisdictionem, ante Epiſtolæ etiam tempora habuiſſe conſtat, eundemque ob Diocleam deſtructam Antibarenſem vocatum, ſummumque Pontificem Curiæ Romanæ ſtylum ſervantem, in Crucis prælatione, ipſam Serviam antiquo nomine, Dalmatiam, ſimulque uſu recepto, Sclavoniam nuncupaſſe, cum adhuc Dalmatarum, ſive Latinorum, vel Romanorum reliquias in eadem Regione fuiſſe ex verbis illis *Monaſteria Latinorum, Græcorum, & Slavorum* dicendum ſit, qui cum nullam Civitatem propriam poſſiderent, ſed cum Slavis mixti habitarent, in Slavorum nomen tranſiverant; Ideo ſucceſſor Alex. Greg. 7 Regi Serviorum ſcribens, ipſum Slavorum Regem nominavit, ut relatum eſt. Ex quibus conſtat ante annum Domini milleſimum duas Metropoles in Dalmatia antiqua fuiſſe, quarum ſuffraganeos Presbyter Diocleas enumerat: nam relato Stephani Papæ, & Michaelis Imp. Con. conſenſu ſubdit; *Miſit itaque Stephanus Papa Vicarium ſuum Honorium nomine S. R. E. Presbyterum Cardinalem cui, & tradidit poteſtatem . . . inſtituit Salonitanam Eccleſiam Metropolim, ſub cujus Regimine has Eccleſias ſtatuit, videlicet Spalatum, Tragurium, Scardonam, Arauſonam, quod nunc eſt Caſtellum Iadræ, Enonam, Arbuam, Abſarum, Veglam, & Epidaurum, quod nunc dicitur Raguſium . . & ſicut inferiori Dalmatiæ Salonitanam Eccleſiam conſtituit Metropolim, ſimili modo ſuperiori Diocletanam Eccleſiam pro ture antiquo ſtatuerunt Metropolim, ſub cujus Regimine has Eccleſias declararunt, ſcilicet Antibarium, Buduam, Ecatarum, Dulcignum, Suacium, Scodram, Drivaſtum, Pollettum, Sorbium, Boſonium, Tribunium, Zaculmium.* Hæc Presbyter Diocleas, qui; quamvis in Regno ſtatuendo, Regumque recenſione Regiones, ſtirpes, & tempora adeo confundat, ut potius fabulas, quam hiſtoriam ſcripſiſſe deprehendatur, & Diocletanam Metropolim tempore Stephani Papæ, & Michaelis Imperatoris inſtitutam, perperam aſſerat, ut in notis ad eundem declaratur, tamen cum ſeries Epiſcoporum

Ecataren.

Boſonienſem.

Tribuniem

Diocletanæ Metropolis, ab ipso relata, cum nominatis in Epistola Alexandri conveniat, eorundemque ab Exscriptoribus in Epistola depravata, ex Diocleate restitui possint, in rebus de sua Metropoli relatis, utpote cæteris antiquior omnino spernendus non est: Sed sicuti solos ex Serviis Narentanos baptizatos a Cyrillo ex supradictis constat, ita Presbyterum omnes Slavos Dalmatiæ tunc baptizatos scribentem, utrosque quoque Archiepiscopatus institutos præsumpsisse dicendum; Prout evenit iis, qui ex aliqua vera traditione argumentum capientes, re non examinata, probabilitates incertas, pro veris sumentes, in errores maximos incidunt, ita Presbyter ex traditione, vel scriptura aliqua Archiepiscopatus Diocletani Institutionem inveniens, cætera ipsi probabilia scripsisse, conjectari potest, & prout Croatorum Regnum cum Servia confundit, ita quoque Spalatensem Metropolim, simul cum Diocletana institutam scripsit. Archidiaconus autem traditionem, seu memoriam quandam de submersione Episcoporum secutus, eamdem fuisse causam exemptionis Antiparens. Ecclesiæ scripsit, nihilque ultra indagare tentans, tempus indefinitum, & narrationem mutilam reliquit: Cum vero his duobus Scriptoribus antiquiores non reperiantur, & memoriæ, præter relatas, nullæ existant, qualiacumque hi referant conciliare necessitas cogit, & erectionem Antibarensis Archiepiscopatus omnino post Spalatensem ponendam ex supradictis constat, causa vero ab Archidiacono relata, quo tempore evenerit, non apparet, tamen ante annum Domini millesimum, ex relata Epistola Alex. Pont. Antibarim in Metropolim erectam, dicendum est, cujus suffraganeos decem Alexander nominat. Presbyter vero centum annis posterior, duos addit, ideo Presbyterum suffraganeos sui temporis non erectionis Archiepiscopatus ponere patet: Archidiaconus vero, quamvis eodem Presbytero centum itidem annis posterior, quatuor tantum Episcopos exemptos nominat, ideo Archidiaconum tempora ipsius Epistolæ Alex. antiquiora referre censendum est, & sicut Croatiam unicum Episcopum a principio suæ Conversionis usque ad annum 900. vel circa habuisse constat, ita quoque post Serviorum Conversionem, Diocletianam Ecclesiam primam restitutam, argui potest, aliis deinde processu temporis adjunctis, quatuor tantum Episcopos in universa Servia fuisse, quando Diocletanus, uti antiquior ex Episcopis, Antibari habitans, Archiepiscopus institutus fuit, aliis deinde adjunctis, usque ad Alex. Pont. tempora decem crevisse, deinde Presbyteri Diocleatis duodecim. Hæ conjecturæ, de Diocletana, sive Antibarensi Metropoli, & ejus suffraganeis referri possunt; Spalatensem autem a tempore suæ translationis omnium Civitatum Dalmatiæ nomen retinentium Metropolica Iura, vice Salonitanæ Ecclesiæ servasse constat, prout etiam deinde Croatiæ, ut Archidiaconus loco supra relato refert. *Inferior vero Dalmatia habuit Episcopatus suos more antiquo, suæ Metropoli Salonitanæ Ecclesiæ subditos: videlicet, ab Asarensi Episcopatu usque ad Traguriensem. Veglienſis, Absarensis & Arbensis Episcopatus habuerunt parochias suas in Insulis suis, sed Veglienſis obtinebat majorem partem parochiarum, quas nunc habet Signiensis Ecclesia, quæ non erat, tunc Episcopalis sedes. Omnes enim Civitates prædictæ ad Regnum Chroatiæ pertinebat. Iadrensis Episcopatus non magnam habuit parochiam, propter vicinitatem Nonensis, & Belgradensis Episcopatuum. Cum autem Belgradensis Civitas destructa fuisset a Venetis, mutavit sedem suam in Scardonam, namque Veneti destruxerunt Belgradum prope Iadram Civitatem. Tragurienſis Episcopatus, quia suæ metropoli vicinior erat, majorem Diœcesim sortitus est, videlicet Castrum Sibenicense cum tota sua lupa: protendebatur enim fere usque ad fluvium Cetinensem. Fuit etiam Episcopalis sedes apud Mucarum, eratque sua Parochia a confinio Crainæ, usque stagnum. In stagno nihilominus fuit Episcopatus; suaque parochia erat in comitatu Chulmiæ. Voluerunt etiam Chroatorum Reges, quasi specialem habere Pontificem, petieruntque ab Archiepiscopo Spalatensi, & fecerunt Episcopum, qui Chroatensis appellabatur, posueruntque sedem ejus in campo in Ecclesia Sanctæ Mariæ Virginis juxta Castrum Tininense: Hic multas obtinuit Parochias, habuitque prædia, & possessiones per totum pene Regnum Chroatiæ, quia Regalis erat Episcopus & Regis Curiam sequebatur, eratque unus ex prineipibus Aulæ, & sua Iurisdictio usque ad Dravum fluvium extendebatur: Ecclesia nempe Metropolis has sibi voluit Parochias retinere, Comitatum Cetinæ, Cliſſæ Massarum Almissum & Corbaviam, & ultra Alpes ferreas usque ad confinia Zagabriæ totamque Maroniam.* Hæc Archidiaconus summatim referendo, Croaticos Episcopatus cum Dalmaticis confundit. Stagnensisque (qui sub Antibarensi Metropoli erat) mentionem facit. Ragusinum vero omisit: de quo tamen refert cap. 8. supra relato, ubi sequitur *per idem fere tempus (id est tempore Ioannis Papæ 4.) quidam advenæ (ut ferunt) Romana Urbe depulsi, non longe ab Epidauro, ratibus applicuerunt. Erat autem Epidaurus Episcopalis Civitas, Salonitanæ Ecclesiæ suffraganea, quod ex Epistola B. Gregorii Papæ conjicimus, quam misit Natali Archiepiscopo Salonitano, arguens ipsum, quia absque auctoritate Synodali quendam Florentium Epitauridatæ Ecclesiæ Episcopum, pro quibusdam injectis criminibus, sed non probatis deposuerat. Cujus causam prædictus Papa suo Subdiacono Antonio, quem in Salona fuisse missum superius memoravimus. Prævocati ergo advenæ sedem sibi in illius partibus collocantes, Civitatem Epidaurum sæpius impugnantes nimium attriverunt, attritamque ceperunt, & captam in solitudinem redegerunt. Homines autem cum eis permixti*

sunt,

sunt & facti sunt populus unus. Ædificaverunt Ragusium, & habitaverunt in eo. Ex eo tempore conari cœperunt pallium suo Episcopo obtinere. Ex quibus dignoscitur, Archidiaconum Epidauri destructionem & Ragusii ædificationem ex Diocleate mutuatum, rem tamen confundere: nam Diocleas Epidauri, cæterarumque Civitatum maritimarum destructionem Saracenis tribuit, ædificationem vero Rausii Paulimiro Belo qui cum cæteris Roma ibidem delatus Epidauritanos profugos in communionem receperit: Archidiaconus autem oppugnationem Epidauri & Ragusii ædificationem solis Roma venientibus: quæ sicuti ex relatis a Porph. falsa comperiuntur, ita quæ de Florentio Episcopo Epidauritano scripsit, ex Epistolis Greg. Magni comprobantur l. 2. ep. 8. & 9 & l. 7. Ep. 12. & pro ut de Episcopis tam Croaticis, quam Dalmaticis indistincte sumptis Spalato Occidentalibus Archidiaconus cum Synodis Dalmaticis convenit, ita cum Ragusini nomen, neque inter Synodorum Provincialium Episcopos reperiatur, ideo an ibidem Episcopus fuerit dubitari potest, sed sicut ab Epidauritanis Rausium ædificatum constat, ita Episcopatum quoque ibidem translatum argui debet; pro ut Presbyter Diocleas asserit, cum ejusdem Urbis Episcopum Petro Ursеolo Duci Venetorum occurrisse,
1000. Andreas Dandulus loco citato, referat,
1067. & ex eis, quæ Greg. 7. Ragusinis scri-
ep. 67. bit de Ditali eorum Episcopo carcerato & alio electo, pro ut etiam ex controversia inter Antibarensem & Ragusinum Episcopos, & Spalatensem Archiepiscopum, ab eodem Pontifice memorata, in relata Epistola Michaeli Sclavorum Regi scripta, argui potest Dioclетanum Archiepiscopum aliquo casu Ragusium se recepisse, ibique creatum Episcopum. Ius Diocletanæ Metropolis retinere voluisse, ob id controversiam, cum suo Metropolita Spalatensi, & simul cum Antibarensi ob Diocletanæ Metropolis retentionem habuisse, ut Pontifex innuere videtur, & Iacobus Luccari in Annalibus Ragusinis refert. Patet ergo omnes Dalmatiæ Episcopos a tempore translationis Salonitanæ Ecclesiæ Spalatum, eidem paruisse, & deinde tam in Croatia, quam in Servia, qui alio atque alio tempore restituti vel instituti fuerint, donec Diocletana in Archiepiscopatum erecta fuit: ex quibus duabus Metropolibus Presbyter Diocleas & ex eo Archidiaconus Dalmatiam in superiorem, & inferiorem dividunt, superiorem Diocletanæ, inferiorem vero Spalatensi tribuentes, sed sicuti Croatiam a principio suæ conversionis unicum tantum Nonensem Episcopum habuisse constat, ita deinde alios adjunctos ex relatis Synodis apparet, in quorum recensione Diocleas Scardonensem, cum Arausonensi, sive Belgradensi ponit, quem post Belgradum destructum, Scardonam translatum Archidiaconus scribit, ut suo loco referetur, temporeque Diocleatis, Belgradensis Episcopatus amplius non extabat, sed loco Tininiensis, Belgradensem Diocleas posuit. Fininiensem vero additum ad Instantiam Regum Croatorum, unumque fuisse ex principibus Aulæ Archidiaconus refert; ejusque jurisdictionem usque ad flumen Dravæ extensam, quem Cancellarii quoque Regni Croatorum munere functum reperitur, primumque S. Bani privilegium scripsisse; Deinde Cresimiri Petri Regis, cum ante Capellani Regum, exscribere solerent; Spalatinæ autem Provinciæ fines, usque ad Danubium, & per totum pene Regnum Croatorum protensos Tirpimiri Ducis privilegium testatur. Tininiensisque Episcopi usque ad Dravum Iurisdictionem perveniisse, scilicet præter Croatiam mediterraneam interamnensem quoque Croatiam comprehendisse, cum nondum Zagabriensis Episcopatus institutus esset, ut suo loco referetur, ideo ea quæ Wolffgangus Lazius Comen. Reip. Rom. l. 12. c. 3. refert de Sirmiensi Episcopatu a S. Stephano Rege Ungariæ restituto, vera esse non possunt, cum a supra relatis ex Cedreno constet, Sirmiensem Regionem ejusdem Regis tempore Græcis paruisse, ibique Græcorum Præfectum sedem habuisse, ideo Lazium ex posterioribus Ungarici Regni finibus, tempore quoque S. Stephani Regis Regni terminos ultra Dravum extensos credidisse oportet, pro ut etiam relati Deneti Scriptores eadem de Andrea & Salamone Regibus Ungariæ referentes refutati fuerunt.

Temporibus ergo Regum Dalmatiæ, & Croatiæ habuit Spalat. Ecclesia suffraganeos in Dalmatia Absaren. Veglen. Arben. Iadren. Tragurien. & Ragusien.

In Croatia vero Nonen. Belgraden. & Tininien. quos omnes præter Ragusinum, in relatis Synodis Spalatensis Provinciæ interveniisse constat, imo Synodos ipsas multas Regum, vel privatarum personarum concessiones, vel transactiones confirmasse, & aliquando graviores quoque quæstiones diremisse, sed sicuti Dalmatiam, & Croatiam Spalatinæ Metropoli ab antiquo paruisse constat, ita Primatis titulum quando sumpserit, inferius conjectabitur.

Hæc de Salonitana sive Spalatensi Ecclesia ejusque Metropolicis iuribus, quoad Reges proprios Dalmatia & Croatia habuit, reperire licuit.

CAPUT XV.

De moribus Croatorum.

DE moribus Croatorum, quamvis pauca ob scripturarum penuriam tradi possint, tamen satius videtur aliquid conjectari, quam nihil scribendo mores illorum temporum oblivione obruendos, omnino relinquere, cum ex eorumdem cognitione res, quæ dicendæ sunt, clariores evadent.

Slavorum mores antiquos Procopius describit.

De bello Gothico l. 3.

Antarum, Sclavinorumque nationes, non ab homine aliquo uno reguntur, sed ab antiquo plebeia, communique libertate vivunt, & idcirco res omnes, quæ vel utiles sunt, vel forte difficiles, in commune consilium deducuntur, cætera vero omnia, utrique fere genti paria sunt, & simillima. His præterea Barbaris lege cautum est, & a suis majoribus proditum inter Deos, aliquem unum, qui fulminis sit fabricator rerum omnium Dominum, ac solum esse, ut credant, illique Boves, & hostias cæteras mactent, fortunam vero, nec sciant quidem, nec alias vim aliquam in homines habere fatentur: sed postquam sibi, sive domi morbo correptis, sive prælio constitutis e propinquo mors imminet, jubentur quidem, si incolumes forte evaserint, Deo confestim pro anima sacrificium facere, unde quum primum mortis illud discrimen defugerint, sacrificium ex voto, ac promissis absolvunt, & putant ferme hoc pacto salutem sibi per sacrificia redemisse; Silvas præterea, & Nymphas hi colunt, & Dæmones alios, hisque Sacrificia peragunt, & inter sacrificandum vaticinantur. Habitant autem incondita quædam tuguria, & longo ab invicem intervallo, & singuli domicilii locum, ut sæpe fit, mutant. In prælio autem pedestres plerique in hostem eunt, Clypeum, telaque in manu gestantes, thoracem tamen non induunt; nonnulli vero nec tritam quidem nec obsoletam habent, dum interea bellum fit, vestem, sed velamenta dumtaxat, ac quædam ad femur usque tendentia, hunc in modum adversus hostes consistunt, porro una utrisque, & Barbara lingua, quin etiam nec corporis specie inter se differunt, nam & prolixiore statura sunt omnes, & viribus plurimum valent; corporum vero, & comarum colore, nec candido admodum, nec rutilo prorsus, nec in nigredinem omnino vergente, sed subrutili magnopere sunt; Vitam vero, ut duriorem, ita & plane incultam, negleclamque Massagetarum more ducunt, & quidem sordibus, ut illi cibo ingurgitantur, callidi tamen, sive malefici minime sunt, sed in populando, ac rapiendo, Hunnicam servant consuetudinem, & ante Sclavinis quondam, Antisque unum erat ac simile cognomentum, quippe quos Sporos prisci idcirco denominarunt, quia ut reor dispersi per tabernacula, & seorsim singuli habitabant: affatimque Terras habent, ut qui maximam in ulteriore Histri fluminis Ripa incolunt partem.

Hi fuere Slavorum mores in genere, quos Croati habuerunt, quando Dalmatiam occuparunt, sed postea Christiani effecti, humanius vixerunt; At etiam nunc post tot secula feritatis antiquæ aliquid retinent, præsertim qui mediterranea incolunt, moreque cæterarum septentrionalium nationum, ut plurimum victitant; eos autem communi libertate vixisse Porph. confirmat. *Principes vero hæ gentes, non habent tantum Zupanos senes, quomodo etiam reliqui Sclavorum populi.* *Cap. 29.*

An ab his Zupanis regiones quibus præerant nomen acceperint, an vero ipsi Zupani a Zupa, id est regione, incertum. Zupanos autem regionibus præpositos, ex subscriptionibus Privilegiorum Ducum, & Regum Croatorum, quæ supersunt, clare constat.

Hos autem Zupanos ad omne concilium vocatos, simulque cum Ducibus, deinde Regibus jus deliberandi, vel consulendi habuisse, ipsorum Privilegiorum fragmenta demonstrant; præter quos etiam post Zupani nominantur, id est Zupanorum substituti, vel Vicem gerentes, quorum numerum multiplicatum sub Regibus constat.

At Croatis, Francis, & Occidentali Imperio se subjicientibus, ab eisdem Duces Croatorum titulos ipsis Zupanis, vel suis Aulicis mutuati sunt, nam in supradictis Privil. inveniuntur subscripti Camerarius primus 12. 3. Pincernarius, Palatinus, Cavallarius, Curialis, Comes, Capellanus Ducalis, postea Regalis Curiæ, Armiger, Scutobajulus, Iudex Curiæ, & Slave *Postelnik, id est, Camerarius sive Cubilis Præfectus.*
Vbrusar - sive mensæ Præfectus.
Volar . sive Boum Præfectus.
Schitonos, sive Scutobajulus.
Duornich, sive Curialis, Dad, sive Ded Avus. vel senior & similia; qui Croatorum Regibus in usu fuere. *Mavevarius* autem, an Slavum, vel Latinum fuerit, incompertum est. Zupanos Cresimirus Comites appellavit, & deinceps Reges Ungariæ continuavere. Hæc de Aulicis magistratibus, & Regionum Præfectis invenire licuit, de militaribus autem infra dicetur Regum Ungariæ tempore.

Curiam Ducum, & Regum mobilem, non fixam, fuisse ex Archidiacono, & Datis privilegiorum constat, quamvis ex Cresc. Priv. 1069. supracitato, dato in suo Nonensi Cenaculo, & contentione Nonensis Episcopi cum Archiepiscopo Spalat. in Priv. Mucimiri memorata, Nonam residentiam Ducum & Regum fuisse, dici deberet, Episcopumque Nonensem tunc Ducalis Procuratoris munere functum, quod neque etiam ex situs opportunitate incongruum fuit, præsertim donec Duces Croatorum Regibus Italiæ paruerunt, tamen cum pauca Privilegia Nonæ data reperiantur, multa autem in Sibenico, Civitate Nova, Teneno, Belgrado cæterisque locis Croatiæ, vel penes Ecclesias, prope flumina, fontesque in locis Campestribus, pro Aulæ commoditate Curias celebratas comprobatur, solemnioribus autem Curiis Regum Episcopi Dalmatiæ, & Croatiæ interveniebant.

Privilegia diversimode firmabantur, signis

signis tantum, ut Tirpimiri, signis, & sigillo Annuli Ducis, ut Mucimiri, subscriptione, & approbatione Aulicorum, & Episcoporum, ut Regum Cresimiri Petri, & Zuonimiri. Et quamvis plura Originalia Regum privilegia supersint, unicum tantum pendenti sigillo cereo rotundo Cresimiri reperitur anni 1071. in Sanctuario Arben. Ecclesiæ existens, in quo imago Regis in throno sedentis apparet, circa quam sequentes Characteres.

SIGILLVM REGIS CRESIMERI DALMATIÆ.

Et cum in eodem privilegio titulo Regis Dalmatinorum, & Croatorum utatur, in sigillo autem, solam Dalmatiam exprimat, ambigi potest, quando Croatis aliquid concedebat, an diverso sigillo uteretur, in quo Croatiam tantum exprimeret.

Nullum privilegium Ducum, vel Regum Civitatibus Croaticis, vel Dalmaticis concessum reperitur, sed præter supra memorata multa Cresimiri, & Zuonimiri Ecclesiis data supersunt, quæ longum esset transscribere, ideo omissis, quæ simplices donationes, vel concessiones continent, apponentur, quæ ad Regiam Iurisdictionem, moresque significandos spectant.

Ex Registro Privilegiorum mon. SS. Cosm. & Dam.

In nomine S. & Individuæ Trinitatis anno Incarn. Iesu Christi omnium dominantis 1059. *abeunte, Indictione X. elabente, Beatissimo Papa Nicolao universaliter mundo Apostolicante, in Orientis partibus Constantinopoleos, scilicet Cumneno Imperante, ac Belgradi Theodosio Præsulante, ibidemque Dragosiao Priorante, mense quidem Februario. Ego Cresimyr Stephani Regis filius Divina favente Clementia Rex Dalmatiæ, Croatiæque, Andream Virum Religiosum Deo, & hominibus dilectum monendo rogando ab Insula, quæ Zuri nuncupatur, advocavi, præfatæ Vrbis Pontifice, Priore, Clero, ac Populo volente, cogente, & collaudante. Quo Advocato, Suisque fratribus his prædictis præsentibus Episcopo Priore, ac Belgradensibus Civibus in præsentia etiam D. Mainardi Reverendissimi Viri, & Ecclesiæ Romanæ Apochrisarii, Legati a supradicto Apostolico N. Regali auctoritate, Magnatumque meorum favorabili voluntate, scribi mandavi stabile Priuilegium libertatis, tali usus eloquio.*

Quia Deitatis opitulante gratia, tu Abbas Andreas, tuique fratres meis precibus obtemperastis, Ecclesiam, super qua vobis superne supplicaveram, ædificastis, & Christi coadjuvante misericordia vestri laboris studio, mearumque rerum solatio ad effectum perduxistis, concedo, faveo, annuo tibi Andreæ Abbati, & tibi regulariter succedentibus hanc auctoritatem, & hujus potentiæ libertatem, ut præter debitam, Ecclesiasticæ disciplinæ reverentiam, nulli mortalium potestati mundanæ, sive spirituali subjecti habeamini. sed usque adeo liberum sit, & plenarie absolutum monasterium SS. Ioannis Apostoli, & Evangelistæ, ut neque tributum, neque vectigal fisco Regali solvat, donaria secularia, debita Banis, Iuppanis, vel reliquis potentiolis, prorsus nesciat; Ut autem hoc affirmative stabiliatur, illud in audientia, & in adentia prælibatorum astantium Regaliter auctorizo, dominaliter corroboro, potentialiter confirmo, ut ita deffinitum, itaque determinatum habeatur, ne unquam alicujus præsumptuosi temeritate, vel sacrilego ausu profani cujusvis corrumpatur, sed ut assignatum, & descriptum est, æternaliter fixum teneatur. Volo etiam, & affectuose concedo, ac concessive affirmo eadem Regali auctoritate, ut tota Insula Zuri sit propria, & specialis prætaxati monasterii, cum universis illi consistentibus, tam ex ipsa natura, quam manuali positura cum terris arabilibus, sive non, sylvis, saltibus, puteis, fontibus, pascuis in Valle, aut montibus, pratis siccis, aut virentibus, & loci ejus locis omnibus. Quin & Cella quæ in ea est tempore in termino Catholica fidelitate huic sublateralis obice sine ullo efficiatur; quia vero non inceptor operis dignus laude habetur, immo voti compos, & efficax pro meritis glorificatur, omnis enim laus in fine canitur, & ibi necessario devote orantium cessabit oratio, ubi spes aufugit humanæ vitæ, si careat vitali suffragio. eadem Regali auctoritate, una cum Guoizone Bano meisque primatibus concedo, faveo, annuo tibi Andreæ Abbati, omnibus quoque Beatissimi Ioannis monasterium iuxta patrum instituta Regentibus Rogova Curtem in condescensione collis proximi, & imminentis Belgradien. Civitati positam ab Aquilone, cum omnibus suis pertinentiis.

Omnia nominatione, & finibus terrarum Regalium.

Si quis autem hæc Regalia beneficia collata, & regaliter auctorizata Mon. S. Ioannis Apostoli, & Evangelistæ pro animabus meorum parentum, tam præteritorum, quam futurorum, mea quoque nefario conatu violare, aut minorare, aut extrahere præsumpserit, ira divini furoris illi abundanter affluat, & sicut ille Iudas proditor dispereat, insuper illorum 318. *Sanctorum Patrum maledictionem habeat, lege Christiana careat, Regali Typo Croatiæ subjaceat censum videlicet auri pondera solvat ei, quicumque hoc in Regno regnaverit; Vt autem sic auctorizabile, ut dictum est, teneatur horum legitimo astantium testimonio, verissimaque approbatione corroboratur. His omnibus præsentibus collaudantibus, & hæc omnia bona pleniter confirmantibus. Inprimis D. Mainardo supradicto Apochrisario, Laurentio Archiepiscopo, Raynerio Croatino Episcopo, Theodosio, & Prestantio Episcopis, Goyzone Bano, Bolleslao, Teuzone, Privanego, Iubano de Luca, Dragoslao Priore, Iuraina Iubano de Sydraga, Drago Priore, Drago de Castriza, Dapreinna Priore; & Petro Filio ejus Gregorio Petrainna armati, Druse filio Episcopi Prest. & fratre suo Madio. Michaele, & ejus fratre Petro Braneico, & ejus fratre, Pisa Capellano, ejusque filio Budizo, Iohanne Eunucho Schytonossa; & fratre suo post Iuppo Chruchenna Drasen post Iuppo de Blatta, Sabachio, & ejus fratre cum pluribus aliis.*

Ex eodem Registro.

Anno ab incarnatione Domini Nostri Iesu Christi 1059. *Indictione X. Regnante Cresi-*

miro Rege Chroatorum, & Dalmatiarum, menſe Februario, in Civitate Belgrado, Dragoslao Priore, & Theodoſio Epiſcopo. Abſolutionis, & libertatis Cartula facta eſt, Monaſterio S. Ioannis Evangeliſtæ nuper ſito in eodem loco, præſente Andrea Abbate ejusque fratribus, ipſo Rege jubente hoc modo. Ego Chreſimir Rex tibi Ven. Abbati Andreæ, tuisque fratribus, tuoque Monaſterio, quod mea juſſione, & ſolatio, imo magis veſtro labore inchoatur, & perficitur tribuo, & concedo, ita ut præmiſſo Eccleſiaſtico Iure, nulli homini ſubjugemini, niſi Deo ſummo, cui veſtram militiam devoviſtis, veſtrumque Monaſterium ſit abſolutum, ab omni fiſcali tributo, excepto, quod gratia Caritatis in ſolemnitate ejusdem Eccleſiæ Epiſcopo loci ipſius, Agnus unus, Sampulla vini largiens tribuatur, & his largitis, non Epiſcopo, non Priori, vobis illicite auſu temerario liceat dominari, & ne hæc noſtræ diffinitionis paginula ſolubilis per labentia tempora videatur coram Apocriſario S. R. Eccleſiæ, Ven. Abbate Maynardo miſſo a Nicolao Sanctiſſimo Papa roboramus perpetuo permanenda, cui & Iure perpetuo adhæreat tradita a Nobis Inſula, quæ vocatur Zuris, & Curte in loco contiguo Civitatis quod Rogovo dicitur, cum omnibus poſſeſſionibus ipſius monaſterii conſtantiſſime confirmamus. Si quis autem hanc juſtam noſtram diffinitionem temptaverit ſoluere, majeſtatis iram incurrat ſuperne, & noſtris ſi legibus reus, aurea componat pondera centum, & hæc noſtræ diſtinctionis Cartula in ſua firmitate permaneat, Goyzo Bano teſtis, Boleslao Tepizo teſtis, Privanego Iuppano de Luca teſtis, Epiſcopus Theodoſius Belgradenſis teſtis, Dragoslao Priore teſtis, Iuraima Iuppano de Sidraga teſtis, Prior Drago teſtis, Drago de Caſtrizza teſtis, Georgius Vrattaro teſtis.

Ex eodem.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis anno quoque Dominicæ Incar. 1069. Indictione 6. menſe Octobris. Ego Chreſimir Rex Croatorum, atque Dalmatinorum teſtimonium facio cum omnibus Nobilibus meis, quod Monaſterio S. Thomæ Apoſtoli ſub manu Dominæ Dobrizæ ejusdem monaſterii matris confero firmum, ſtabilemque obſervando decerno ſcilicet, ut idem monaſterium a modo, & deinceps absque omni tributo perpetuo exiſtat liberum, ita ut nec mihi, nec meis ſucceſſoribus cujuslibet conſuetudinis debito implicatum eſſe videatur, niſi tamen voluntariam exhibes honorificentiam, quatenus omnium ancillarum Dei in eodem commorantium Cenobio libertas, & diuturna quies omnium ſecularium infeſtatione exempta licentius, atque inſtantius ſuo poſſint famulari Creatori, cui ſe, ſub ſacræ legis jugo libentiſſime ſubdidiſſe noſcuntur, quapropter jam dictum Cœnobium non ſolum libertati donamus, verum inſuper, & Regale territorium in loco, qui Raſochatiza vocatur tncipiente ab ipſa Raſochatiza, ubi ſunt duæ funtanæ, & uſque ad puteum qui manet juxta terram Mogarovici longitudine, & in latitudine a monte Tini, uſque ad Vivum, & ibidem Smurdalani, incipiente a termino vallis uſque ad pedem montem Tini, ſi enim quandoque quislibet meus ſucceſſor intervenerit, hujusque mei decreti ſtabilitum parvi penderit, & ex omnibus, quæ a me fideliter ſtatuta ſunt, aliquid minuere, vel tranſgredi voluerit, iram habeat omnipotentis Dei, & omnium ſanctorum ſuper illos maneat, nec non, & 318. Patrum anatematis vinculo immodetur, & in noviſſimo, ac tremendo examine cum Diabulo, ſuisque miniſtris, ac Iuda traditore damnetur, & inextinguibilis flammæ incendio crucietur, hujus denique rei ſtabilitum palam actum, & coram his teſtibus roboratum L. Archiepiſcopo, R. Croatico Epiſcopo, G. Bano, & alii plures

Ego prædictus Rex Chreſimir per caritatem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, nec non & Sancti Thomæ Apoſtoli aliquam benedictionem dono pro redemptione animæ meæ, meorumque ſucceſſorum, & monaſterii prædicti S. Thomæ ſitum in Civitate Belgrado, idem terras in Sidroga nominant, ut ſint perpetuum illorum, & qui poſt noſtro diſceſſu aliud aliquid corrumpere temptaverit, maledictus ſit a Deo omnipotenti, a Beato Thoma Apoſtolo & ab omnibus Sanctis Dei, & cum Iuda particeps fiat in æternum incendium, & hæc contra his, donum mihi conceſſit optimum equum. Hæc facta ſunt coram his teſtibus Epiſcopo Theodoſio, Drao Priore Rainerio, Chroatino Epiſcopo Goizone, Bano & alii plures.

Ex Regiſtro Privil. monialium S. Mariæ Iadren.

Anno Incar. D. N. I. Chriſti 1066. Dubcyzi Conſtantinopoleos Imperante. Ego Creſimir Rex Croatiæ, & Dalmatiæ, filius Stephani Regis, conceſſione Laurentii Spalat. Archiepiſcopi, omniumque noſtri Regni Epiſcoporum, & laudatione noſtri Ducis Stephani, cæterorumque Croatiæ Comitum, do Regiam libertatem monaſterio S. Mariæ Iadrenſis, quod ſoror mea Cicha fabricavit, ſi quidem, ut ſi aliquis protervus in aliquo prædicto monaſterio contraire voluerit, vel ut aliquid abſtulerit Eccleſiæ quadruplum reſtituat, & ſua omnia Regali juri ſubjaceant. Hocque ab Archiepiſcopo, & omnibus Epiſcopis confirmatum canonice, ac ab univerſo cetu collaudatum eſt. L. Archiepiſcopus Laud. Stephanus Epiſcopus Iaderæ Laud. Rainerius Epiſcopus Croatiæ Laud. Ioannes Trag. Epiſcopus Laud. Dabro Belgrad Epiſcopus Laud. Drago Arben. Epiſcopus Laud. Petrus Abſaren Epiſcopas Laud. In die Natali Domini in Sibenico, coram omnibus prædictæ Abbatiſſæ Ciche hæc ſcripta ſunt. Quod confirmavit Suinimir in Teneno in feſtivitate S. Demetrii anno Domini 1087.

Id eſt Conſtantino Duca.

Anno Incarnationis Dominicæ 1072. Ego Creſimir Rex Croatiæ & Dalmatiæ ob remedium animæ meæ, & præceſſorum meorum monaſt. S. Mariæ Monialium rogatu ſororis meæ quod noviter factum eſt Iadere, Cichæ dono terram in Tochenia, quæ Regalis eſſe dignoſcitur, vel Regalium Servorum, vergentem per convallem, ab Oriente in Occidentem, quæ mari determinatur, in Aquilonem vero uſque ad ſupereminentem montem ad meridianam autem plagam trahentem, quam Avus meus dedit Cognato ſuo Madio, & filio ejus Dabrane coram his teſtibus Dabro Priore filio Bolize, Niciforo, & fratre ejus Madio filio Zelle, Dobro Drugu Scitonoſa, Deſcini Iuriſar, Budillo Capellano, Deſa Iadrenſ. Clerico. Si quis autem noſtræ donationi

nationi in posterum contraire voluerit bannum persolvat Regalem, nostra donatio semper firma permaneat. Hoc actum est in Tochina, & firmatum Iadere, coram Stephano ejusdem Civitatis Episcopo, Drago Priore, Sega Iudice, Zella, & Doda & aliis quampluribus.

Quod confirmavit Zuonimir in Teneno 1078. Ex Registro Privil. Archiepiscopatus Spalaten.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis anno scilicet ab Incar. D. N. I. Christi 1078. *Indictione prima, Ego Suinimir, qui & Demetrius gratia divinitus collata subministrante, & sagacis vigore scientiæ vere cœlitus attributæ, cooperante, Rex totius Croatiæ, simulque Dalmatiæ, perspicaci suspensæ mentis intuitu præcipites rerum mundanarum transitus prospiciens, & non sine admiratione nullas earum stabiles, nec alicuius spei futuræ beatitudinis collectivas inveniens eis modo exceptis quæ Deo, & electis ejus quasi accommodative, quia centies duplicatæ redient commendatæ, una cum Gregorio Ven. Croat. Episcopo, & Tepcii Dominico, meorum Comitum, aliorumque nobilium communi fulcitus consilio salutare, ac pro utili ducens, tam mihi, quam meis successoribus, & universalitate multiplicum mei Regni climatum Beatissimo Spalat. Sedis Pontifici, ac Martyri Domnio tempore videlicet Laurentii Reverendissimi Archiepiscopi Iuppam eam quam Centenam ajunt sine ulla contradictione omnium eorum, quicumque post me hoc in Regno successerint, affirmative corroboro, corroborative ab omni parte perenniter habendo concedo sic, ut quantacumque longitudine, seu latitudine protenditur, ejus sanctificæ Dominationi plane, & omnino subjiciatur; ita dico, & hoc edico, ut quidquid ad Ecclesiasticæ dispensationis ordinem sano intellectu pertinere videtur, plenius habeat Christianæ fidei doctrinam, ubique teneri faciat, ordinatos tam Presbyteros, quam alios, ut caste vivant, constringat, ordinandos ordinari, & Synodis uti faciat, Discordes Canonicali regula pacificare studeat, primitiarum, ac Decimarum omnium, quæ legaliter decimari possunt, & debent, tam a majoribus, quam a minoribus generaliter Iura recipiat, Vivorum, ac mortuorum Ecclesiæ debitas oblationes perpetualiter possideat. Hoc autem ideo feci, ut Deus, & Dominus noster Iesus Christus, & gloriosa ejus genitrix, & Virgo, Sanctus quoque Petrus, ac Beatissimus Dominus coram omnium adversantium molimina, vires, & triumphum terris conferant, & in Cælis apud summum Iudicem peccatorum veniam exorantes dignentur præparare gloriam. Si quis autem, quod absit, hanc nostram donationem dirumpere conatus fuerit, ira omnipotentis Dei veniat super eum, & maledictiones* 318. *Sanctorum Patrum incurrant super ipsum, & XII. Apostolorum, atque in æterna damnatione perpetuo sustineat combustionem. Nec non 60. libras componat auri, medietas quarum Regali inferatur fisco, altera vero præfatæ Ecclesiæ Beatissimæ Domnii conferatur. Hoc vero nostrum observantes decretum, locum, amœna loca ubi piorum animæ requiescunt, Elisii possideat amœnum. Acta sunt hæc ante notitiam horum testium. Inprimis quidem Helenæ glorioſissimæ Reginæ, Gregorii Vener. Croat. Episcopi Ioannis Ven. Abbatis Cœnobii S. Barth. Apostoli, dein Dominici Tepsi, Pribinne Cetinstici, Iacobi Gitfaci, Adam Nonensis Iupani. Sterssinne Bribirstici, Desinne Corbaustici, Dominici Iadrensis Sacerdotis, & Stephani Capellani, & Presbyteri S. Nicolai.*

Et ego Theodorus licet immeritus Sacerdos jussu Domini mei Regis prænominati Suinimiri, qui & Demetrii, atque D. Gregorii sui Episcopi scriptor hujus decreti, & testis sum ibidem.

Ex his privilegiis quilibet multa observare poterit, & ex diversitate formularum, & concessionum auctoritatem Regiam, Iurisdictionem Ecclesiasticam, moresque Croatorum conjectari.

Quid autem Regale territorium significet ex sequentibus verbis antiqui registri in Archivo Capituli Spalaten. existentis elici potest, ubi post descriptionem terrarum Ecclesiæ Sancti Petri habentur sequentia. *Zuinimir Rex dederat Stresi Avunculi sui totas terras, quæ erant in Massaro, & incipiente a Salona usque Bioki, ut ipse tolleret tributum ab eis, denique volebat mihi per vim tollere memoratam terram, ita dicendo, quod esset Regalis, nam ego statim ivi ad Suinimirum in Sabenico, & duxi mecum venditores terræ . . . quod ipsa terra non erat Regalis, nisi illorum, qui vendiderant, unde mihi confirmavit præfatus Rex.*

Quibus cum Privilegiis collatis, terras, tributa Regi pendere obligatas, Regales dictas apparet, hæcque tributa Reges Ecclesiis donasse, quando terras concedebant concludendum est, quæ distinguebantur in Regales, & Servorum Regaliuu, diversitas tamen in Privilegiis Cresimiri observanda est; Monasteria enim Belgradensis Civitatis Croatiæ nulli mortalium subjecta, ab omnique tributo, & vectigali Regio absoluta declarat; Monasterio vero S. Mariæ Iadren. Regiam libertatem donat; Quidnam autem Regiæ libertatis datione intelligeretur in privilegio Colomanni libro sequenti explicabitur: Hæc de regalium terrarum concessionibus, ac particulatim quoque donationes, & venditiones reperiuntur, quarum quædam ponentur, ut etiam ex ipsis aliquid percipi possit. *Cap. 3.*

Ex supra citato Registro SS. Cosmæ, & Dam.

Aprizo Sacalaristich pro æterna gloria concessit eidem monast. (S. Ioannis Evang.) terram in Elzani testibus hi. Radoslao Lissizai, musam & Stephano fratre Radoslai, & hoc sub Petri Abbatis tempore, habuit autem Aprizo hanc terram tali ordine; quadam die hic Aprizo Regem Cresimirum, ac Reginam hospitio suscepit, Regali apparatu eis cœnam ministravit, qua peracta, eos largis muneribus honoravit, Regi per se optimum puerum cum optimo equo attribuit, Reginæ vero ancillam optimam donavit, & Regis Schitonosse scutum, & lanceam, & aliis diversis, diversa dedit munera. Alias vero terras interjacentes eidem Rex condonavit Mon. S. Ioannis sub tempore Petri Abbatis; Terram autem in Chamennani quidquid est ibi arabile effectus ibidem unus ex fratribus donavit eidem mo-

naſterio Pribinna Guſſichius, & hanc terram conceſſit ei Rex Creſimir pro benedictione poſt tonſionem capillorum. Ego Morimir pro æterna gloria dono totam partem alodii mei volente, & conſentiente, & collaudante fratre meo Draſelo, quod incipit a Valle SS. Coſmæ, & Damiani, usque ad territorium Monachorum S. Thomæ. Hæc Alodia, vel privatorum bona, an obnoxia eſſent alicui Tributo Regio, vel dationi conſuetæ Bano, Iuppano, vel alicui magiſtratui, incertum. Regem Creſimirum, & alios plures Reges, & Reginas ſepultos in Atrio Baſilicæ S. Stephani ſitæ inter Salonæ ruinas Archidiaconus ait: Zuonimirum autem ſepultum Bichiay in Inſula Metubari in Eccleſia S. Antonii, ubi Reges ſepeliebantur Iacobus Luccari tradit, an Luccaro, vel potius Archidiacono uti antiquiori, Salonæque proximo deferendum, quisque judicet. Sparſos Croatos incoluiſſe, pro ſitus, agrique colendi opportunitate antiquo Slavorum more hodiernæ eorum habitationes demonſtrant, nam penes fontes, vel flumina, frequentes Eccleſiæ, vel ipſarum rudera reperiuntur, circumque eas ſparſæ domus, humilis ſtructuræ, & raræ turres pro ditioribus, vel adhuc ſuperſtites, vel earum rudera paſſim cernuntur, ideo paucas earum Civitates Porph. enumerat, quæ neque admodum populatæ, neque magni circuitus fuere tunc, neque etiam hodie ſunt, quæ ſuperſunt, ideo parum ædificiis Croatos delectatos oſtendunt, immo ſi quæ ædificia elegantioris ſtructuræ reperiuntur, poſt extinctum Regnum Croatorum conſtructa dignoſcuntur, ut dicetur, Romanæ vero magnificentiæ diverſis per Croatiam locis veſtigia adhuc cernuntur. Croatos autem, tam inter ſe, quam a Dalmatis Slavorum nomine nuncupatos in ſcripturis antiquis reperitur, in privilegiis autem tantum ſe Duces, & Reges Croatorum non Sclavorum nominarunt, Dalmatas vero ab eisdem Croatis, etiam Latinos nominatos, reperitur. Nomina vero propria, tam Croatorum, quam Dalmatarum in ſcripturis poſita, ex diverſitate facile diſtingvuntur, etiam ſi non exprimantur quorum ſint, prout ex ſequentibus patet.

Ex Regiſtro antiquo Privil. S. Gregorii Monachorum Iadræ.

Anno Dominicæ Incarnationis 1070. *Indictione* 9. *Romano tertio Imperante, Croatiæ vero R. Creſimiro Regnante Zuonimiro Bano. Ego Croatinus, & frater meus Luca Strah, concedimus monaſterio S. Gryſogoni territorium in loco quod dicitur Sechirani, contiguum territorio ejusdem Eccleſiæ, præſente Petro Abbate, perpetuo retinendum; Qui autem hanc noſtram donationem ſubtrahere voluerit, Omnipotentis iram incurrat.*

Actum hoc eſt in Civitate Iadera his coram teſtibus Dragoteſte Priore, Cuſma Iupanus de Licca teſtis, Adamizo None Iupanus teſtis, Majus Iadere Iudex teſtis, Candido teſtis, Dabro bone muſe teſtis, Andreas Epiſcopi filius. Ego Adam Presbyter monacus rogatus a Donatore, & veritate comperta manu mea ſcripſi.

Anno ab Incarnatione D. N. I. Chriſti, 1072. *Indictione* 7. *Reg. glorioſo Croatiæ, Dalmatiæque Rege Creſimiro. Viſum eſt Nobis fratribus Zovine, Doſimiro, Petro, Gromile, & Slavizo, ut pro remedio animarum noſtrarum, vel parentum noſtrorum defunctorum, quorum nomina ſunt hæc, Veliacus, Stephanus, Tomidrag, Vachemir, Radomir; Fæminarum quoque defunctarum nomine Petrona Bolenega clare Cœnobio Sancti martyris Chryſogoni &c.*

In fine.

Actum Civitate Nova, in præſentia præfati Regis Druzinie Ded teſtis, Pribidrugo Poſtelnie teſtis, Druganna Scutarius Regis teſt. Adamizo Iup. teſtis, Deſina teſtis, Prodanus Iup. teſtis, Majus Iudex teſtis, Preſtantio Doda teſtis. Petrus Comerzarius teſtis, Candidus teſtis, Nichifoues teſtis. Ego Adam a prædictis Donatoribus rogatus manu mea ſcripſi.

CAPUT XVI.

De Moribus Dalmatarum.

PAucæ quædam Scripturæ Trag. Spal. Iadræ, & Arbi ſuperſunt, ex quibus mores Dalmatarum, qui temporibus Regum Croatorum fuerint, colligi poſſunt, de cæteris autem Civitatibus, cum nullæ prorſus reperiantur, ſimilia præſumenda ſunt.

Democraticum namque ſtatum Dalmaticarum Civitatum, tunc fuiſſe, antiquo Reipublicæ Romanæ more ſervato, ex ſequentibus patet.

Ex Originali membrana Mon. S. Nicolai Monialium Trag.

In nomine Domini Noſtri Salvatoris Regis æterni, Anno Dominicæ Incarnationis 1064. *Indictione ſecunda Regnante Domino Noſtro, ac Pyſſimo Aug. Conſtantino Duce, & Magno Imperatore, Civitatis vero Trag. regente Cathedram Iohanne Ven. Epiſcopo Rethorico, una cum Domno Dabrana Inclito Priore, & cum fratre ſuo Andrea omnibusque Nobilibus, ſub illorum namque temporibus hoc præcipimus Privilegium conſcribi nos omnes, vid. Staligato, Georgius, Tridullo, Dabro, Sepalato, Calafato, nec non Vitaza, & hoc noſtra ſpontanea voluntate, de hoc, quod ipſe jam dictus Epiſcopus nos per plurimum rogaverat, ut Eccleſiam, quæ noſtra erat, ſcilicet domus Beati Domnii, ubi Porta Dominica vocatur, ibi Monaſterium ancillarum Domini concederemus conſtruere; Nos vero conſulti omnes, & quia noſter Rector, ac Protector permanſerat, magis pro remedio noſtrarum animarum illum audivimus, ibidemque Domino annuente Monaſterium eſſe affirmavimus; Ubi, & Abbatiſſa non poſt longum temporis ſpatium nomine Eufemia introducta fuit, cæteris*

cæteris cum sororibus; Post hæc, Dominæ Abbatissæ similiter terras, & vineas judicavimus, suæque potestati commisimus; insuper, & litus juxta eandem Ecclesiam ad obsequium sui ibidem concessimus; sed in tali pacto, & in tali tenore, ut jam dicta Ecclesia, qua nos Monasterium fieri concessimus alium Dominum, præter nos, non haberet, etiam unus ut ibi advocatus mitteretur ex nobis ad regendum, & gubernandum necessaria: Quod, & affirmatum fuit ante notitiam præfati Iohannis Episcopi & Dabranæ, ejusdem Urbis Prioris, & Mirice, Bogoboyse, ac Andreæ, nec non Nobilium, & ignobilum Tragurini Castri, qui hujus rei testes fuerunt. Unde si quis hanc nostram definitionem disrumpere tentaverit, trinum & unum Dominum habeat iratum, & 318. Sanctorum Patrum consequatur maledictionem, deglutiat eum Terra, sicut Dathan, & Abiron, veniatque super eum lepra Naaman Syri, & cum Iuda proditore denotetur in Infernum.

Ex membrana Originali Mon. Sancti Benedicti Spalaten. nunc Sancti Raynerii dicti.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Anno quidem Dominicæ Incarnat. 1069. *Indictione vero* 7. *Regnante Cresimiro Rege Croatorum, Dalmatinorum Ego Laurentius nuper Asparen. Ecclesiæ Præsul, divina ministrante Clementia, cujus absque nutu nulla consistunt, nulla inesse, nulla in Mundo videntur deesse, Spalatinæ sedis electus, & ordinatus Archiepiscopus. Igitur magnitudinem miserationis ejus considerans, Imperiumque formidans. & illud quod exegiturus est quandoque in judicio futuro expavescens, dicente Scriptura, cui plus committitur, plus ab eo exigitur, cœpi æquanimiter de tanto mihi grege a Domino commisso, quomodo qualiterve tibi æterni, verbi possim concedere pastionem, denique prout ætas, aut sexus cujuscumque exigebat, divina largitate suggerente illis necessaria sufficienter subministrabantur. Verum tamen locus, immo portus fœminino sexui perfectæ Salvationis nusquam inveni, in quo religiosam, & Deo placitam vitam agere posset. Unde factum est, & communi cum Consilio locum sibi utilem aptarem, Monasterium construendum Clericorum* 1. *& Laicorum fidelium, Valizæ Prioris, cum suis Nobilibus cunctis, inventoitaque loco cum Ecclesia, quæ ad honorem S. Benedicti constructa fuerat, quæ etiam Cella Beatissimi Domnii Pontificis, & Mart. Christi Clerici, & Laici sub iure jurando confirmaverant esse. Inventæ quoque sunt, & personæ, quæ ibidem Deo devote adessent servituræ; Inprimis Domna Chatena: Nobilissima fœminarum, quam postea Abbatissam vidimus Domino volente, sua cum sorore Stana, Donnaqne, Anna, & Donna Agapis, ac Donna Vera cum cæteris Deo devotis personis. Quibus, ut superius, cum communi consilio locum concessimus ad Monasterii constructionem & ad nostrarum animarum dignam remunerationem: Tali denique pacto, talique confirmatione, quatenus sit illud prælibatum, Deo volente, Monasterium ita liberum, & absolutum ab omni sæculari nexu, ab omnique pactione securum, quemadmodum Monasterium Protomartyris Stephani a nostris Antecessoribus statutum & ordinatum videtur. Quibus inprimis ad auxilium, & solatium inferiorem pavimentum cum Caneva Turris S. Petri omnibus eiusdem Ecclesiæ Creditariis consentientibus consessimus. Imprimis Duimo Zoppo, Formino Pudichino, Presbytero Bisantio, Duimo Dragaviti cum Marcula Vxore sua, & filiis suis Pedrana, & Drago, Domna Anna muliere ..... Naplate, non enim ibi congregatio esse poterat sine hoc. Hæc etenim ante horum notitiam testium donatio facta fuit, videlicet dono Ioannis Monachi Venetici, Gregorii Presbyteri. Masca Petri Archidiaconi, Presbyteri Petri, omniumque Clericorum, Prioris Valizæ Meliodemi prænominati Duimi, Claudi Mesagalina, Duimo filio Valizæ, prænominati, Duimi Dragaviti, ac Nobilium Laicorum Civitatis Spalatinæ, sed quia incongruum, & inutile videbatur eisdem sanctimonialibus fratres, vel servitores sexus masculini pariter commorari, habito consilio studi se, locum, in quo Provisores Ancillarum Dei seorsum manerent, perquirere statuimus. Itaque Dei ordinatione locus & Ecclesia, quæ a Bonæ memoriæ Viro S. Sacerdote Andrea quondam ad honorem Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ constructa videbatur, inventa est. Vnde communi omnium Clericorum, ac Laicorum Prioris videlicet memorati, omniumque Nobilium voluntate. Nec non illo eodem consentiente, cui ejusdem Ecclesiæ cura fuerat data, in potestate Dei Servorum ad regendum commodatæ, illam præfato Cœnobio cum Terris, ac Vineis, vel Libris, seu quidquid habere videbatur ad auxilium firmantes. perpetuo concessimus. Ita quidem, ut restaurationem sui status nullo tempore, quod est illud ædificii, vel divini officii amitteret. Ad hæc ante stabilivimus, si habuerint navigia, sive commertia eant, & redeant. Piscatores Gyrrum, sibi galetam præbeant unam, Alii autem Piscatores singulos cum habuerint deferant pisces. Quodque navigium frumenta deferens singula modia contribuant. Terra, quæ prope Monast. est, quæ dicitur ad gusternam, quia in commune erat sibi concessimus. De Sororibus autem, quæ nunc, Domino servituræ, ibi ingrediuntur, & quæ, eodem invitatæ, ingressuræ aderint suis facultatibus, vino territoriis libera cuncta, quæ in præfato Monasterio obtulerint territoria, volumus adesse ab humano cuncta servitio 1. & ab illo, quod vulgo Zirum dicitur. Verumtamen, & hoc, quod sibi injunctum est a Nobis, gratia honoris nostræ Metropolis Ecclesiæ in præcipua festivitate, vid. Beatissimi Domnii duos quippe cereos, singularum librarum, & duas oblatas tantum offerant in tributum. Dein vero nulli subjaceant tributo, nullive subsistant, nisi gratiæ dilectionis, & muneri orationis. Acta sunt autem hæc mense duodecimo ante notitiam horum testium, inprimis Valizæ, & Nichodemi Priorum, Petri Archidiaconi, Michæ Archipresbyteri, Donni Ioannis Presbyteri, & Monachi, Basilii Cappellani, Stephani Presbyteri Ioannis, Presbyteri Pepini, Michæ Presbyteri, Martini Presbyteri, Ioannis judicatoris, Duimi Donni Petri, Ioannis Mesagallinæ, & fratris ipsius Ioannis de Porta, Duymi Donni Cragi, Formini Busicæ, & omnium Clericorum Sancti Domnii, & Laicorum Spalatinæ Vrbis. Si quis autem quod absit, hujus nostræ confirmationis violator temerario ausu extiterit, iratum habeat trinum & unum*

Deum, & CCCX. & VIII. Sanctorum Patrum consequetur maledictionem, & cum Iuda perpetuam sustineat damnationem; Ego vero Theodorus, licet immeritus Presbyter, & Cancellarius Ecclesiæ S. Domnii: pro jussione Domini mei prænominati Archiepiscopi hujus confirmationis dictaminis Scriptor & Testis sum.

Ex antiquo Registro Privilegiorum Monasterii Sanctæ Mariæ Iadrensis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1072. Indictione 8. Ego Andreas Præsul Iaderæ Vrbis, una cum Drago Priore, Clero, & populo ejusdem Civitatis: placuit Nobis dare Insulam Silvæ, & veram libertatem, veramque ingenuitatem Monasterio Sanctæ Mariæ, sito in eadem Vrbe, in die consecrationis ejus Basilicæ, jure perpetuo tenendam, ob salutem omnium nostrum vivorum, & defunctorum, quod si quis protervus deinceps hoc nostrum actum violare, aut rumpere temptaverit in aliquo, & vim Sanctis Monialibus, illic habitantibus, vel usque ad formellam casei rapuerit, divinam & Sanctorum ejus, & nostram percipiat maledictionem, & medietas domus ejus cadat in publico. Ego Ioannes Iudicator laudo, & confirmo, Candidus laudo & confirmo. In Christi nomine, Ego Dragus gratia ejus, Prior Iadræ Urbis una cum Nobilibus, & omni populo hujus Civitatis tibi Domina Cicha Abbatissa, tuisque sororibus præsentibus, & futuris, placuit nobis concedere propter Deum, & Sanctam Dei Genetricem, & pro salute animarum, & corporum nostrorum veram libertatem, quam nullum ex nostris Monasteriis habet, ut non Cavallus non famulus, usque ad formellum casei per vim aliquis eis tollerit, & si quis hoc nostrum rumpere, vel contraire voluerit, Deificam habeat maledictionem, & incurrat eis pœnam medietatis domus suæ.

Actum est hoc in die consecrationis Basilicæ Sanctæ Mariæ ante Andream nostrum Episcopum, & ejus Clero, & Madio Abbate, & Trasone Abbate L. D. G. Spalat. Sedis Archiepiscopus, Petrus Arbensis, Petrus Vegliensis Episcopus I. Traguriensis Episcopus, B. Belgrad. Episcopus, A. Nonensis. Episcopus G. Abb. Monasterii Sancti Stephani, Petrus. I. Nicolai Io. S. Michael; Dabrana S. Petri cum omnibus Clericis, & Laicis Dominum timentibus, Iadertibus, Iadertinæ S. Ecclesiæ congregatis nobis plurimæ ventilandæ & examinandæ allatæ, ut moris est generalis Concilii confluerent, interea etiam nihilominus illud affuit muniminis scriptum, quod Episcopus, & Prior Nobiles, & ignobiles Iadrensis, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ semper Virginis Monast. vid. & Virgin. Deo devote famulantium noviter in eadem Civitate inter se temporibus constructo, tempore consecrationis, jam dictæ Ecclesiæ devote, & alacriter concesserant Insulam Silvæ; hoc denique licet continens, ut quæ de solo patrimonio Nobilium puellarum illuc ob Amorem Christi concurrentium ædificatum fuerat, sic ab omni festatione tributi quiete viverent, ut liberæ ab omni mancipatione humani servitii toto mentis affectu servirent, cui se desponsantes ancillulas tradidere. Hoc solummodo petentes, Abbatissa ingenuitate præcipua, nomine Cicha cum omnibus sororibus volentibus illis amplissima de Fisco Civili dona conferre, quod namque dum diligentius perscrutantes investigaremus, illud inde cassare studuimus, quod cassandum, & impossibile ad observandum perspeximus. Inerat siquidem ei, ut si quis ex omnibus bonis Monasterii usque ad formellam casei violenter præsumeret anathematis vinculo ex triplo ligaretur, quo jure abraso, stabilita firmare salubrius decrevimus. Ita quidem ut nullus de Clero, vel populo magna, vel parva persona ingemuus vel servus abinde in antea quicquam violenter auferre præsumat, quod si præsumpserit, & emendare post hæc, tam quærimoniam resistendo voluerit, anathematis vinculo innodatus intereat, excepto quod Prior sæpedictæ Civitatis pro communi utilitate omnium Concivium ipsemet, vel alius ejus iverit, vel suum legatum transmiserit, quod tamen cum omni honestate, & mensura fiat. Hoc denique promulgato acclamatum est, si placeret, succlamatum quoque est omnibus, placet.

Ex quibus, & Democraticus Civitatum status apparet, & monasteria non æqualem libertatem habuisse, & ad contributionem in communi necessitate obligata fuisse.

Magistratus, quo Civitas quæque regebatur *Prior* vocabatur (qui etiam in Belgradensi Civitate, quamvis Croatorum fuit) quæ uti maritima cum Dalmatis aliquando sensisse reperitur *Tribuni* etiam (qui ut plurimum *Trun* vel *Trum* per abbreviationem scripti reperiuntur) & Iudices in Civitatibus erant.

Hæc tantum ex scripturis superstitibus, de moribus Dalmatarum tradi possunt, quos quondam sui juris effectos, neque Rom. Imperio, neque cuique alteri paruisse Porph. ait, tamen Orientale recognovisse Imperium ex Magistratibus Græcorum in Dalmatia, & Imperatorum inscriptione passim in scripturis publicis, & privatis usitata constat; Nam etiam Regum Croatorum tempore inveniuntur Iadræ, Stratigo Catapanus, & Proconsul Dalmatiæ, ut dictum est; Sed postquam Reges Croatorum Dalmatiæ titulo usi sunt, quam Iurisdictionem in Dalmaticis Civitatibus habuerint, tenuis memoria ex sequenti scriptura remanet, scilicet Appellationis.

Ex sanctuario Ecclesiæ Arben.

Ab Incarnatione D. N. Iesu Christi 1062. Indictione 15. Imperii moderante habenas Domino Comneno, Croatiæ, Dalmatiæque regimen D. Gubernante Petro, divina crescente Religione, plurimi Christianorum relinquentes sæculum, soli Deo vixerunt, alii, variis tormentis sua macerantes corpora, spiritum exulaverunt, ex quorum numero non sumus, licet tamen de Dei timore compuncti corde, delictorum nostrorum reminiscentes reatum, nos omnes accolæ Arbianæ Civitatis ardenti dilectione nimio voto unanimiter in Insula nostra expectamus fundare Monasterium, portumque salutis animarum nostrarum. Igitur in principio Ego Episcopus Drago, cum omni nostro Clero, & Majus Prior, cum omni populo prædicto, Urbis Nobilibus, ignobilibus, majoribus, minoribusque communi consensu, & in honorem Domini nostri Iesu Christi, & veræ perfectæque Trinitatis, ac D. Mariæ Genitricis Dei, semperque Virginis, ac omnium Sanctorum in nostrum

EGYETEMI KÖNYVTÁR BUDAPEST

strum Monasterium construi .. tibi Fulconi Abbati, tuisque successoribus concedimus, stabilimus, & perpetuo Iure roboramus unam Ecclesiam, quæ est ædificata in nomine B. Petri Apostolorum Principis cum suis Appenditiis, per hujusmodi finem.

Primitus, a Capite, maceriæ a monte usque ad rivum, & descendendo per rivum usque ad mare, & per mare ad molendinum, & ascendendo per montis verticem, & eundo per illum, usque in priora confinia, tibi Fulconi Abbati, ac successoribus tuis perpetualiter impendimus. Aliam denique Ecclesiam sancti Cypriani vocabulo conditam cum pertinentiis, & appenditiis suis concedimus, per hujusmodi finem, a Valle obscura, usque in Vallem de Trassina, alias tres partes mare invadit, una cum marina, omnibusque scopulis ad istud promontorium subjacentibus, & Valles, quæ sunt apud Sanctum Cyprianum, & alias, quæ sunt apud Sanctum Petrum, hac conditione donamus, ut nullus, sine vestra jussionis licentia, piscatum intraverit, quartam partem piscium attribuat Monasterio Sancti Petri. Hunc autem Nos Drago præscriptus Episcopus de voluntate totius nostri Cleri & Majus Prior, & cunctus populus tibi Fulconi, tuisque successoribus ita vobis concedimus, ut ubicunque de his duobus venerandis locis complaceat vobis Domino cooperante Monasterium construatis vobis, vestrisque successoribus, sicut sacra Beatissimi Benedicti edocet Regula, integre illa veneranda loca, ut superius constituimus cum suprascriptis Ecclesiis, & omnibus superioribus, & cum viis suis ingrediendi, & egrediendi, habendi, possidendi, & omnem ordinem Monasterialem ibi faciendi concedimus, nullam namque reservationem cuilibet parentum vel hæredum aliquorum nostrorum facimus, inde autem quamlibet portionem requirendi; Sed eo modo constituimus, & stabiliendo firmamus, ut si aliquo tempore, vel nos, vel aliquis nostrorum parentum, vel extraneus vobis, aut posteris vestris molestiam intulerit, volens inde aliquid aufferre; vel minuere, & non erimus vobis ab omnibus defensores, & adjutores centum libras auri componamus in Monasterio, & hoc privilegium, & constitutio firma permaneat. Et si aliqua proterva Causa infra hanc nostram constitutionem adversus vos orta fuerit, jubemus, ut coram Episcopo, & Priore, seu omni populo proclamationem semel faciatis, ut si secunda vice, nullam vobis emendationem inde fecerimus, licentiam libere habetote discedendi a nobis & eundi ad Regem, & sicut lex docuerit, ibi emendet. Hoc privilegium tibi Fulconi, & tuis successoribus taliter scribere jubemus. Actum in Urbe Arben. Iterum supradicta hæreditas S. Cypriani sit communis cum Sancto Petro affirmamus, non a solo Episcopo vel meis parentibus, sed primo ab ipsa Ecclesia, & fratribus, & omni Clero, omnique Populo obtulimus Deo omnipotenti.

Ego Drago immeritus omnium Episcoporum cum omnibus Clericis confirmamus, & constituimus, ut quiscunque homo, seu de nostra Urbe, vel alienus, adversus hanc nostram constitutionem litigare tentaverit, anathematis vinculo perpetuo religetur, & omnipotentis Dei, omniumque Prophetarum, & duodecim Apostolorum ac 344. *Sanctorum patrum incurrat maledictionem, & cum Iuda proditore mancipatus in Inferno, & illam terribilem, & horribilem vocem mereatur audire, quam Christus dicturus est iniquis; Ite maledicti; Et qui defensor, & auditor extiterit, suavissimam illam vocem audire mereatur cum justis, venite Benedicti; Ego Dragus Episcopus signum † feci; Ego Ioannes Archidiaconus Signum † feci; Ego Diaconus Georgius signum † feci, Ego Barba presbyter signum † feci. Ego Ioannes Archipresbyter signum † feci, Ego Majus Prior signum † feci, Ego Martinus signum † feci; Ego Majus signum † feci, Ego Constantinus signum † feci. Ego Majus Gattus signum † feci. Ego Marinus signum † feci.*

Millesimo septuagesimo primo, Quemadmodum hoc testamentum bonum, & justum vidimus a vestro Episcopo, & Clericis cæterisque vestris Civibus corroboratum, & laudatum Ita Ego Crasimirus Rex eandem collaudationem, & confirmationem corroboro, & si aliquis instinctu Diaboli compulsus hanc corroborationem nostram disrumpere temptaverit, convenit sibi fortiorem nobis esse, & amicitiam nostram spernere.

Cum tamen nullum Privilegium Regum in aliqua Dalmaticarum Civitatum datum, neque de Terris, in Dalmatia sitis, aliqua Regis concessio reperiatur, nisi tantum de Insulis, quæ quamvis in Dalmatico mari sitæ fuere, tamen inter Croaticas numerabantur, ut dictum est; ideo præter tributum, de quo supra, quam tenuem jurisdictionem Reges Croatiæ, Dalmatiæ titulo Dalmaticis Civitatibus habuerint, ex eo dignoscitur, quod Crescimiri Croatiæ, & Dalmatiæ Regis aulæ proconsulem imperialem Dalmatiæ interveniisse constat. Dalmatas enim a Slavis præssos sup Imperii Orientalis protectione mari ut plurimum victitasse Porph. ait, quod ex supra relatis constat, nam fere tota Dalmatia in Insulis consistebat, & quamvis Iadra, Spalatum, & Trag. in continenti positæ sint, tamen cum major eorundem territoriorum pars in Insulis posita esset, pars continentis adeo exilis fuit, ut inde sibi alimenta suppetere non potuisse, facile dignoscitur.

Mari ergo vivere ut plurimum Dalmatas necessitas coegit, navigationisque usum commoditatem, & inde utilitatem attulisse dicendum est, & cum Adriaticum a Saracenis vexaretur Dalmatas pro Græcis cum Venetis in communi necessitate classem instruxisse ex Porph. constat, quod sæpius etiam eadem de causa even sse, conjectari debet, quamvis ab Auctoribus Dalmatæ non nominentur. Croatis, & Narentanis deinde Dalmatas infestantibus, Dalmatas Venetos advocasse, deditioneque Duci Ursеolo facta, auxilia contra Narentanos præstitisse ex Venetis Historicis apparet, quod etiam antea sæpius eadem de Causa eveniisse tenendum est. Nam Adriatici tuta navigatio ad Dalmatas, ex ejus navigatione viventes, & ad Venetos, crebra itinera per illud Constantinopolim facientes, ex æquo pertinebat. Ideo Venetos, & Dalmatas origine, lingua, religionis ritu, moribus, navigatione. (mutua etiam utilitate animos vinciente) adeo insimul conveniisse, ut quaslibet Venetorum expeditiones simul cum Dalmatis factas fuisse cuilibet æquo æstimatori conjectandum sit.

LIBER TERTIVS.

REgni Croatiæ, & Dalmatiæ juribus, moribusque relatis, quomodo Dalmatia ad Venetos, Croatia vero ad Vngaros pervenerit, hoc libro inquirendum est, & inter eosdem bella referenda, usque quo Vngari universo continente potiti sunt ; Veneti autem Insulas retinuerunt.

CAPUT I.

Quomodo Vngari Croatiam adepti sunt ?

DAlmatiæ, & Croatiæ Regibus extinctis, Sanctum Ladislauum Vngariæ Regem Dalmatiam simul cum Croatia acquisiviſſe communis est opinio scriptorum.

Hunni, qui a Scriptoribus Vngari dicuntur (vulgariter autem a suis Magyari indigetantur, qua etiam appellatione a finitimis hodie vocantur) a Patzinacis pulsi Pannoniam inferiorem, a Slavis tunc possessam, occuparunt, Italiam deinde, & Germaniam maximis populationibus afflixerunt, cum Duce eorum Geyza baptzimum susceperunt, cujus filius Stephanus, corona a Silvestro secundo insignitus, Regnum Vngariæ fundavit, quod a posteribus Regibus auctum ad Adriaticum & Euxinum usque extensum, per tot sæcula contra Cumanos, Tartaros, & Turcas validissimum fuit Christianorum propugnaculum ; donec, peccatis nostris ita poscentibus, Solimannus Turcarum Imperator totum fere occupavit, minima ejus parte in Christianorum potestate relicta.

Thuurocz. *Porph.* *Annal.* *Franc.* *Regino.* 889. 900. 983. 1000. 1554.

Rerum Vngaricarum Scriptores Iohannes de Thuurocz collegit, & Chronicæ Vngaricæ nomine vulgavit, in cujus prima parte Hunnorum originem Attilæque res gestas, ex variis auctoribus, compillavit.

In secunda vero Ungarorum in Pannonias adventum, seriemque Regum, & rerum gestarum usque ad Ludovici coronationem complexus est.

In tertia autem, librum Ioannis de Kikulevu ejusdem Ludovici gesta continentem posuit, & deinde historiam Vngaricam usque ad Matthiæ Regnum continuavit.

Sed sicuti prima pars ad res, de quibus agendum est, non pertinet, ita secundæ partis adhuc reperitur codex manuscriptus anonymi cujusdam, antiquo charactere exaratus, ex quo dignoscitur Thuuroczium eundem integrum inseruisse, & præterea aliqua quoque addidisse, quæ deinde Antonius Bonfinius fuse ampliavit ; quarum additionum, cum pleræque temporibus, & rebus gestis haud quaquam congruere videantur, ideo indicandæ, & examinandæ sunt, &, ut veritati pateat locus, sicubi res poscere videbitur, refellendæ.

Ait namque Thuurocz, & ex eo Bonfinius.

Rex (Salomon) & Dux (Geyza) cum bona pace iterum conveniunt, misit itaque Rex Zolomerus Dalmatiæ, qui sororius erat Geyzæ, nuncios ad Regem Salomonem, & Ducem Geyzam, & rogavit eos, ut propria pecunia eorum contra adversarios suos, scilicet Carinthios ipsum adjuvarent, qui tunc Marchiam Dalmatiæ occupaverant, Rex igitur, & Dux collecto exercitu, iverunt in Dalmatiam, & ablatam sibi restituerunt integre, Regi, Ducique dona Regalia, ac pretiosa Palatia, aurum, & argentum multum donavit.

Hæc de Zolomero, vel Suinimiro Dalmatiæ, & Croatiæ Rege a Thuuroczio relata, temporibus congruere non possunt, nam ex Privilegiis supracitatis Crescimirum Regem usque ad 1073. vixisse constat, usque ad eundem quoque annum Salomonem regnasse Thuurocz, & Bonfinius asserunt, manuscriptus autem antiquus codex de Zalomiro in Salomone, ne verbum quidem, ideo si talia secuta sunt, evenire non potuerunt Regis Salomonis tempore, quæ autem de Marchia Dalmatiæ a Carinthiis occupata tradit, de Croatia intelligenda essent, non de Dalmatia, ob id relata potius posteriorum Commentum, quam veritas Historica censenda sunt, nam manuscriptus Codex Thuurocz, & Bonfinius, Sanctum Ladislauum Dalmatiam, & Croatiam Vngariæ Regno junxisse, iisdem verbis referunt.

Adauxit enim Rempublicam Hungariæ ipse prius Dalmatiam, atque Croatiam suæ Monarchiæ Iure perpetuo subjugavit. Cum enim Rex Zoromirus sine liberis decessisset, Uxor ejus, Soror Regis Ladislaii ab Inimicis Viri sui multis injuriis prægravata, auxilium fratris sui Ladislaii nomine Iesu Christi imploravit, cujus injurias Rex graviter vindicavit, & Croatiam, atque Dalmatiam integraliter sibi restituit, quam postea a prædicta Regina suo subdidit dominio, quod tamen Rex non fecit propter cupiditatem, sed quia secundum Regalem Iustitiam sibi competebat hæreditas, quoniam quidem Rex Zoromirus in primo gradu affinitatis eidem attinebat, & hæredem non habuit.

Hæc

Hæc Vngarici Scriptores concordes, idem Io. Longinus Polonus, at Archidiaconus Spalatenſis *Qualiter Hungari ceperunt dominium Dalmatiæ, & Croatiæ c. 17. Eo namque tempore Rex Suinimirus mortis debitum ſolvit, nullumque ſuæ poſteritatis hæredem reliquit, ſic ergo tota Regalis ſanguinis deficiente proſapia non fuit ulterius, qui in Regno Croatorum rite ſuccedere debuiſſet; cœpit itaque inter omnes Regni proceres magna diſcordia ſuboriri, & cum diviſim, modo hic, modo ille regnandi ambitione ſibi Terræ dominium vindicaret, innumerabiles rapinæ, prædationes, cædes, & omnium facinorum ſeminaria emerſerunt, alter enim, alterum inſequi, invadere, trucidare quotidie non ceſſabat. Verum his temporibus extitit quidam ex Magnatibus Sclavoniæ, qui, cum a ſuis eſſet contribulibus multis laceſſitus injuriis, multisque damnis attritus, non ſperans aliter ſe poſſe tantis reſiſtere malis, in Hungariam profectus eſt. Tunc ad Regem Vladislaum ingreſſus, eum alloqui cœpit, perſuadens ei, ut ad capiendum Croatiæ Regnum, & ſuo dominio ſubjugandum exiret, dans ei plenam fiduciam, id facile poſſe complere, cum Regnum illud vacuum & ſine tutela Regalis providentiæ remanſiſſet. His ergo Vladislaus Rex indutus conſiliis abſque mora, coadunato exercitu copioſo, venit, & occupavit totam terram a Dravo flumine uſque ad Alpes, quæ dicuntur ferreæ nullo obice reſiſtente. Poſt hæc tranſivit Alpes, & cœpit impugnare munitiones, & caſtra, multaque prælia committere cum gentibus Croatiæ, ſed cum alter alteri non ferret auxilium, eſſentque diviſi ab invicem facilem victoriam Rex potuit obtinere; Nec tamen uſque ad maritimas Regiones pervenit, ſed audiens, quod quædam gens ſui Regni fines intraverat, in Hungariam repedavit; fuit autem Rex iſte non ſolum armis ſtrenuus, ſed Religione, & Sanctitate inſignis. Hujus temporibus gens Scitica in multitudine gravi intra Hungariæ fines irrumpens, magnas hominum ſtrages fecerat, ſed Vladislaus Rex, coacto in unum ſui Regni exercitu, in hoſtiles turmas viriliter irruens, divino protectus auxilio, majorem partem barbaricæ Nationis paſſim per campos ſtravit in mortem, alios vero extra Regni confinia effugavit.*

Sic Vngarici Scriptores, Zuonimirum ſine liberis mortuum, Archidiaconus vero, nulla poſteritate relicta, totoque Regali ſanguine extincto, ſcribunt.

Stephanum tamen ex Regio ſanguine poſt Zuonimirum regnaſſe, ſupra ex ejus Privilegio dictum eſt; Zuonimirum quoque filiam ſuam claudam Winiche, de Nobili genere Lapzanorum in uxorem tradidiſſe, ſimulque terram Karini conceſſiſſe, ejuſque poſteritatem Karinum poſſediſſe, ex Privilegio Ludovici Regis Vngar: dato 1360. 8. Novembris apparet. Quidquid tamen de Zuonimiri poſteris, & Regio ſanguine fuerit, S. Ladislaum Croatiam occupaſſe conſtat, & quamvis Cunnorum irruptionem ab Archidiacono memoratam manuſcriptus non referat, tamen Thuur. & Bon. S. Ladislavo in Slavonia exiſtente, id eveniſſe narrant, quod Archidiaconi dicta confirmare videntur, cum Slavonia pro Croatia ſumenda ſit, ut dictum eſt, & cum cæteras quoque expeditiones S. Ladislavi in ſeptentrionales plagas factas Thuur. & Bonfinius proſequantur, amplius in Slavoniam, Croatiam, vel Dalmatiam reverſum non memorant, ideo potior Archidiaconi opinio videtur, ſcilicet S. Ladislavum non perveniſſe ad maritimam regionem, nempe Dalmatiam, cum tempore Archidiaconi Civitates Dalmatiæ, maritimæ vocarentur, ad differentiam Croaticarum & Dalmatiæ Banus, Banus maritimus ad differentiam Bani Croatiæ, ſive Sclavoniæ diceretur, ut ſuo loco expendetur, quod confirmatur, ſimulque tempus elicitur, quando S. Ladisl. Croatiam acquiſiverit ex ejus temporis publico monumento. *Anno Incarnationis Jeſu Chriſti D. N. 1091. Kyri Alexio Conſtantinopoleos Imperante, tempore, quo Vladislaus Pannonioram Rex, Croatiæ invadens Regnum, Domnum Almum, ſuum Nepotem in illo ſtatuit Regem, Iadrenſi vero Cathedræ Domno Andrea venerabiliter præſulante, meque Drago Domini Preſtantii Epiſcopi Nepote jam tertio priorante.* Tunc ergo Vngaros prima vice dominium Croatiæ, vel ex Reginæ teſtamento, vel vocatos, vel jure belli acquiſiviſſe, dicendum eſt, non autem Dalmatiæ, ut infra clarius patebit.

apud D. Simeonem Gluibavaz I. V. D. Nob. Iadren.

ex antiquo regiſtro Mon. S. Mariæ Iadren.

CAPUT II.

Quomodo Veneti, Dalmatici Regni titulum conſecuti ſint?

VEneti Scriptores, tam vulgati, quam manuſcripti, Alexium Imp. Ordelapho Taletro eorum Duci, ob res pro Græcis contra Northmannos geſtas, Dalmatiæ titulum conceſſiſſe, uniformes aſſerunt, ſed cum ex traditis ab eiſdem, quæ geſta ſunt diſtingui nequeant, ideo ab illorum temporum Scriptoribus aliqua ſumenda ſunt, ut ſerie rerum geſtarum percepta, cauſæ belli, Tituliſque Dalmatici conſequendi occaſio appareant.

Græcos poſt diutinum bellum cum Roberto Northmanno, Imperante Michaele Parapinace, Italia excidiſſe, eundemque ut Turcis in Oriente reſiſtere poſſet, affinitatem quoque cum Roberto contraxiſſe ſuperiori libro ex Curopalata relatum eſt: Tribus deinde Nicephoris contra Parapinacem inſurgentibus, Botoniati Imperium ceſſit, qui cum Conſtantino Michaelis filio imperare cœpit, at Michael, ad Robertum fuga delatus, auxilia imploravit, ut Lupus Protoſpata illorum temporum ſcriptor re-

fert 1080. & *hoc anno Imperator Michael descendit in Apuliam quærendo auxilium a Roberto Duce contra Botoniatem ; Rob. Dux cum prædicto Michaele Imperatore perrexit Hydruntum ; missisque antea navibus in Insula Corife, quæ apprehenderunt eam, ubi & ipse paululum una cum Imperatore transfretavit, posuerunt-que mense Iulii ante Dyrrhachium obsidionem per mare, & per terram, quam Stolus Veneticorum veniens dissipavit, aperuitque Dyrracenis mare. Hoc anno Botonitates factus est Monachus, & Alexius factus est Imperator.*

Hæc breviter Lupus de prima Venetorum victoria: eandem quoque Anna Comnena Alexii Imperatoris filia in suis Alexiados libris late describit, relatis enim litteris hortatoriis a Patre in primordio sui Imperii scriptis.

lib. 3. *Præfectis maritimarum Civitatum, ipsisque Insularibus, Longobardos, & Allemannos contra Robertum provocat Henrico (Imp. Occid.) munera, & pecuniam pollicetur*, & descripta Roberti in Epirum exscensione, multitudineque exercitus ejus bellicosi subdit.

lib. 4. *At cum facile cerneret, quas haberet ad manum sperarevte copias, ne unam quidem partem ex plurimis, quæ Roberti exercitum conflabant, æquare multitudine posse, statuit sibi esse ex Oriente Turcos evocandos ; idque agere missis Nunciis cum Sultano cœpit. Venetos quoque concitare adversus Robertum studuit, oblatione, promissioneque donorum ab eis contendens, ut nauticum omnem suum apparatum quamprimum educerent suis portubus Dyrrhachiumque peterent, ac tuerentur, pugnamque navalem, cum Roberti Classe committerent : certis sibi in quovis suis præmiis : sive enim Deo juvante vincerent, sive ut sunt casus rerum humanitus aliquid paterentur, eadem se repensurum, quæ polliceretur. Quod si quæ præterea cuperent, quæ salva Republica concedi possent, facillimum in annuendo se futurum, concessionibusque firmitatem æternam, bullarum aurearum expeditione. adjunctarum. Hæc nequaquam aspernanda Venetis sunt visa. Miserunt ergo Legatos, qui postulationes ipsorum proponerent, quibus cum plane satis esset factum, solvit versus Dyrrhachium valida Venetorum Classis, multitudine navium omnis generis, & militari disciplina ordinatissimaque dispositione terribilis. Ea, magnos emensa maris tractus, appulit tandem ad locum dictum Pallia, ubi visebatur templum olim extructum in nomine purissimæ & superimmaculatæ Dei Matris, distans a Roberti Castris extra Dyrrhachium munitis, intervallo stadiorum ferme octodecim, Inde Veneti speculati Roberti classem e Regione Dyr. positam, copiosissime instructam, omni armorum, machinarumque genere, quibus, aut se se tueri, aut nocere hostibus posset, ausi sane non sunt eum lacessere, prælii-que aleam inire. At Robertus, eorum adventu comperto, Baimundum, comitante Classe, ad ipsos misit, cum mandatis, ut Michaelem Augustum ipsumque Robertum agnoscerent, venerationemque acclamatione testarentur ; ea re Veneti in crastinum dilata, insequente vespera, quoniam cessante vento admovere se littori non poterant, majora navigia in unam seriem ordinata, rudentibus inter se devinciunt, eumque, qui dici solet maritimum portum, ipsa simulatæ aciei structura, naviumque objectu magnarum, undique dispositio, efficiunt. Tum vero ligneas turres in loco velorum excitant, in quas attrahunt funibus, ordineque in iis locant, Scaphas omnes suas, certo armatorum numero in singulas tributo : Congesta ipsis telorum copia. Erant autem ea tela hujus formæ. Crassissimos stipites in partes dissecuerant, longitudine non ultra Cubitalem eos caudices duriores, gravioresque, ideo ad nocendum aptiores reddiderant magnis undique atque acutis infixis clavis. Sic comparati Francicæ Classis operiebantur adventum. Nec defuit illucescente jam die Baimundus, promissam heri acclamationem repetens, sed cum nihil aliud, nisi grandes in faciem contumelias referret, ignominiæ impatiens, toto impetu in navigia Venetorum invehitur, quem cætera mox Classe consequente, atrox pugna committitur a Baimundo præsertim, quem ultra innatum ardorem, aculei conviciorum irritaverant. Ergo dum instat færocius, Prætoriamque suam fixis Venetorum navigiis licentius, illi uno ex truncis, quos diximus ex alto in navem Baimundi devoluto, eam perforant, quæ, subeunte per labem aqua, cum sorberetur fluctibus, repente vectores pro se quisque fugere, & scilicet in id ipsum, quod fugiebant malum fuga ipsa, mergi enim metuentes, mergebantur in mari, hoc ferme fato absumti sunt omnes, qui Venetorum ictibus in ipso prælio non ceciderant : Baimundus vero in extremum discrimen adductus, ægre in aliud navigium evadens, se subduxit. Duce sic amoto in reliquos jam perculsos, Veneti vehementius invecti, plane omnes in fugam averterunt, insequentes usque ad tabernaculum Roberti, quin etiam exscensione subito facta, manum cum Roberto conserunt ; Quod conspicatus ex speculis arcis suæ Paleologus erubit, & ipse derepente, conjunctoque impetu cum Venetis, haud segni manu hostes adortus periculum usque ad Castra Roberti promovit, eo enim usque fuga, & trepidatio perlata est, cæsis per Campos gladio plurimis ; Veneti prædam multam in navigia sua reportarunt : Paleologus vero se in arcem recepit. Post hæc aliquot diebus, ibi morati Veneti Nuncios ad Imperatorem miserunt, indicaturos, quæ contigerant ; qui eos ut par erat benevolentissime exceptos, beneficiis omustos innumeris remisit, cum non modica pecuniæ Summa, qua, & Ducem Venetiarum, & alios sub ipso ejus Reipublicæ Magistratus munerabatur. At Robertus, Vir animi imperterriti, atque adversus omnes bellicorum casuum offensiones invicta constantia muniti ; Plane decrevit non alium huic bello finem, quam victoriam facere, talique proposito obdurare contratum Cœli, ac procellarum, tum hostilium terra marique incussionum Commeatum annonæ prohibentium incommoda. Nam nec ipse per tempestatem poterat navigia in tutum subducta mari committere, & idem illud incommodum clausi maris transitum Italicarum navium e Roberti ditione necessaria, ad ipsum comportare parantium arcebat. Accedebant imposita portubus circum omnibus præsidia Romanæ, Venetæque Classis, quorum intenta custodia mare adhuc magis invium Roberti usibus fecerat. Vt vero jam liberum mitiori Cœlo mare fuit, Veneti obsidere non contenti, velis,*

lis, remiſque oppugnatum Robertum pergunt : Quibus cum ſe adjunxiſſet Maurix cum Claſſe Romana, graviſſimo prælio contracto, Robertiani terga verterunt : Ex quo tempore Robertus faciendum ſibi putavit, ut omnes ſuas naves in continentem ſubduceret, libera poſſeſſione maris hoſtibus permiſſa. Sed & illa ejus offenſione Inſulares erecti, quique oram Epiri littoralem Oppidulis tenebant, & alii circum antea Roberto vectigales, aperte detrectare tributi penſitationem auſi jam ſunt. Vnde Robertus cito ſenſit, quanti momenti maris Imperium, aut ſaltim uſus liber ipſi eſſet ad rerum ſuarum non ſolum formam, ſed etiam ſalutem ſucceſſumque cœptorum. Conſtituit ergo renovato impetu bellum iterum terra ſimul, marique movere. Eadem fere Abbas Gaufridus Malaterra dictus Northmannus illorum temporum ſcriptor, ſed non ita diſtincte, ut Anna, quæ proſequitur deſcribere anguſtias exercitus Northmannici, terra, marique clauſi, animumque Roberti invictum ; adventum deinde Alexii, & de ineunda cum Roberto pugna conſilia refert ; Pugnamque initam contra prudentiorum ſenſum tradit, præſertim Georgii Paleologi, Dyrrhachii Præfecti, qui maxima laude eundem ab oppugnatione Northmannorum defendebat, hunc invitum ad ſe venire fecerat Alexius, ſed pugna victus Alexius Acridam aufugit, Paleologus vero cum cæteris fugere coactus Dyrrhachium redire non potuit, ob id ſolicitudinem Alexii de Dyrrhachii cuſtodia referens, ait : *Tamen Imperator eos,* lib. 4. *qui reſtabant Dyr. confirmare in officio, quo ad licuit, ſategit, electisque Venetis, qui Coloniam, illuc duxerant, arcis Cuſtodia mandata, cæteram gubernationem, propugnationemque Vrbis univerſæ Comiſcortæ ex Arbanis profecto, commendavit, ſcriptis ad eum de iis, quæ tali tempore facienda viderentur accuratis Literis* relatiſque Roberti conſiliis de Dyr. de iterum oppugnando ſubdit *qui vero Dyr.* lib. 5. *incluſi reſiſtere adhuc velle, ut ſuperius vidimus, videbantur : Homines attenti ſuis rebus, & Melphorum, Venetorumque Coloni plerique, audita Imperatoris clade, cædeque tot Ducum, ac virorum Principum, cum inſuper Claſſem utramque Romanam, & Venetam receſſiſſe cernerent : reputarentque ſecum, nec ſaltem experiendæ virtutis præſentem occaſionem dari : quoniam percrebuerat decreviſſe Robertum, eos lenta dumtaxat per hyemem obſidione circumcludendos, in vernam tempeſtatem totis Viribus oppugnandos differre ; his inquam perculſi, qui Dyr obtinebant, cogitare pro ſe quiſque intentius, ac disquirere taciti cœperunt, ecqua iniri poſſet opportuna ratio Salutis experiendæ, cavendique in poſterum, ne in mala periculave iis ſimilia, quibus modo defuncti eſſent, denuo revolveretur. His diu ſingillatim animo verſatis, congregatis aliquando in cœtum unum, ut in medium conſulerent, unoquoque, quod privatim ſapiebat, in commune proferente, poſt modicam ſententiarum altercationem, haud gravate conſenſerunt : Vnam optimam videri difficultatis, in qua eſſent explicandæ viam ſi cum Roberto agerent, eique certis conditionibus dederent Civitatem. Extitit præcipue in iſto deditionis conſilio ſuadendo urgendoque obnixum ſtudium cujusdam Coloni Melphenſis, quo multa in eam partem commemorante, monenteque, tandem in ejus eſt ſententiam deliberatio concluſa, decretumque ut portæ patefierent, Robertique poteſtati Vrbs permitteretur, qua is occupata, copias in eam ex Hyberno evocavit,* relatisque Roberti conſiliis, & Alexii in corroganda pecunia ſollicitudinem, qua templa etiam ſpoliavit, & quomodo abſente Roberto (qui Romam in auxilium ſummi Pontificis proceſſerat) Boemundus Alexium bis vicerat, deinde reverſo Roberto maximo cum apparatu ſubdit. *Hæc agente Roberto, nequaquam ceſſabat Imperator, aut* lib. 6. *ad tantas apparatuum minas deſpondebat animum. Scripſit primum omnium ad Venetos omni ratione ſuadens, ut rurſus in Robertum Claſſem armarent, pecunias in ſumptum navium, in ſtipendia militum largiſſimas liberaliſſime pollicens* relatiſque duabus victoriis Claſſium Romanæ, & Venetæ de Roberto ſubdit. *Hic ſive ut fit, ex præteritis ſucceſſibus nimia ſui fiducia, ſive contemptu hoſtium quaſi jam debellatum cum illis eſſet, ſolutius jam, & ſecurius ſe gerere cœperunt, quam in veterani, & generoſiſſimi Ducis Roberti adhuc armati vicinia par eſſet. Ac præter cæteram negligentiam, naves celeres, haud exiguam navalis exercitus partem, Venetias dimittunt, quaſi tot opus eſſet nuntiis ad præconium relatæ de Roberto nobiliſſimæ victoriæ illic faciendum* relataque Roberti aggreſſione ſequitur *Eum contra venientem inopinato audientes, non ſine admiratione Veneti, majora ſua navigia funibus inter ſe alligant, e regione portus Vrbis Corypho, & facto, quem vocant Pelagolimene, ſive Maris portu, parvas Scaphas in medium coegerunt, ſicque armati omnes operiebantur hoſtem ; neque is moram fecit, conſeritur atrocius longe, quam unquam antea prælium, ſummis viribus, animisque ſtant utrinque obnixi, ſeque ubique adverſos ferunt, nemine initium præbendi tergi faciente. Quoniam Veneti longa militia commeatus abſumſerant, quibus factas, & gravatas, habuerant naves, eæ jam nihil præter milites, & arma continentes leviores innatabant, quam ut regi poſſent commode, aqua ne ad ſecundum quidem uſque cingulum pertingente. Ergo cum eam partem, quæ hoſtes ſpectabat, urgerent corporibus ſuis milites, naves omnes in illud latus invertebantur ſenſim, donec ad extremum demerſæ ſunt. Erant in iis ad tredecim hominum millia. Aliæ porro naves ſimul cum vectoribus captæ ſunt. Robertus illuſtri ea victoria uſus crudeliſſime præteritarum dolorem cladium ſtuduit ulciſcendo conſolari.* & infra. *Non longum inde tempus fluxerat cum dromonibus, & trieribus Veneti paratis, nonnullisque a iis parvis, & velocibus navibus exercitu in majorem, quam antea numerum reparato in Robertum infeſti movent, ſtationem habentem circa Butrotum, conſertoque acri prælio, illum plane vincunt, multis ex ejus exercitu cæſis, pluribus demerſis, parumque abfuit, quin filium ejus Gidam, & uxorem Gaitam caperent. Cujus ſplendidæ victoriæ ſimul Imperator ipſorum nunciis indicantibus certior eſt factus, multis eos muneribus magnisque ho-*

noribus prosecutus est. Duci Venetiarum Protosebasti dignitatem cum congruo censu annuo contulit, Ecclesiis omnibus, quæ Venetiis sunt, satis magnum auri numerum quotannis ex Imperiali ærario pendendum constituit. Eximiæ vero Ecclesiæ structæ in nomine Evangelistæ Apostoli Marci, vectigales fecit Melphenses omnes, qui officinas Constan. haberent. Omnesque præterea officinas, ac tabernas alias, quæ a veteri Hebraica scala ad Biglam, sic dictam pertinent; simul & eas scalas, quæ intra istud totum spatium continentur, donavit. Præter magnas immobilium largitiones tum Constantinopoli, tum Dyrrhachii, tum ubicumque alibi illi petierunt. Quodque maximum omnium fuit mercimonia ipsorum cuncta quovis portorio, aut vectigali decrevit immunia in omne tempus esse in cunctis Romanæ ditionis locis, ut quidquid exportarent, importarentve, nihil ne obulum quidem redemptoribus fisci, aut publicanis, similibusve regiæ pecuniæ collectoribus, commercii, alteriusve tributi nomine, pendere cogerentur, sed plane liberam, cunctæque Romanorum Magistratuum potestati exemptam haberent mercaturam. At Robertus, ne post hanc quidem cladem quiescere potuit, relataque Roberti morte subdit: *Hunc inopinatum, tam acerbi hostis obitum Imperator audiens, sic respiravit, uti, si onus ingens, a longo tempore impositum humeris excussisset tandem. Nec cunctandum tali rerum articulo ratus, machinas intendit omnes, quo inter eos, qui Dyrrhachium obtinebant, dissensionum semina spargeret: sic facile futurum autumans, ut ea Civitas in suam rediret potestatem. Ad eam rem accersit, qui tum forte Constantinopoli Veneti fuerunt. Agit cum illis, ut dent litteras ad Amalphenos, Venetos, aliosque advenas, qui Vrbem Epidamnum frequentabant, quibus illis suaderent, ut commodare operam Imperatori vellent ad Dyr. recipiendum. Incumbebat in idem ipse per se insuper Augustus, nullum finem donandi, promittendique faciens. Persuasit facile; est enim universum Latinorum venale genus, & ex perdito pecuniæ amore paratum, solitumque carissima quæque prodere, ac paciscipro spe lucri sordidi. Dyrrhachienses igitur Præsidiarii, Colonique, ingentibus ab Augusto lactati sp bus, conjuratione facta, primum de medio tollunt, qui auctores fuerant arcis Roberto tradendæ, tum & illos, qui adhuc perstabant in ejus fide. His peractis ipsi ultro Augustum adeuntes, arcem ei dederunt, liberalitatemque vicissim ipsius plane prout speraverant in donis, atque immunitatibus largiendis experti abunde sunt.* Roberti victoriam de Venetis Lupus Protospata etiam memorat 1085, *prædictus Dux (Robertus) grandi apparatu navium, hominumque innumerabili exercitu, Brundusiopolim veniens, deposita ibidem navali machinatione, ingressus est in Adriaticum pelagus, perrexitque in Insulam nomine Cassiopim, ubi Stolus Veneticorum, & filius Ducis Venetiæ cum pluribus navibus erat infestus Duci Roberto; sed bello in mari inter eos confecto, victoria ad Northmannos concessit. Cæsa sunt in ea pugna plusquam quinque millia hominum. Præterea naves quinque captæ, & duæ cum hominibus submersæ sunt, ita ut qui gladium potuere evadere bellatoris, pelagi eos vorago glutiret.* Hæc Lupus, qui quamvis mortem Roberti referat, nullam tamen ex tribus Venetorum victoriis ab Anna relatis tradit, prout neque Abbas Gaufridus: sicuti enim in recensendis Roberti victoriis cum eisdem Anna convenit, ita quanti momenti eo bello Venetorum vires, maritimaque disciplina fuerit, apparet. Sed non inutiliter quis quærere posset, qua de causa priori bello inter Græcos, & Northmannos gesto, Veneti Spectatores fuerint: Secundo vero pro Græcis etiam victi contra Robertum dimicaverint: sed si perpendatur, quid priori bello ageretur, & quid secundo, causa facile apparet, priori namque laborabant Græci, dominium in Italia reliquum retinere, & per consequens fauces sinus in potestate sua servare, a quibus totius Adriatici tuta navigatio pendebat: secundo vero Northmanni, pulsis jam Italia Græcis, satagebant oppositam Epiri partem acquirere, indeque Ionium, quod cum Græcis commune habebant, integrum in eorum potestatem redigere: Venetis autem non conduxisse Ionium, in absolutam alterutrorum potestatem devenire conjectari debet, ob id priori bello, pro retinendis Italiæ locis, Græcis favisse nemo memorat, sed tantum Northmannos ab infestatione Dalmatiæ avertisse; ut scilicet Græcis Italia pulsis, Ionium inter eosdem, & Northmannos divideretur, & ipsi, utriusque Amici, liberam navigationem consequerentur, quod & evenit. Secundo vero cum Veneti cernerent Northmannos maritima Classe, & militari disciplina mollitiem Græcam prævalere, indeque Ionii navigationem, quam liberam jam nacti fuerant, turbatum iri, & ex Constantin. Imperio per tot sæcula quæstum exercitum se amissuros dubitarent, Latini contra Latinos, pro Græcis acerrime dimicarunt, & Roberti victorias retardarunt, quo mortuo dissensio inter ejus filios, maritimas expeditiones Northmannorum interrupit, Dyrrhachiumque & cætera loca a Roberto capta, Alexius recuperavit: Veneti vero navigationem Ionii Priori liberiorem, & ex privilegiis ab Alexio concessis, magis quæstuosam, quiete prosecuti sunt.

Quid autem hujus belli tempore Dalmatæ egerint, nemo historicorum memorat, tantum Maurus Orbinus, & Iacobus Luccari Roberto Spalatensi, & Ragusinos adhæsisse, eique triremes auxiliares misisse, ex Baldassare Spalatensi referunt, quod etiam congruere videtur cum Lupo Protospata (si Epidaurum antiquo vocabulo pro Ragusio sumatur) qui refert capto Dyrrhachio Robertum properantem summo Pontifici fere auxilium, *& Dux rediens ab Epidauro, sublecto sibi Boemundo filio suo perrexit Romam*, sed sicuti relati auctores Robertum multa Græcorum loca a Dyrrhachio ultra cepisse referunt, ita a Dyrrhachio

hachio citra, aliquid in Dalmatia conſecutum, nullus memorat : ideo Lupum potius *Epidamnum* antiquum Dyrrhachii nomen ab hiſtoriis uſurpari ſolitum poſuiſſe, quod deinde ejus Exſcriptores in *Epidaurum* mutaverint, cenſendum eſt, quam quod Robertus a Raguſio reverſus ſit, cum, quomodo Raguſium ipſi adhæſerit, nemo memoret : Baldaſſar autem, prout, & Michael Salonitanus a Luccaro, & Orbino nominati, cum vulgati non ſint, neque ubi nam reperiantur adhuc conſtet, quo tempore ſcripſerint, cujuſve auctoritatis eorum ſcripta exiſtimanda ſint, ex relatis ab eiſdem auctoribus judicari non poteſt. Dalmatas autem non minus antiqua in Imperium reverentia, quam propria, ſimul cum utilitate neceſſitas, ſi unquam alias, Venetorum protectioni adhærere, eorundemque fortunam cum propria, mixtam ſequi coactos, cenſendum eſt: ſicuti enim ſupra obſervatum eſt, Dalmatas cum Venetis ſæpe in communi neceſſitate arma aſſociaſſe, quamvis ab auctoribus raro Dalmatæ nominentur, ita multo magis auctis jam Venetorum rebus, idem feciſſe argui debet, quod facile conjicitur, ſi ſtatus Venetorum, & Dalmatarum, cum relata claſſe Veneta conferatur ; nam ſicuti ex ſolis Venetorum æſtuariis ingens ille numerus navium, & militum ab Anna deſcriptus, educi non poterat, ita in hac Claſſe circumquaque ex Adriaticis littoribus milites, Alexii pecunia conductos oportet, & cum proximis deinde temporibus, ſupplementa Claſſium Venetarum ex Dalmatia ſumpta fuerint, ut infra patebit, tunc quoque idem factum dicendum eſt, cum inibi nautas, & milites mari aſſuetos, & ex late patente continenti Croatorum, & Serviorum, itidem milites, & pro remigibus ſervilis conditionis viros, parvo pretio emi ſolitos, ſuo loco conſtabit : Et prout in Veneta Republica privati Cives mercaturas exercentes proprias naves, machinas, milites, & ſervos certa ſibi pacta mercede in publicum conferre ſolebant, eodem modo Dalmatas quoque idem feciſſe tenendum eſt : Communiter enim mercatoribus Venetis, & Dalmatis intererat libera Ionii navigatio, cum, quantum mari addicti fuerint Dalmatæ ex ſupradictis conſtet. Regibus enim uno tantum tributo obnoxii, utilitates, quæſtusque eorum in maritima induſtria reponebant, ideo omnes vires, conatuſque ſuos Dalmatas, pecunia Alexii allectos, in Venetam Claſſem contuliſſe, Venetisque adhærentes eorumdem nomine ab auctoribus cenſitos dicendum eſt. Anna etenim refert partem Claſſis Venetæ, majora ſcilicet navigia, quæ a Roberto victa fuere, tredecim millia militum habuiſſe, horum autem quinque millia cæſa Lupus refert, quem autem numerum militum, & remigum habuerit reliqua Claſſis triremium, quæ tunc aberat quisque perpendat, & quamvis celeriores naves Venetias dimiſſas ad victorias nunciandas, ſcribat Anna, tamen cum longa militia commeatus conſumptos, quibus majores naves gravatæ fuerant, ſcribat, hancque ob cauſam, ob ipſarum navium vacuarum in ſtabilitatem, in prælio demerſas, & victas refert ; ex quo non nunciandæ victoriæ cauſa, ſed panis nautici penuria, triremes recedere coactas apparet, & ad proximas Dalmaticas Civitates, commeatus ſumendi cauſa applicuiſſe, argui poteſt, cum easdem cito reverſas memoret, & eo magis cum referat, *nonnullisque aliis parvis, & velocibus navibus exercitu in majorem, quam antea numerum reparato* ſupplementis nempe ex proxima Dalmatia minorum navium Claſſe aucta, Venetos ſimul cum Dalmatis Rotis Robertum viciſſe concludendum eſt, quamvis ſoli Veneti ab auctoribus nominentur, prout Dalmatarum protectores, ideo Dalmatas Venetis adhærentes in eorum nomen tranſiviſſe, & pro Venetis a ſcriptoribus cenſitos tenendum eſt. His prænarratis, Hiſtorici Veneti concordes aſſerunt Alexium Imperatorem Vitali Phaletro eorum Duci titulum Dalmatiæ conceſſiſſe, aliqui quoque Croatiæ addunt, inter quos Dandulus in Annalibus, quam additionem perperam poſitam ſuo loco patebit : ex antiquis enim monumentis Dalmatiæ tantum titulo Vitalem uſum, Sanſovinus refert. *Nos Vitalis Phaletro divinæ gratiæ largitate Venetiæ, & Dalmatiæ Dux*, ſed ſi expendantur, quæ ſupra narrata ſunt de morte Zuonimiri Regis Dalmatiæ, & Croatiæ, turbiſque Croaticis inde ſecutis, & de acquiſitione Croatiæ a S. Ladislavo Rege Vngariæ facta ; cum hæc cuncta tempore Ducatus Vitalis ejusdem eveniſſe conſtet, exinde conjici poteſt, Alexium Imperatorem æquo animo non tuliſſe Croatici Regni ad Vngaros devolutionem, & Dalmatiam, cujus titulum Zuonimirus, ſpreto Imperio a legatis ſummi Pontificis habuerat, recuperare non poſſe invitis Venetis animadverteret, ut Vngarorum terreſtrem potentiam Croatico Regno auctam, acceſſione ſaltem maritima Dalmatica privaret, eſſetque ſimul qui Dalmatas ab Vngaris defendere, eorundemque unionem cum inimicis Northmannis impedire poſſet, claſſemque Venetorum auxiliarem Dalmaticis viribus fulcitam in promptu haberet, faſtumque Imperii, in tradendo titulo Dalmatiæ jam amiſſo, recuperaret, ingentibus beneficiis, a Venetis contra Northmannos præſtitis, devinctum, ſicuti maximas utilitates, & privilegia per totum Imperium, & in ipſa Vrbe Conſtantin. pridem conceſſerat ; ita eisdem jam Adriatici Dominis, titulum Dalmatici Regni, per extinctionem Regum vacantem, libenter conceſſiſſe, *ab* 1084. *uſque* 1096.

abindeque Ducem Vitalem, suosque successores Imperiali Iure, Dalmatiæ titulo usos, prout concordes sunt Veneti Scriptores censendum est: Ex quibus constat, causam consecutionis tituli Dalmatici Venetis præbuisse, eandem maritimam potentiam, qua Alexium tot victoriis pro ipso habitis devinxerant, occasionem vero Regum Dalmatiæ extinctio. Hoc modo ergo Veneti Dalmatiam, quam Ducatus titulo, olim ab ipsis Dalmatis oblatam, consentiente Imperatore, susceperant, tunc Regium titulum ab Alexio consecuti sunt. Indeque integram maris Adriatici ditionem ex Dalmatiæ accessione Veneti habuerunt; ex cujus conservatione, cum maris quoque dominium penderet, ideo pro ea retinenda, tot deinde bella, cum Vngaris, Græcis, & eorum fœderatis gessere, quæ suo loco referenda erunt.

CAPUT III.

De gestis Colomani Regis Vngariæ, & Croatiæ.

SAncto Ladislavo mortuo Colomanus, cedente Almo fratre, Regnum Vngariæ susceperit, fratrique Ducatum concessit, ut Thuur. refert, manuscriptus autem Colomani tantum successionem tradit, cessionem vero Almi non memorat, in cujus Regni primordio celebris illa Occidentalium in Terram sanctam expeditio secuta est, quorum *alii per Sclavoniam, alii per Hungariam, alii per Longobardiam, alii per mare venerunt;* sed quia tanta multitudo nullo ordine procedens, incolas locorum, per quæ iter faciebat, ob victualium necessitatem, rapinis infestabat, ideo ab Vngaris, & Slavis molestias sibi peperit, at qui Gotthefredo Duce (qui postea fuit primus Rex Hierusalem) a Colomano iter per Vngariam impetrarunt, disciplina militari procedentes, pacificam viam, & victualia prompta (a Rege ipsos, ob Priorum insultum cum exercitu usque ad fines comitante) obtinuerunt; Amicique inde Vngaris, & Regi discesserunt, ut illorum temporum Scriptores testantur, quamvis Thuur. & Bon. aliter de Colomano scripserint. Horum Peregrinorum molestia liberatus Colomanus, Rogerii Comitis Siciliæ filiam Vxorem duxit, ut Gaufridus Monachus S. Benedicti, Malaterra dictus, illorum temporum Scriptor refert lib. 4. cap. 25.

1095. *Rainerius de Agiles.*

Colomanus. Alamanus *autem Rex Vngarorum, audiens famam Siculorum glorioſi Comitis Rogerii, Legatos dirigens filiam ſuam in matrimonium concedi expoſtulat. Ille vero, quamvis honeſti viri, qui ad hoc venerant, eſſent, tamen illos honeſte a ſe dimittens, de ſuis etiam, ne fallatur, cum ipſis dirigens remandat: ut ſi executum, quod cœperat, velit, alicujus auctoritatis gradus, vel ordinis perſonas, quibus facilius credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exequi, Arduinum Iovienſem Epiſcopum, & Thomam Comitem, idem expoſtulatum mittit. Comes autem eos honeſte accipiens, ſecum detinuit: de ſuis honeſtos, & callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum præſentia a potentioribus regionis illius exequenda poſtulabatur juramento firmare logi. Quod Rex libenter annuens, per ſuum Ducem nomine* Alivum, *& reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandaverat, exequenda juramento firmavit. Sicque legatos Comitis, ut pactum firmatum remuntiant, munificatos a ſe dimittit. Comes autem relatione ſuorum accepta, haud ſecus, & ipſe legatos Regis a ſe dimittens, pluribus honoribus a ſe compilavit: Regi terminum, quo ſibi filiam ſuam mittat, ſtatuit. Anno itaque incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, apparatis, quæ neceſſaria erant, menſe Majo cum trecentis militibus uſque Thermas conducere facit, Henricum Leſcaſtrenſem Epiſcopum: & quosdam de fidelibus ſuis abinde, maritimo curſu uſque Pannoniam cum puella procedere faciens: qui navibus apparatis, puellam cum multis ſponſalibus intromittentes, velis vento commiſſis, proſpera aura flante per æquora feruntur: uſque dum in portum Albæ, qui Iuris Regis Vngarorum eſt, impune applicant. Hic Vincurius Comes Belligratæ miſſus cum quinque millibus armatorum obvius fuit: eamque cum his, qui cum ea venerunt, decenter excipiens, uſque ad Regem perduxit. Per totam Pannoniam nuptiæ Regis præconizantur. Vndique cum exenis concurritur. Et cum ſemper frequens, & numeroſa manus ex more cum Rege innumerabilem turbam plus ſolito nuptiarum, & novæ Reginæ viſendæ appetitis conflavit die terminato, præſentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & diverſis ordinibus dos puellæ regali more in publico proteſtatur. Rex, & Regina Catholice pariter deſponſantur: ſolemneſque nuptiæ in tentoriis, & ex virentibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullæ domus tantæ multitudini ſufficiebant. Nuptiis itaque regalibus expletis.* Ex quibus concordiam inter Colomanum, & Almum fratres, tunc viguiſſe, ut Thuur: refert apparet, & quamvis verba Gaufridi *Portum Albæ* & *Belligratæ* diverſa loca ſignificare videantur; tamen quia quod latine Alba Civitas, idem Slave *Bio Grad* vel *Belligrad* ſonat, unum, & idem ſunt, eaque fuit Civitas Belgradenſis Croatorum maritima, Iadræ proxima, cujus ſupra mentio facta eſt, & deinceps multoties fiet: notandum quoque eſt, Gaufridum Croatiam non nominare, quamvis, & Belgradum in Croatia fuerit, & iter ſponſæ uſque in Vngariam per Croatiam factum fuerit, ideo Croatiam prout partem Regni Vngarici, pro Pannonia, vel Vngaria ab ipſo ſumi apparet, & ſicu-

Almum.

ſicuti Almum Regis fratrem Ducem fuiſſe patet, ita quam partem Regni in Ducatum habuerit, non conſtat, ſed cum Thuur. referat diſſenſionem ejus, & Colomani, & trans Danubium infeſtis exercitibus concurrere voluiſſe, mediante flumine Tiſſa, (qui Tibiſcus hodie dicitur,) ideo Ducatum Almi trans Danubium fuiſſe conjici poteſt: Ex eis autem, quæ manuſcriptus Codex, & ex eo Thuur: iisdem verbis referunt de Colomano *iſte Dalmatiæ Regnum occiſo ſuo Rege, Petro nominato, in montibus Petergozdia Hungariæ adjunxit;* Archidiaconus vero Spalatenſis capite 17. ſupracitato ſequitur *denique Vladislavo Rege migrante ad Dominum, Colomanus ſibi in Regno ſucceſſit. Hic, cum eſſet vir ferocis animi, propoſuit totam terram uſque ad mare Dalmaticum ſuo dominio ſubjugare. Venit ergo cum multo armorum apparatu, & obtinuit cæteram partem Sclavoniæ, quæ ab Vladislavo fuit prætermiſſa,* ex quo, innui deberet, Sanctum Ladislavum univerſam Croatiam non acquiſiviſſe, Colomanumque reliqua ab ipſo prætermiſſa occupaſſe, tamen ex ſupra relatis a Gaufrido Monacho ejusdem ævi Scriptore patet, Colomanum in primordiis ſui Regni Belgradum Civitatem maritimam Croatiæ in poteſtatem habuiſſe, quæ cum in extremis finibus ſita ſit, ideo integram Croatiam Colomanum habuiſſe argui debet, ob id potius, ex diſſenſione cum Almo fratre, Croatiam deinde defeciſſe, conjectari poteſt, & Colomanum ipſam recuperaſſe, quod cum Vngaricis Scriptoribus concordat, nam quamvis ipſi Regem Dalmatiæ Petrum victum memorent, tamen quia Mons Modruſſiæ, & Petri Mons in Croatia reperiuntur, ſimiliter alter Petri mons, Petri Civitas, & Petri Planicies in Croatia maritima exiſtunt, ideo non Dalmatiæ, ſed Croatiæ Regnum tunc Colomanus ex eorundem Vngarorum ſententia cepit, vel recuperavit, ut clarius ex vita Beati Ioannis Epiſcopi Trag. in Iadrenſi oppugnatione inferius elicietur. At antiqua nota, quæ ad Calcem Chronicæ Archidiaconi Spalaten. reperitur, non vi, ſed deditione Croatiam ad Colomanum tranſiiſſe refert, cui, ſi Colomanus nepos, pro filio Sancti Ladislavi reponatur cætera congrue ſcripta ex ſupranarratis, & ſequentibus patebunt. *Colomanus* filius *Vladislavi Regis Hungariæ, ſtans in Regno loco* Patris *ſui, & quia multa ſtrenuitate vigebat, propoſuit totam Crovatiam, uſque ad mare Dalmaticum ſub ſuo dominio ſubjugare. Venit cum ſuo exercitu uſque ad flumen Dravæ. Crovattes vero audientes de adventu Regis, congregaverunt exercitum ſuum, & præparaverunt ſe ad pugnandum. Rex vero audita congregatione ipſorum, miſit ſuos Nuntios, volens ipſos gratioſe tractare, & pacta cum eisdem, ut voluerunt ordinare. Crovates vero audita Legatione Domini Regis, inito conſilio, omnes inſimul acceptaverunt, & miſerunt duodecim Nobiles ſapientiores de XII. tribubus Croatiæ, videlicet Comitem Gurram de genere Chacittorum, C. Hugrinum de genere Cuchachorum, C. Marmognam de genere Subithorum, C. Pribislavum de genere Suddomirorum, Georgium de genere Suacittorum, C. Petrum de genere Cithorum, C. Paulum de genere Guſichorum. C. Martinum de genere Carinenſium, & de genere Lapcanorum, C. Pribislavum de genere Polichorum, C. Obradum de genere Laſnicitorum, C. Iohannem de genere Iamomethorum, C. Mirogum de genere Tugumirorum, qui venientes ad Dominum Regem ei debitam reverentiam exhibuerunt. Dominus vero Rex ad oſculum pacis eos recipiens, & honorifice eos tractans, ad talem concordiam devenerunt, quod omnes prædicti teneant ſuum pacifice, & quiete, & quod non teneantur aliqua prædictarum generationum, nec eorum homines Regiæ Majeſtati ſolvere cenſum, niſi tantum teneantur Domino Regi, quando aliqui invaderent ſua confinia Regalia, tunc, ſi Dominus Rex mittet pro ipſis, tunc ire debeant, ad minus cum X. armigeris equitum de qualibet generatione prænominatorum ſuis ſumptibus, & expenſis usque ad flumen Dravæ. Inde verſus Hungariam ad expenſas Domini Regis uſque quo exercitus duraverit debeant permanere, & ſic extitit ordinatum de anno noſtræ Redemptionis milleſimo C. Secundo* cujus notæ teſtimonium comprobatur cum eodem anno Colomanum coronam ſumpſiſſe in Belgradenſi Croatorum Civitate pateat ex ſequenti ſcriptura, *ex Regiſtro Privilegiorum S. Mariæ Iadren Anno Incar. D. N. I. Chriſti* 1102. *Ego Colomanus Dei Gratia Rex Vngariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ ſalvo habito conſilio, poſtquam coronatus fui Belgradi ſupra mare in Vrbe Regia, rogatu ſubſcriptorum meorum Comitum, pro Charitate Dei, & remedio animæ meæ dono perpetuam pacem, & Regiam libertatem Monaſt. S. Mariæ Monialium, quod ſitum eſt in Iadera, ut ibi Deo devote degentes, ſervire Deum, interpellare, & pro ſtatu mei Regni valeant; nam nemo ſecularibus involutus curis, Deum, ut tanto decet ordini, contemplare poteſt. Vnde ſub iſtius Privilegii ſcriptione hanc dationem Regiæ libertatis ſic corroboro, ut nullus mei Regni audeat quicquam diſtrahere, vel auferre illi Monaſt. tam in mobilibus, quam immobilibus. Si quis vero contumax noſtræ Regali huic juſſioni contraire tentaverit, & aliquid de bonis Monaſt. uſurpaverit illi Eccleſiæ, quadruplum reddat, uſurpator vero cum ſuis omnibus Regali ſententiæ ſubjaceat, & hoc confirmamus noſtra ſigillatione iſtorum Comitum, Procopius Acrienſis Epiſcopus Laud. Singidunus, Ragorienſis Epiſcopus Laud. Iſaac Comes Laud. Petrus Comes Laud. Cladia Comes Laud. Saul Comes, Laud. Amec Comes Laud. Thomas Comes Laud. Andreas Comes Laud. Cosmas Comes Laud. Bocan Comes Laud. Dionyſius Comes Laud.*

Nepos. Patrui.

Ex qua, vel victo Petro, ut Vngarici Scriptores, vel deditione, ut ſupraſcripta nota, prima vice Colomanus ad mare pervenit anno 1102. primumque hoc Colomani privilegium reperitur,

in quo Regum Croatorum more, Dalmatiæ quoque titulo utitur. Northmannos tunc Adriaticam oram infeſtaſſe referunt Veneti Scriptores, quamvis de tempore non conveniant, & ob id cum Colomano fœdus ictum, & in Apuliam Claſſem miſſam memorant, idem manuſcriptus codex loco ſupracitato de Colomano ſequitur. *Galeas quoque Venetorum & naves ſolidans, & allocans pecunia maxima exercitum copioſum in Apuliam deſtinavit. Qui Apulia ſpoliata, per tres menſes in ea permanſerunt, ubi etiam Monopolim, & Brunduſium Civitates expugnantes, Venetiis ad tenendum pro utilitate Regis Colomani reliquerunt; ipſi autem in Hungariam abinde ſunt reverſi. Quæ quidem Civitates per ſoliatas Piſanorum miſſos per Cæſarem expulſis Venetiis ſunt rehabitæ* eadem Thuuroz, niſi quod *ſoliatas Piſanorum* in *Soldatos Pariſanorum* mutavit. Dandulus autem in Annalibus, Ducatu Vitalis Michaelis *hoc tempore Colomanus Rex Hung. miſit exercitum in Dalmatiam, & occidi fecit Regem Petrum, & per Legatos ſuos cum Venetorum Duce fœdus iniit contra Northmannos, & pariter exercitum in Apuliam ad eorum damna mittere ſtatuunt, parata autem Claſſe per Venetos Regius apparatus in Apuliam navigans Brunduſium, & Monopolim obtinent, & tribus menſibus Apuliam vaſtant, & redeunt* ad ſupradicta tempora Colomanum in Croatia maritima verſantem, pro communi defenſione cum Venetis contra Northmannos fœdus feciſſe ex concordi Venetorum, & Vngarornm ſcriptorum ſententia dicendum, quamvis Northmannici Scriptores illorum temporum nulla Venetorum, vel Vngarorum geſta in Apulia memorent, ſed utcumque hæc de Apulia evenerunt, cum Colomanus circa eadem tempora Eccleſiæ Spalatinæ Privilegia confirmaſſet hoc titulo. *Ex Regiſtro Privileg. Eccleſiæ Spalaten. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti anno ab Incarnatione ejus* 1103. *die* 15. *Junii Colomanus D. G. Hung. Dalmatiæ, Croatiæ, Rameque Rex.*

ab 1096. *usque* 1102.

Ideo ex Dalmatici tituli continuatione, inter Venetos, & Colomanum ſimultatem aliquam ortam oportet; quamvis Bonfinius præſumens a S. Ladislao prius, deinde a Colomano Dalmatiam, ſimul cum Croatia acquiſitam, a Venetis poſtea uſurpatam ſcripſerit, Veneti vero Dalmaticas Civitates a Croaticis non diſtinguentes, Croaticas maritimas, inter Dalmaticas numerarunt; ſic Vngari, & Veneti ſimul æquivocarunt, ideo in fœdere inter Colomanum, & Venetos contra Northmannos icto, de quo concordes ſunt utrique Scriptores veroſimilius eſt, cautum ne ob Dalmatiæ titulum (quod Veneti Duces jam uſuceperant, uti Dalmatiæ juſti Poſſeſſores) a Colomano, Belgradi Vrbe Croatica, quamvis maritima, pompa Regia, ut par eſt credere, ſumptum, quo etiam utebatur ulla quæſtio moveretur, donec fœdus duraret (ne ob inane tituli nomen communis defenſio poſthaberetur) quam quod Bonfinius contra Venetos de Dalmatiæ uſurpatione detorquet. Hæc Colomani in Croatia maritima fuere primordia, & Privilegia imitatione, & titulo Regum Croatiæ, Dalmatiæ conceſſa, ſed non eadem formula, neque ſubſcriptione alicujus ex Epiſcopis, & Comitibus Croatiæ, ideo Colomanum Croatos pro ſubditis Regni Vngariæ habuiſſe, & deinde ejus ſucceſſores multa pro temporum diverſitate ex arbitrio mutaſſe, inferius ſuo loco patebit.

1102.

Sed quid Regiæ libertatis datione Colomanus, Privilegium, imitatione Creſimiri, Monaſterio S. Mariæ Iadrenſ. concedendo, intellexerit, obſervandum eſt, nam Creſimirus Monaſteriis Belgradenſibus, non Regiam ſed ſimplicem libertatem concedendo nulli mortalium Monachos ſubjectos declaravit, ab omnique tributo, & vectigali Regio abſolvit; Colomanus autem imitatione ejus, cum nondum Iadram, Dalmatiamve poſſideret, monialibus S. Mariæ Iadren. Regiam libertatem tribuendo, Regium jus Croaticum remiſiſſe videtur; quod non de perſonis, ſed de Terris in Croatico Regali ſolo a monaſterio poſſeſſis, intelligendum eſt, eo magis quod Creſcimirus, & Colomanus pœnam imponant, non perſonas inquietantibus, ſed bona mobilia, vel immobilia monaſterii invadentibus: hinc obſervandum verbum *Regiam* Dalmaticis exprimi monaſteriis, non Croaticis, ex quo Dalmaticas Civitates, prout Imperii Orientalis, Imperiales dictas conjici poteſt ad differentiam Croaticarum, Regiarum vocatarum, ideo Regiæ libertatis datione, intellectum fuiſſe Monaſterii bona in Regali ſolo poſita, perſonasque monaſticas in prædiis degentes abſoluta Regia libertate uti, fruique debere. Tamen cum adhuc vigeret controverſia inter ſummum Pontificem, & Henricum Imperatorem de Inveſtituris Eccleſiarum, quid mirum ſi Creſimirus, Zuinimirus, ipſeque Colomanus aliquod jus in ipſis perſonis Eccleſiaſticis exercerent, prout ex ſupra poſitis eorum Privilegiis elici poteſt, præſertim Zuinimiri; ipſeque Colomanus confirmationem Epiſcoporum ſibi reſervavit, ut infra ex Privilegio Tragurienſi 1108. apparebit, immo inveſtituras Eccleſiarum, & Abbatum uſurpavit, donec coram Concilio Provinciali omnia remittens, Eccleſiaſticos Dalmatiæ antiqua libertate frui; & ad inſtar Vngaricorum nullius potentiæ Sigillo aſtringi, ſed lege Canonica judicari, declaravit: decimarumque exigendarum, & diſtribuendarum modum diſpoſuit, ut latius ex Privilegio Arbenſi Eccleſiæ conceſſo infra ponendo anni IIII. conſtabit, illa autem

ſupra lib. 2. c. 29.

ver-

verba *Regiæ libertatis* in *nullius potentiæ Sigillo* mutata fuere a Regibus Vngariæ posterioribus, ut ex Privilegiis Civitatibus concessis suo loco referendis animadvertetur.

CAPVT IV.

Quomodo Colomanus Dalmatiam occupaverit.

CConcordes sunt Veneti, & Vngarici Scriptores Colomanum Dalmatiam occupasse, de quo Archidiaconus loco supracitato sequitur *(Colomanus) itaque ad mare usque pervenit, ut Civitates maritimas occuparet, tunc ad Spalatensem primo accessit*, & narrata obsidione, & pace per Crescentium Archiepiscopum conciliata, subdit; *facta igitur conscriptione omnium, quæ hinc inde fuerant ex beneplacito stabilita, juravit Rex cum suis Principibus omnia firmiter observare, postera vero die juraverunt Spalatenses, primo quidem majores, deinde Iuniores, postea vulgus omne, & Colomano Regi, & ejus posteris, ut Regno Vngariæ subjecti, & fideles omni tempore permanerent. Tunc Rex Civitatem ingressus, valde honorifice a Clero, & populo susceptus est, & ea die procurratione affluenter, a Communi suscepta, confectisque ac traditis immunitatis Privilegiis profectus est, inde autem pertransiens, venit Tragurium, & deinde Iadram, a quibus Civitatibus simili exemplo susceptus; fecit eis libertatis privilegium, & sic in Vngariam est regressus anno Domini* 1103. Archidiaconum tamen, ex Privilegio Colomani concesso Crescentio Archiepiscopo quo confirmatione prædiorum Ecclesiæ Spalatensis in Croatico solo existentium, anno 1103. supramemorato, deceptum inferius patebit; nam vir Ecclesiasticus de politicis non admodum solicitus, privilegium quoque libertatum eodem anno datum præsumpsit, ipsomet Archiepiscopo Crescentio cum Colomano pacta concludente, & Spalatum prius, deinde Iadram Colomano deditam asseruit, diversum enim antiquior ipso scriptor vitæ Beati Ioannis Episcopi Tragurien. in qua de Colomano sequentia. *Colomanum Pannoniorum Regem contigit ad maritimas partes in manu potenti, & brachio excelso descendere, ut Regnum suæ ditioni subjugaret Illyricum, Croatiæ gentibus jam subactis, & quia Civitas Iadratina munitior & potentior ferebatur cæteris Civitatibus inferiorum partium Dalmat. tum natura loci, cum etiam multitudine populi bellicosi, contra illam primo direxit aciem exercitus universi, quam cum sibi nollet obtemperare circumcinxit obsidione & erectis adversus illam propugnaculis, & variis generibus tormentorum, non minimam stragem murorum Vrbis, & Turrium faciebat;* deinde narrato, quomodo B. Ioannes Regalem machinam miraculose fregerit, Civesque, in magna perturbatione, & metu existentes, liberaverit, pacisque conciliaror fuerit, subdit. *Satisfaciunt igitur Cives, juxta consilium S. Præsulis, Regiæ ditioni, & fit deditio pro Civium voluntate.* Hic animadvertendum est, auctorem vitæ, Regnum Illyricum, pro Dalmatico sumere, cum seorsim Croatiam nominet, quem scripsisse circa annum 1120. in notis ad eandem vitam ostensum est, prout, & Presbyterum Diocleatem, ipso paulo posteriorem Dalmatiam in Superiorem & inferiorem dividere, ut supra dictum est, quos sequuntur Treguanus, qui anno 2103. vitam ejusdem B. Ioannis ex antiquis Codicibus reformavit, & Archidiaconus Spalatens. Andreas autem Dandulus in Annalibus hæc eadem Colomani gesta referens, post processum Ducis Ordelaphi in Terram Sanctam ait. *Interea Colomanus Hungarorum Rex multis jam barbarorum gentibus occupatis, ad majora protendens Pannoniam hostiliter aggressus omnia, oppida montana Dalmatiæ accepit, & postea Spalatum obsidendo obtinuit; deinde ultro procedens, Iadratinam Vrbem regionis eminentiorem obsedit, & intrinsecos machinis, & aliis ædificiis impugnare non distulit: Illi autem promissæ fidelitatis memores, Regiis insultibus viriliter resistebant, & meritis etiam B. Ioannis Episcopi Tragurini, eis assistentis conservabantur illæsi. Rex vero dum belligere suum non posse obtinere intentum perpenderet, cogitavit illicitis promissionibus Cives allicere, & sic effectualiter agenti, Iadræ dominium Colomano subditum est: Hac igitur occupata, reliqui Dalmatini terrore commoti, per nuncios suas Civitates Regiæ voluntati obtulerunt: qui apud Iadram Curiam tenens Dalmatinos in suis libertatibus, & consuetudinibus conservare promisit, & Spalatinæ, Iadrensi, & Arbensi Ecclesiis, pro unaquaque Crucem unam contulit, & in Pannoniam rediit, & post pusillum improvisa morte sublatus est, quod divino judicio ex fœdere Venetis rubto, creditur contigisse.* Ex quibus constat, Dandulum Dalmaticorum scriptorum opiniones secutum a Chronistis Venetis discrepare, & sicuti ex Archid. primam posuit Spalaten. deditionem, ita ex vita B. Ioannis Iadrensem sumpsit, & quas auctor vitæ *Croatiæ gentes* a Colomano prius subactas scripsit, has easdem *esse Montanas Dalmatiæ* Dandulus asserit, nempe illam Croatiæ partem incolentes, quæ tempore Danduli Montana Dalmatiæ nuncupabatur, ut suo loco animadvertetur.

Iadrensem autem deditionem, quamvis paulo ante Colomani mortem secutam, Dandulus ponere videatur, tamen multo prius evenisse constat ex inscriptione Turris Campanariæ Ecclesiæ S. Mariæ Monialium Iadræ, adhuc integra existente, quæ talis est.

ANNO INCAR DNI NRI IHV XPI MIL CV
POST VICTORIAM ET PACIS PRAEMIA
IADERÆ INTROITVS A DEO CONCESSA
PROPRIO SVMTV HANC TVRRIM
SCÆ MARIÆ VNGARIÆ DALMACIÆ
CROATIÆ CONSTRVI. ET ERIGI
IVSSIT REX COLOMANVS

Extat quoque in antiquo Regiſtro ejuſdem Monaſterii inſtrumentum ejuſdem anni, ingreſſum Colomani teſtificans *Anno Incarnationis D. N. Ieſu Chriſti* 1105. *Indictione* 3. *Regnante piiſſimo Colomano Croatiæ, & Dalmatiæ primo anno, quo triumphaliter Iadram ingreſſus eſt.* Hæc ex Dalmaticis monumentis, quæ apud Hiſtoricos non reperiuntur eveniſſe conſtat anno 1105. & ſicuti inſcriptio Turris cunctis Iadram adeuntibus notiſſima eſſe debuit, ita Archidiacono quoque notam fuiſſe oportet, qui cum Iadrenſem deditionem poſteriorem privilegio Colomani Creſcentio Archiepiſcopo conceſſo ſupramemorato animadverteret, ideo prius Spalatum deinde Iadram deditam ſcripſit, Dandulus autem hujus inſcriptionis notitiam non habuiſſe videtur, ſed Archidiaconum ſecutus, Iadrenſem deditionem poſtponendo, paulo ante Colomani mortem ſecutam ſcripſit: Hæc de Iadrenſi deditione, ſed quid Veneti tunc egerint, inquirendum eſt.

Venetos enim Dandulus, & cæteri ſcribunt primam expeditionem in Terram Sanctam, Claſſe ducentarum navium, feciſſe anno 1093. ad quas inſtruendas, duos Proviſores in Dalmatiam miſſos, nominant, ſecundam vero anno 1104. ſecutam tradunt, ipſo Duce Ordelapho Phaletro Claſſem ducente, quem in Paleſtina diu moratum, expugnatione Sydonis interfuiſſe anno 1111. Andreas Maurocenus ex privilegiis Regum Hieroſolymitanorum Venetis conceſſis, probat: tunc quoque Dalmatas Venetorum Claſſem auxiſſe conjectari debet, quamvis eorum Hiſtorici id non ſcribant, prout in antecedenti, ex quibus Iadræ deditionem Venetis in Syria impeditis eveniſſe, conſtat: At cum ex hac Iadrenſi deditione bene percepta, reliqua, quæ deinde inter Venetos, & Vngaros ſecuta ſunt, & ab hiſtoricis diverſimode tradita, erroribusque, & æquivocationibus involuta, melius percipi poſſint, res eſt perpendenda, Colomanum poſt Sanctum Ladislavum Dalmatiæ, & Croatiæ Regnum Iure belli recuperaſſe, Vngarici ſcribunt Auctores, quod de Croatia, non de Dalmatia intelligendum eſſe, ſupra probatum eſt: ipſum tamen in Croatia maritima verſantem, Dalmatiam quoque acquirendi animum habuiſſe, ex Coronatione ejus Belgradi ſecuta, Dalmatiæque titulo ſumpto apparet, & ob fœdus cum Venetis contra Northmannos ictum diſtuliſſe, & Venetis in Syriam progreſſis Iadram aggreſſum, ut dictum eſt. Conſiderandum ergo quinam fuerit tunc temporis Vngarorum, Venetorum, & Dalmatarum ſtatus; ut inde aliqua conjectura elici poſſit, quæ ad intelligentiam dicendorum conferat, cum eorum temporum, neque Scriptores habeantur, neque ſcripturæ præter memoratas, reperiantur. Colomanus Regnum Vngariæ opulentum, & bellicoſum poſſidens, *Bonfin.* Iuvenis vafer, ferocis & elati animi, Dalmatiæ, & Croatiæ Regni partem a patruo prætermiſſam acquirere, vel, ex diſſenſione cum fratre amiſſam, recuperare aggreſſus eſt, & vel victo Petro, vel deditione, Croatiam conſecutus, cum Dalmatarum quoque ſubjugare niteretur, Dalmatiam animos ab Vngaris averſos, & Venetorum maritimam potentiam, Regiæ voluntati obſtitiſſe dicendum eſt, ideo induciis cum Venetis contra Northmannos firmatis, dilatum tunc, ſed non extinctum ardorem Regium poſtea apparuit. Nam cum deinde Venetos in Syriam progreſſos cum Dalmatarum auxiliis cerneret, tempus ſibi proprium ratus, debiles Dalmatarum Civitates propriis viribus auxiliisque Venetis deſtitutas opprimere conatus, Iadram cæteris validiorem aggreſſus eſt, ut hac expugnata, reliquas facilius acquireret, ut auctor vitæ B. Ioannis ſcribit. Venetos autem, & Dalmatas, fœderibus, vel induciis cum Colomano firmatis ſiſos, propriis viribus in Syriam progreſſis deſtitutos, Regiæ potentiæ obſtare non potuiſſe; ipſosque Iadrenſes, qui in Civitate remanſerant, machinarum tractandarum inexpertos, & ex murorum proſtratione animo conſternatos, ex ſupracitata vita B. Ioannis conſtat, & niſi miraculoſa induſtria ejusdem, machina Regia diſſipata jacuiſſet, ad ignominioſam deditionem Iadrenſes coacti fuiſſent, ſed fracta machina, Regem, ſpe potiundæ Vrbis ſibi dilata, animum, ad concordiam inclinaſſe, Iadrenſesque ad deditionem invitaſſe conſtat, deditio autem cum (pro Civium voluntate) ſecuta dicatur, pactis conventis firmatum oportet, quæ ſi extarent, omne dubium ceſſaret: at ſi illæ induciæ quinquennales, quas poſt Ordelaphi Ducis necem ob Syriacam expeditionem inter Venetos, & Colomanum Bonfinius factas ſcribit, (cum tunc Colomanus jam mortuus fuerat, ut infra patebit) *Vita B. Ioan.*

ad

ad hoc tempus retrotraherentur, certiora traderentur, & quæ sequuntur planiora fierent: hasque inducias, sive fœdera ad Syriacam expeditionem prosequendam inter Regem, & Venetos B. Ioannem composuisse, dici potest, ut in notis ad ejus vitam. Quibus autem conventionibus hæ induciæ firmatæ fuerint conjectari potest ex eis, quæ in supracitato Instrumento 1105. exprimuntur. *At postquam Divino nutu per Colomanum sanctissimum Regem pax terræ, & mari est reddita, quisque nostrum cœpit ire ad propria.* Ex quibus mari pax reddita dici non potest, nisi de Venetorum jam diu Dalmatico mari dominantium voluntate, vel assensu secuta sit, & tunc in his induciis convenisse inter Colomanum Venetos, & Dalmatas, censendum est.

Controversia autem inter Colomanum, & Venetos erat de Dalmatiæ titulo, & possessione, Dalmatas vero sub Venetorum protectione propriam libertatem servare studuisse, argui debet, sed cum Venetos, & Dalmatas potentiæ Regiæ resistere non potuisse ex Iadrensi deditione constet, & quod de Iadra dicitur idem quoque de Tragurio, & Spalato dicendum videtur, temperamentum aliquod tunc partes devenisse concludendum est.

Et cum Dalmatiæ titulum ab Imperatore Constantino Venetos habuisse ex supradictis constet, nomenque Imperatoris; prout Regum quoque Dalmatiæ tempore, adhuc in publicis tabulis præponeretur, (quod consentientibus Venetis factum fuisse censendum est) ab ingressu autem Colomani Iadram, cum Imperatoris nomen amplius non reperiatur, & loco ipsius Colomani repositum fuerit; ideo tunc nomen Imperatoris pro satisfactione Colomani omissum argui potest, cum quamvis scripturæ illorum temporum non reperiantur, extet tamen inscriptio sepulchralis in Monasterio Monialium sanctæ Mariæ Iadræ.

Laude nitens multa, jacet hic Vekenega sepulta.
Quæ fabricam Turris, simul, & Capitolia struxit.
Hæc obit undeno, centum post mille sub ævo,
Quo veniens Christus carnis gestavit amictus
Nos habet est annus, quintus quo Rex Colomanus.

Præsul, & est Decimus, quo G. fuit annus, sic Colomanum Regnum Dalmaticum (cujus titulum Zuonimirus a sede Apostolica acceperat) jure belli acquirens, Imperatoris nomen obliterare, seque supremum Dominum declarare voluisse conjectari debet; sed cum Iadræ deditio eodem anno secuta sit, quo deposito Imperatore Henrico, universum Occidentale, Latinumque nomen schismate sublato, ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem rediens, eo magis ad Syriacam expeditionem prosequendam a Summo Pontifice urgeretur, Alexiique Græcorum Imperatoris nomen, ob perfidiam in Peregrinos Latinos sæpe exercitam, Saracenorumque amicitiam exosam haberet, quid mirum si inter Latinos convenerit, Imperatoris Orientalis nomen in Dalmatia omittendum esse; & cum B. Ioannes Pacis conciliator fuerit, & laudes, quæ Imperatori dicebantur, in Ecclesiis cani solerent, a quibus normam publicas quoque tabulas suscepisse dicendum sit, ipsum virum Sanctum auctorem fuisse, ut loco Imperatoris, jam exosi, Summi Pontificis Ecclesiæ capitis reponeretur, deinde Regis Ungariæ, & Venetorum conjectari potest, idemque posteriora exempla docent, ut supra de laudibus dictum est; Sic Dalmatia ab Orientali Imperio totaliter avulsa, honori, & præeminentiæ Regiæ satisfactum, Ungaros terrestre dominium Dalmatiæ fortitos, Venetos maritimum retinuisse, & titulum Dalmatiæ cum Rege communicasse, Dalmatas vero Ungaros, pro terrestribus, Venetos pro maritimis Dominis recognoscentes, suis legibus vixisse, probabile videtur. Beatus ergo Ioannes Divino spiritu afflatus his induciis temperamentum inveniisse videtur, quo inter vicinos Christianos pax servaretur, quod quotiescumque violatum fuit, maxima inde bella inter Ungaros, & Venetos exarserunt, Dalmatiamque & Croatiam misere afflixerunt, ut ex sequentibus patebit. Hæc in Iadrensi deditione evenisse, par est credere: quæ ex proxime secutis clariora fient. Nam Colomanum deinde contra Ruthenos progressu Thuuroz, & Bonfinius asserunt anno 1106. & cum Almo Fratre dissensionem composuisse: neque tunc aliquid in Dalmatia actum reperitur, neque Venetis in Syria detentis aliquid novandi occasio esse potuit. *Vita B. Ioan.*

Iterum Colomanum in Dalmatiam veniisse Privilegium Tragurinis concessum 1108. demonstrat, & quamvis ex filii ejus confirmatione, Spalatensibus quoque simile concessum, dici debeat, ipsum tamen hucusque reperire non licuit, sed cum hoc Colomani Privilegium, Libertatum dictum, unicum reperiatur, ex quo cætera Regum Ungarorum Privilegia normam sumpsere, simul cum filii confirmatione ponitur. *Anno Dominicæ Incarnationis M. C. VIII. mense V. Die XXV. Anno XII. Regni mei: Ego Colomanus Rex Vngariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ juro super Sanctam Crucem Vobis Tragurinis meis fidelibus Civibus firmam pacem; mihi, & filio meo, aut successoribus meis tributarii ne sitis; Episcopum vero, aut Comitem, quem Clerus, & Populus elegerit ordinabo, & lege, antiquitus constituta, vos uti permittam, præterquam*

introitus portus Civitatis, de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero Comes Civitatis, Decimam autem Episcopus, in Civitate quoque vestra neminem Hungarorum, vel Alienigenarum habitare permittam, nisi quem voluntas vestra expetierit, cum autem ad vos corondndus, aut vobiscum Regni negotia tractaturus advenero, nemini Civium vis inferetur Domorum suarum, nisi quem dilectio vestra susceperit. Atsi forte aliquando Dominium meum aliquem aggravare videbitur, & alias ire voluerit, secure cum Vxore, & filiis, & familia, & omnibus suis quocunque sibi placuerit, eat. Hoc autem Sacramentum a Rege, & ab Archiepiscopo Laurentio, & Comitibus Hungariæ confirmatum est. Ego Ioannes Palatinus Comes laudo, & confirmo; Ego Appa Comes laudo, & confirmo; Ego Thomas Albanens. Comes laudo, & confirmo; Ego Iacobus Bosfordiensis Comes laudo, & confirmo; Ego Vgudi Vvasuarien. Comes laudo, & confirmo; Ego Slaviz Comes Novogradensis laudo, & confirmo.

Et Ego Stephanus Colomani Regis filius, Rex Hungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ anno Dominicæ Incarnationis 1124. *Indictione 2. mense Iulio, Nono anno Regni mei, eandem libertatem, & pacem a patre meo vobis Tragurinis, & Spalatinis Civibus stabilitam cum Episcopis, & Comitibus, & omnibus Regni mei Principibus, sub ejusdem Sacramenti obligatione confirmo, & corroboro; Ego Marcellus Strigonien. Archiepiscopus laudo, & confirmo; Ego Gregorius Baacens. Archiepiscopus laudo & confirmo. Ego Simon Quinque Ecclesiæ Episcopus laudo, & confirmo; Ego Cledinus Comes laudo, & confirmo; Ego Marcus laudo, & confirmo; Ego Lambertus Comes laudo, & confirmo; Ego Buzco Comes laudo, & confirmo; Ego Nicolaus laudo, & confirmo; Ego Iacobus Comes laudo, & confirmo; Ego Sergius Comes laudo, & confirmo.* Tertio Colomanum in Dalmatia fuisse, imo Curiam quoque Regum Croatorum more celebrasse, ex sequenti Privilegio Arbensi Ecclesiæ concesso, constat. *Anno Dominicæ Incarnationis* 1111. *Indictione 4. Epacta nona concurrentibus; Ego Colomanus Dei Gratia Rex Hungarorum per misericordiam Dei, potitus Regno Dalmatiæ, atque Croatiæ assentimus, & quantum ad nos pertinet, confirmamus Arbensi Ecclesiæ suas Parochias Iuppam sub Alpibus, suis cum terminis, a Castro latine Murula vocitato, Sclavonice autem, Stenice, usque ad flumen Coprive, Chissam suis cum terminis, Iuppam Lichæ, Iuppam Bucani, & Bocchachi, sicut semper dicimus habuisse per Privilegium Cresimiri Regis, & idoneos testes, quos Paulus ejusdem Ecclesiæ Præsul induxit cognovimus, decrevimus quoque ad honorem, & dignitatem illius Ecclesiæ investituras, tam Ecclesiarum, quam Episcoporum, & Abbatum absque Regis consilio, quemadmodum fuisse probavimus fieri debere; postea necessarium duximus, cumutriusque Regni universo consilio, ut qua libertate fruuntur Clerici Hungariæ, fruantur & Clerici Dalmatiæ, S. ut qualiscumque potentiæ sigillo non constringantur, sed solo Episcoporum, & Archidiaconorum suorum sigillo, & Iudicio lege Canonum cogantur & judicentur: hoc modo Decimationem quemadmodum in Hungaria accipiant, Præstaldus Regis, cum Præstaldis Episcoporum, ex Decimatione Episcopi ipsi accipiant Decimam partem, ex qua Præstaldus Regis dimidiam partem illius decimationis accipiat, Præstaldi vero aliam dimidiam cum Curiali Comite sui Episcopi per medium dividant, & sic Curialis Comes dimidiam sibi habeat, Præstaldi vero aliam dimidiam inter se dividant; Indictione 4. Datum est hoc Privilegium dictæ Arben. Ecclesiæ per manus Venerabilis Laurentii Strigonien. Archiepiscopi perpetuo ex concessione Colomani Regis Vngariæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ in præsentia suorum Episcoporum, ac Comitum, quorum Nomina hæc sunt, Marcelli Vacien. Episcopi, Simonis Quinque Ecclesien. Episcopi, Matthæi Vesper. Episcopi, Georgii Georen. Episcopi, Sixti Varad. Episcopi, Tulberti Collocens. Episcopi; Comitum vero, Ioannis Palatini Comitis, Claodini, Marci, Sauli, Saunici, Vngareni, Theobaldi, Iandini, & quam plurium aliorum Dalmatinorum Episcoporum, & asserentium, & testificantium, per quorum testimonium probavit prædictus Præsul, dicta Arben. Ecclesia, semper ita habuisset. Crescentii Spalaten. Archiepiscopi Anastasii Tinien. Episcopi, Ioannis Tragurien. Episcopi, Bani Albens. Episcopi, Marci Iadren. Episcopi, Dominici Veglien. Episcopi, Petri Absaren. Episcopi, & Generalis Domini Regis Curiæ, & ut hoc privilegium statutum, & stabile perpetuo maneat nostro jubemus sigillo imprimi, atque roborari.*

Hæc Colomani Gesta in Dalmatia ex antiquis monumentis tradi possunt, in manuscripto autem Codice præter memorata, nihil reperitur, Thuuroz vero sequentia tantum addit, *Cumque Rex (Colomanus) esset in Dalmatia in Civitate Zadur, & cogitaret Civitatem succendere pro duritia gentis illius; dormiret, in Palatio suo, quod ibi ædificaverat, & ecce Sanctus N. Zadurien. Episcopus venit ad eum in horrido vultu, quem, per capillos capiens, traxit, & cum virgis laureis valde verberavit, quem cum dimisisset, & excitatus fuisset, illum non vidit, sed dolorem sentiebat, & ictus virgarum super corpus suum aspiciebat, quapropter a molestatione Civitatis patienter cessavit.* Bonfinius autem nimis se dilatans, multa addidit, quæ expendenda sunt suo loco.

Ex suprascripto Colomani Privilegio Tragurien si, tunc Tragurium & Spalatum Colomano dedita argui posset, sed auctor Vitæ B. Io. post Iadrensem deditionem ingressum Tragurium Colomanum memorat, ideo annis tribus ante idem privilegium id evenisse dicendum videtur; tuncque Tragurien si Ecclesiæ Privilegia a Salonitanis Principibus & Regibus Croatorum concessa ampliasse; ut in eadem vita scribitur: sed cum nullum reperiatur Privilegium a Regibus Croatorum Civitatibus Dalmaticis concessum, ideo, vel Colomanum, Regum Croatorum more, Iadrensis deditionis

tionis tempore nihil ſcripto mandaſſe, vel prout ſunt elati Regum animi, quod prius verbis, ſcriptisve promiſerat, id deinde in Dalmatia reverſus in forma Privilegiali concedere voluiſſe, dicendum videtur, quoquo modo autem hæc evenerint, ex privilegio patent, & Iura, quæ Rex in Dalmaticis Civitatibus ſibi reſervabat, & quæ libertas Civibus relinquebatur. Unicum hoc Colomani Privilegium libertatum dictum reperitur, ad poſteriorum Regum Ungariæ Privilegia huic omnino ſimilia per alias Civitates Dalmatiæ extantia, cæteris quoque Civitatibus ſimilia a Colomano conceſſa arguunt. Ad Inſulas quoque Colomanum dominium extendiſſe ex Arbenſium ſcriptura infra ponenda conſtat, & exinde, Venetis in Syria detentis, totius Dalmatiæ dominium habuiſſe, cum in Curiæ ſolemnis celebratione, ex nominibus Epiſcoporum, ibi præter Nonenſem totius Dalmatiæ, & Croatiæ Epiſcopos interfuiſſe appareat, ſed cum ſupradictum Privilegium Tragurienſibus a Colomano datum fuit eodem anno, quo Boemundus univerſo Latino nomine in Alexium concitato Dyrrachium obſidebat, Epirumque vaſtabat, forſan captata hac occaſione Colomanus, ſpretis induciis, Dalmatas Venetorum ſocios, & Imperio addictos opprimere voluit. Hæc tempore Regis Colomani in Dalmatia eveniſſe reperire licuit, at quomodo cum Dalmatis Colomanus, & Ungari ſe geſſerint, Archidiaconus de Spalato refert *cap. 18 Qualiter Manaſſes voluit prodere Civitatem Spalat: Defuncto autem, bonæ memoriæ Creſcentio Archiepiſcopo, electio facta eſt ad inſtantiam Laicorum in quendam Clericum Colomani Regis, qui erat gratioſus apud eum nomine Manaſſes. Qui, conſecratus a Summo Pontifice, in Civitate manebat & ſæpius in Hungariam proficiſcendo, Regis Curiam frequentabat; dederant autem Spalatenſes Regi Colomano Turrim Orientalis anguli. Rex autem poſuerat ibi Ducem quendam, cum non parva militum manu, qui erat per Croatiam exactor Regalium tributorum, contigit autem eo tempore, ut idem Dux vellet Civitatem capere, eamque totaliter deprædari. Habito itaque conſilio cum complicibus ſuis, deliberatum eſt, hoc non poſſe oportunius fieri, quam ſi vellet Archiepiſcopus huic conſilio conſentire. Vocatus ergo Archiepiſcopus, venit, conſenſum præbuit, diem ſtatuit, ut cum univerſus populus ad Solemnitatem conſecrationis cujusdam Oratorii de more conflueret, Hungari, qui erant in Turri ſupergrederentur mœnia Civitatis. Cæteri vero qui erant; viſo ſigno accurrerent, & ſic civitas ſuorum effecta ſubſidio Civium, facile capi poſſe oſtenditur, & placuit conſilium Duci, & collateralibus ejus, & omnia ſunt ad nutum Præſulis præparata. Ea tempeſtate quidam egregiæ ſtrenuitatis Vir, Adrianus nomine, Latinus gente, patria Triviſanus, erat Comes, Rectorque fideliſſimus Civitatis. Hic magis ſuorum Civium ſaluti, & libertati conſulens, quam propriæ dignitati, tantæ fraudis nequitiam Civibus patefecit, & mox ad ſolum patriæ, fugiens, repedavit; Spalatenſes vero, facta ſocietate cum Tragurinis, & aliis Dalmatinis, ponentes uſque quaque cuſtodias, ſibi tacite præcaverunt, in dicta igitur ſolemnitate conſecrationis cujusdam Oratorii, quod erat in rupibus montis Kyrieeleiſon appellati, cuncti ſe Civitatem ſimul aſſerunt exire, experiri volentes, an verum eſſet, quod eius prædictus Comes Adriamus patefecit ſecretum. Protinus ergo circa horam tertiam cœperunt, qui in Turri erant tubas clangere, vexilla erigere, per mœnia Civitatis diffundi, at vero Spalatenſes e Latibulis exeuntes, concito gradu ad Turrim currunt, ignem ſupponunt, mœnia ſupergreſſos præcipitant, quot quot itaque in Turri erant, partim fumo ſuffocati ſunt, partim vero infelici ſaltu ſe ad terram miſerunt, qui in Civitate erant gladio ceciderunt, qui autem ad eorum confluebant auxilium ingenti pavore percuſſi, trepidi, confuſique fugerunt Videns ergo Archiepiſcopus ſuæ fraudis facinus denudatum magno confuſionis pudore obductus, Civitate exivit, nunquam poſtea reverſurus, quo fugiente dicitur vacaſſe Eccleſiam, quam pluribus annis. Interim autem Dabro Ditii Archidiaconus præerat capitulo, Comes vero Cernecha Civitate regebat, iſti ambo (ut ferunt) uno conſilio proventus Eccleſiæ ſuis uſibus retorquentes, electionem Pontificis frivolis dilationibus ſupplantabant.* Sed an vivente Colomano hæc Ungarorum occiſio ſecuta ſit, dubium, nam Creſcentium Archiepiſcopum vixiſſe uſque ad annum 1111. Ex Arbenſ. Privilegio ſupracitato conſtat, quo anno vero mortuus ſit, & Manaſſes ſubrogatus, incertum eſt; Potius tamen poſt mortem Colomani hæc eveniſſe infra conſiderabitur, ſed ex ſupradictis conſtat, Colomanum Dalmatas vi ſubegiſſe, præſidiisque impoſitis, retinuiſſe, ut infra dicetur. Nunc autem, quæ Veneti vulgati Scriptores, & quæ ex Ungaricis, Bonfinius ſolus, de Colomano ſcribunt, referenda ſunt. Veneti vulgati Iadram ad Colomanum defeciſſe, Ducemque Ordelavum ad eam recuperandam progreſſum ſcribunt, & Iadra, Sibenico, Tragurio, Spalato, & Belgrado recuperatis, montibusque Croatiæ ſuperatis, depopulata Provincia, Venetias triumphantem regreſſum, Croatiæ titulum ſumpſiſſe; adveniente deinde Colomano, iterum in Dalmatiam Ducem, ad Iadram defendendam regreſſum, Iadraque retenta, Ducem occiſum, & cum Colomano tandem inducias in quinquennium pactas tradunt, quamvis Colomanum omnes non nominent.

Bonfinius vero Dec. 2. lib. 5. *Colomanus recepta Iadra, cæteros paulo poſt Dalmatiæ populos recepit, quos ut majore, diuturnioreque beneficio ſibi obſtringeret, ultro libertate donavit, item Vrbium templa donariis, ampliſſimis excoluit, qua quidem beneficientia, ita Dalmatarum animos ſibi conciliavit, ut in hodiernum uſque diem Pannonici nominis obli-*

viſci nequeant, & vix cum maximis præſidiis in Venetorum obſequio retinentur; Colomanum Veneti graviter incuſabant, perpetuaque violati fœderis infamia notabant, quod ipſi ſancte hucuſque ſervaſſent, contra ille, ſe neque fœdus violaſſe neque in ſocios arma ſumpſiſſe, neque detrectaſſe amicitiam, ſed ſuos recepiſſe populos, qui ultro ſe dediderant, quos hæreditario Iure retinere debebat; deinde Ducem Ordelaphum magno apparatu Iadram obſediſſe, præſidiumque Ungarorum fame coactum eam deſeruiſſe, ſicut & cæteras maritimas Civitates, quæ a Venetis receptæ fuerunt, Venetosque deinde montes ſuperaſſe, Croatiamque populaſſe, & cætera.

Quæ cum examinari debeant, duo ejusdem temporis monumenta promenda ſunt, ex quibus certior, quam ab Hiſtoricis veritas elicietur.

Ex Archivo Monaſt. S. S. Cosmæ, & Damiani.

Anno Domini, & Salvatoris N. Ieſu Chriſti 1116. *Indictione* 9. *Ego Ordilaphus Paletrus gratia Dei Dux Veneticorum, Dalmaticorum, atque Croaticorum Privilegium S. Ioannis Belgradenſis Monaſterii a Creſcimiro Rege factum; Ego collaudo, & in ſua ſtabilitate confirmo, ita ut nullus Epiſcopus aut Comes, vel Civis, prædicti Monaſterii libertatem violare audeat, quam non ſolum a nobis confirmandam eſſe dicimus, ſed a Beato Gregorio Romanæ Urbis Papa ſancitam in ſuis decretis eſſe cognoſcimus. Volo igitur Ducali auctoritate firmare, ut ſi quislibet hujus libertatis conceſſionem temerario auſu infringere temptaverit, libram auri Regali fiſco perſolvet, ſimiliter Eccleſiam SS. Coſmæ, & Damiani laudo, & confirmo, ideo ut agnoſco veraciter fuiſſe propria Monaſterii B. Ioannis Evangeliſtæ Belgradenſis Monaſterii, ex donatione Epiſcopi illius Civitatis, Præſtantius nomine, & aliorum Epiſcoporum, & Cives illius Civitatis, & Romanæ ſedis Apocriſariorum confirmationem, & Clero, ac populo collaudo, & firmo eam habendam in perpetuum; Quicumque autem Epiſcoporum, aut aliorum hominum hoc decretum infringere temptarerit, & alia illius Eccleſiæ Privilegia violaverit, omnia quæ poſſidet in fiſco Ducali, & Regali deveniant, hæc decreta ſcilicet libertatis Monaſterii S. Ioannis Evang. tibi Fuſco Abbati, omnibusque ſucceſſoribus tuis firmiter, & Jure perpetuo tenenda.*

Ex Sanctuario Eccl. Arben.

Anno Dominicæ Incarnationis 1110. *Indict. XI. Epacta* 26. *concurrente. Nos namque Arben populus, & Comes, ac tota Communitas recommendationem veritatis, & certitudinis facimus noſtris ſucceſſoribus hæredibus dimittendum, qualiter Ordilaph. Faledicus Dux Venetiarum nobis juravit ſuis cum nobilibus Joanne Terviſano Caprulano Epiſcopo, Dominico Paulano, Dominico Michaele, & Marino Longiferaro, & cum pluribus aliis prædictus Dux ſuo cum exercitu ibat Iadram, & nos miſimus Baptiſtam, & Madium, Sege filium; Diaconos ad dictum Ducem, & exercitum ejus, dicentes, volumus dominio veſtro ſubeſſe, & ſi Iadrenſes noluerint, vel non potuerint, ſi voluntatis veſtræ eſt, nos perpetuo retinere in conſuetudine, ſtatu & libertate terræ noſtræ, & promiſit eis Dux, & iterum venerunt Arbum, & ipſe Dux cum ſupraſcriptis nobilibus hoc modo juravit; videlicet: Iuramus vobis Arbenſibus, & veſtris hæredibus, & ſucceſſoribus perpetuo veſtram conſuetudinem, & ſtatum veſtrum, & libertatem terræ veſtræ, poteſtatemque, quam antiquitus dicitis, habuiſſe ſub Imperatore Conſtantinopolitano, & ſub Rege Vngarorum Præſulem Vrbis eligendi, & Comitem, confirmatione Comitis nobis reſervata, noſtræque Curiæ, inſuper vos regere, & manu tenere, ſicuti unam ex noſtris oris Rivoalti. & ſicuti vobis Dalmatinis Colomanus Rex Vngariæ juravit ſuis cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Comitibus, ut in breviario illo continetur. Actum eſt hoc in Arben. Eccleſiæ Atrio, in tempore præfati Præſulis, & Comitis.* Ordelaphum Ducem ad recuperandam Iaderam progreſſum Ducatus ſui anno 13. & 14. plures ex Venetis ſcribunt, quod concordat cum ſupradicto Privilegio Belgraden. Monaſterio SS. Coſmæ, & Damiani conceſſo, ſcilicet anno 1116. cum Ordelaphus electus fuerit Dux anno 1102. Colomanum autem regnare cœpiſſe 1095. & vixiſſe uſque ad annum 1114. ex Vngaricis Scriptoribus concordibus, & annis Regni Colomani, & ejus filii in privilegiis expreſſis patet, ideo, quæ inter Regem Colomanum, & Ducem Ordelaphum in Dalmatia geſta, tam Veneti quam Vngarici vulgati Scriptores referunt, vivente Colomano geſta eſſe non poſſunt, multo minus Ordelaphi mors anno 1117. ſecuta.

At Dalmatas ad Colomanum defeciſſe, Colomanumque eos libertate donaſſe, Dalmatarumque animos tunc ita conciliaſſe, ut ab Vngarorum Amicitia vix maximis præſidiis detineri poſſe Bonfinius afferit loco ſupracitato, hancque Dalmatarum in Vngaros propenſionem probare volens, Venetos Legatos ad Colomanum progreſſos dixiſſe, ſubdit. *Ne Dalmatas quidem diffitemur, & Sclavos prius in Vngaricum, quam Venetum Ius conceſſiſſe; univerſum hunc tractum, antequam Venetiæ forent, Attila paſſim diruit, ac incendit, indigenamque Dalmatiæ gentem prorſus extinxit. Sclavos qui deinde Dalmatiam, & Croatiam inundarunt, graviſſimo ſæpe bello infeſtatis, perdomuiſtisque, ſi quod Imperium ſubire deberent, Vngaricum his prius eſſet optandum, quando utrique Schidæ eſtis, & Vnnis divinitus data eſt imperandi poteſtas.*

Ex quibus facile cognoſcitur, Bonfinium credidiſſe, Attilam prorſus deleviſſe antiquos Dalmatas quod ex Procopio falſum eſſe, ſupra oſtenſum eſt, ex quo ejus falſo fundamento, cætera quoque de Dalmatarum in Vngaros propenſione falſa concludenda ſunt, immo ex jam dictis contrarium innuendum, ſcilicet, Dalmatas ab Vngaris adverſos fuiſſe, cum Vngarorum linguam, etiam a Croatica diverſiſſimam usque tunc in

Dal-

Dalmatia neque auditam, numquid intellectam dicendum sit. Bonfinius autem Dalmatas a Croatis non distinguens; eos moribus ad Scythas potius, quam Latinos declinare asseruit, quod de Croatis, non de Dalmatis intelligendum esset; animo vero in Venetos ejusdem linguæ & moribus inclinatos Dalmatas, ex supradictis Archidiaconi, & illa Arbensium voluntaria Duci Ordelapho deditione, dicendum est, nam Arbenses prout in Insulis positi, Vngaros ob id parum timentes, classe Venetorum adveniente, Duci occurrentes, se dedidere, quod cæteros quoque Insulanos egisse facile credi potest. Spalatenses vero quamvis Vngarorum præsidio tenerentur, & in ultimo Dalmatici Regni angulo siti essent, eos occiderunt, & cum scribat Archidiaconus Spalati tunc *Adrianus nomine, Latinus gente, patria Trivisanus erat Comes, Rectorque fidelissimus Civitatis*, in quem animo propenderent Spalatenses facile dignoscitur; Italum nempe hominem pro Rectore habentes, tunc quando Vngaris subditi erant, linguam, moresque eorum declarat, & hunc Adrianum uti Tarvisinum, Venetis vicinum, ab Archiepiscopo Vngaro, fama Classis Venetorum advenientis, observatum, aufugere coactum conjectari potest; & exinde in quem propensi fuerint Spalatenses, concludendum, quod de cæteris quoque Dalmatis in continenti positis censendum est, cum Iadræ quoque præsidium Vngarorum fuisse ex verbis Arbensium Ordelapho Duci dicentium supra positis elicitur. *Volumus Dominio vestro subesse, & si Iadrenses noluerint, vel non potuerint*, quam impotentiam Vngarorum præsidio Iadræ existenti, tributam credibile est, & Colomanum Thuuroz cum Bonfinio Iadræ existentem duritiem gentis expertum, Civitatem succendere cogitasse, scribunt, loco supra citato, sed dormientem in Palatio suo, quod ibi ædificaverat in somniis ob jurgatum a S. N. Iadræ Episcopo, a molestatione Civitatis cessasse, ex quibus Iadrensium ab Vngaris aversionem ipsi quoque Vngarici scriptores confirmant, Palatiumque, quod Colomanus construxerat, dignoscitur fuisse Castrum, de quo Dandulus mox referendus scribit. Sed quem Thuurocz Sanctum N. Episcopum ponit Bonfinius Sanctum Nicolaum fuisse scripsit, at si nomen Episcopi exprimendum esset, Sanctus Donatus ponendus est, qui circa annum Domini 800. vixit ejusque nomine nuncupata Ecclesia Iadræ hodie reperitur. Qua autem libertate tunc Dalmatæ a Colomano donati fuerint, ex dictis constat, præsertim ex Archidiaconi loco citato, scilicet, electione Archiepiscopi Vngari, & præsidii Vngarorum Spalati, & Iadræ impositi, an autem hæc illam decantatam libertatem a Bonfinio Dalmatis donatam præsumant? an vere contrarium, quisque perpendat.

CAPVT V.

Quomodo Veneti Dalmatiam recuperaverint, & Croatiæ partem acquisiverint?

INtegrum Dalmatiæ dominium Vngaros possedisse ex suprarelato Colomani Privilegio Arbensi Ecclesiæ concesso anni 1111. deducitur, ubi de investituris Ecclesiarum, Clericorum libertate, Decimationum divisione, præsentiaque Episcoporum Vngarorum, Croatorum, & Dalmatarum exprimens, sicut eum Dalmaticum Regnum possedisse, Curiamque solemnem more Regum Croatiæ, & Dalmatiæ celebrasse tunc declarant, ita ex verbis ab Arbensibus prolatis Ordelapho Duci Iadram progredienti, scilicet anno 1116. *Volumus vestro dominio subesse*, & ex Ducis Iuramento exprimentis, *sicut vobis Dalmatinis Colomanus Rex Vngariæ juravit suis cum Archiepiscopis, Episcopis, & Comitibus, ut in breviario illo continetur.* Dalmatiam universam in potestatem Vngarorum devenisse argui debet, prout de Iadra apud Vngaros, & Venetos Scriptores pro comperto habetur, Colomanumque Arbensibus Privilegium concessisse, simile Tragurienſium, quod breviarium Arbenses vocavere, cum in illo quoque Episcopi electio, & Comitis confirmatio expressa fuisse dici debeat, prout in Tragurienſi. Quanta incommoda Venetis amissio Dalmatiæ, & præsertim Insularum intulerit, considerandum est, nam in Palæstina partem Civitatum acquisitarum consecuti, sedibus ibi fixis, fora exercebant, quare eo magis navibus, militibus, & Nautarum supplementis, ad tam distantia loca conservanda indigebant, quæ omnia ex Dalmatia suppetebant. Hac ergo commoditate privati, neque tuto Adriaticum navigare, neque dominium ejus retinere absque Dalmatiæ possessione Venetos cognovisse, frustraque longinqua appetere, si proxima, sibique adeo necessaria erepta, alienæ potestati permitterentur, considerasse necesse est; Dalmatas vero Vngarorum præsidiis obnoxios, & navigationes proprias interruptas, & Præfectorum Vngarorum arbitrio rectos libertatem simul, & navigationis utilitates amissas deploraſſe, conjectandum est; Venetos autem, sicut Dalmatiam recuperare, Dalmatis, ex

veteribus ſociis, & recentibus ex Syria reducibus domum reverſis, inſtigantibus ſummopere deſideraſſe, ita Colomano vivente, Regem potentem, & bellicoſum aggredi veritos; verbis tantum violationem fœderis eidem exprobraſſe, ut Bonfinius ſcribit loco ſupracitato dicendum eſt; indeque fœdus aliquod præceſſiſſe inter Colomanum, & Venetos neceſſe eſt, quod exprobrabatur, idque in Iadrenſi deditione ictum fuiſſe, ſupra conjectatum eſt; Cum deinde, mortuo Colomano, Stephanus pupillus ſucceſſiſſet, Veneti in negotiatione, & bellico apparatu anno inſumpto (ut in rebus magni momenti evenire ſolet) tandem Ungaris bello indicto, Adriaticam oram aggreſſi, auxiliantibus Imperatoribus, Iadram præter Caſtrum receperunt, Belgradumque occuparunt, indeque, obſidibus receptis, Ordelaphus Dux victor rediit anno Duc. 13. ut Dandulus in Annalibus diſtincte tradit.

Dux igitur (S. Ordelaphus) anno X. ad Dalmatiam recuperandam intendens, Patriarcham Conſtantinopolim cum 14. galeis Alexio Imp. Legatum miſit, & Regalem invaſionem, promiſſi fœderis oblitam, exponi fecit, & ſubſidium opportunum ab eo ſibi exhiberi poſtulavit, maxime quia opere comprobaverat ſui Imperii Venetos fuiſſe intimos gelatores. Auguſtus, requiſitioni conſentiens, ad intentum perficiendum dilationem contulit, & ſic Legatus obtento propoſito ad Ducem rediit.

1115. *Ordelaphus anno 13. in menſe Aug. cum magno exercitu navali Dalmatiam aggreſſus eſt, & cepit Iadram, excepto caſtro, & Belgradum, quas muniit, ne Ungari cuſtodientes Iadræ Caſtrum ſubſidium obtinerent, & acceptis obſidibus rediit.*

1116. *In ſequenti menſe Martii 1116. Henricus V. Imperator Venetias veniens in Ducali Palatio hoſpitatus eſt, liminaque B. Marci, & alia Sanctorum loca cum devotione maxima viſitat, & Urbis ſitum ædificiorumque decoritatem, & Regiminis æquitatem multipliciter commendavit. Curiam etiam ſuorum Principum tenens, pluribus Monaſteriis immunitatum Privilegia de ſuis poſſeſſionibus Italici Regni conceſſit, in quibus Ducalem Provinciam Regnum appellat, multisque igitur a Duce, & Venetis ſibi impenſis honoribus, in ſuo receſſu contra Hungaros denuo Dalmatiam invadentes auxilium ſpopondit.*

1117. *Dux autem in proximo menſe Majo, ſuo undique collecto exercitu, & Henrici Imperatoris, atque Alexii Conſt. adjutus præſidiis contra Hungaros, qui ad ſubveniendum Caſtro Iadræ redierant, in Dalmatiam aggreſſus eſt, & in die S. Pauli videlicet 2. Kalendis Julii Dux cum Ungaris Campeſtre prælium peragens, Banum in fugam vertit, multosque nobiles Ungarorum cepit, & victoriam conſecutus eſt; Cui cuſtodes Caſtri Iadræ de ſubſidio deſperati, ſe, cum Caſtro libere tradiderunt: Utroque Dux procedens inexpugnabile Caſtrum Sibenice obtinuit, & diruit, Spalatum quoque, & Tragurium per deditiones accepit, & ſic Dalmatiæ recuperato dominio, acceptis obſidibus cum præda captivorum Venetias rediit.*

Dux quoque (id eſt Ordelaphus) finitis annis 15. in Ducatu contra Hungaros, qui Dalmatiam hoſtiliter invaſerant, cum equitibus, & ſtolio egreſſus eſt, pugnamque cum eis iniens, ſicut Deo placuit occiſus fuit. Illi vero, qui a bello evaſerant, Iadram ſub tuitione Ducali protexerunt, Ducis autem corpus Venetias delatum apud S. Marcum tumulatur.

Iadra enim ex ſitus opportunitate occidentalis Dalmatiæ præcipua exiſtebat, quam dum in poteſtate habuerunt Veneti, omnes quoque ejusdem partis Inſulas ex conſequenti facile retinuerunt, & ſicuti Inſulas, terreſtribus Ungarorum viribus deſtitutas, facile acquirere poterant, ita earundem acquiſitio, abſque Iadra neque tuta, neque diutina eſſe poterat. Ad eam vero recuperandam Ungarorum præſidiis fulcitam duplices vires requirebantur, erat enim neceſſe validas copias transfretare, quas terreſtri Ungarorum, & Croatorum exercitui opponere poſſent, & Claſſem machinis inſtructam, quibus Urbs tribus ex partibus mari circumdata oppugnari poſſet. Idcirco maximis copiis, naviumque, & machinarum apparatu Venetos Iadram obſediſſe neceſſe eſt, quam coactam ſe dediſſe, Veneti & Bonfinius ſcribunt, ſed oppugnationem non deſcribunt; at ſi præſidium Ungarorum fame coactum receſſerit, ut Bonfinius ſcribit, obſidionem diuturnam fuiſſe oportet, ipſisque Ungaris recedentibus Iadren. portas Venetis aperuiſſe dicendum, prout Spalatenſes antevertentes, Ungaros occiderunt, ut ſupra dictum eſt, vel ſi Caſtrum Iadræ præſidio Ungarorum tenebatur, ut Dandulus ſcribit, diuturnitas obſidionis, de Caſtro intelligenda eſt: Civitates quoque Sibenici, Tragurii, & Spalati ſuſceptas Veneti ſcribunt, Belgradumque, & Sibenicum muris nudatas referunt; Bonfinius vero poſt Iadram, & Sibinicum, cætera quoque loca oræ maritimæ Venetis tradita ſcribit, inde Ducem montes tranſgreſſum in Croatiam penetraſſe, eam populaviſſe, & Venetias triumphantem reverſum, Croatiæ quoque titulum ſumpſiſſe, Veneti ſcribunt fere omnes, præter Dandulum in Annalibus, Bonfinius autem montium tranſgreſſionem apud exteros non inveniri ſcribit. Sed quamvis vera eſſe potuerit montium tranſgreſſio, tamen ex Croatia tantum populata, nullaque ejus parte retenta, Venetorum Ducem titulum Croatiæ ſumpſiſſe dicendum non eſt: At cum inter Venetos, & Bonfinium conveniat, Ordelaphum Ducem Iadram, cæteraque oræ maritimæ loca occupaſſe, horum autem, Iadram, Tragurium, & Spalatum tantum in Dalmatia fuiſſe ex ſupradictis conſtat, cætera vero, puta Belgradum, Sibinicum, Nonam, Civitatem novam, & ſi quæ aliæ Civitates maritimæ, tunc extiterint, in Croatia fuerunt, Croatiæque nomine cenſitæ, ut ſupra probatum eſt. Quod Veneti, & Bonfi-

nius

nius non distinguentes, omnia oræ maritimæ loca Dalmatiæ adscribunt, prout hodie censentur, & inferius docebitur: Ideo Dandulus qui ex antiquioribus Chronicon summatim compilavit, assumtionem tituli Croatiæ Ordelaphi in eo retulit, sed in Annalibus, cum accuratius gesta ejusdem Ducis describeret, ultra montes transgressionem, titulique Croatiæ assumtionem referre omisit, eo quia suo tempore Croatia maritima usque ad Montes jam Dalmatia vocaretur, ob id illam ultra Montes expeditionem, vel non veram, vel insufficientem censens, simul cum titulo referre omisit. Non erat enim necesse Ducem montes superare, ut Croatiam popularetur, cum ipsam Croatiam maritimam, acquisiverit, prout in confesso est, ideo, quidquid de Croatia ultra Montes secutum sit, Ordelaphum Ducem Dalmatia se dedente recuperata (ut ex scriptura Sanctuarii Arben. apparet, in qua voluntariæ deditionis fit mentio. 1180. 14. *Maii. Testificatio quod tempore quo Colomanus Rex Vng. &c. dominatus est Dalmatiæ Arben. libere possederunt insulas Artæ, & Gallo; cum vero Dalmatia condonavit se Ordelapho Phaletro Duci Venetiarum itidem libere, & obsolute possiderunt.* Ungarorum præsidiis ejectis, Croatiæque parte occupata, Dalmatiæ titulo, jam Venetis jure quæsito, Croatiæ quoque tunc primo jure belli sumpsisse credendum est, nam ex suprapositio ejusdem Ducis privilegio constat, ipsum, acquisito Belgrado Civitate Croatica, imitatione Regum Croatiæ, Privilegium libertatis a Crescimiro concessum Monasterio S. Iohan. ejusdem Civitatis collaudasse, pœnamque Regali Croatico fisco applicari solitam appossuisse.

Regem Ungariæ ad Iadram recuperandam deinde maximo apparatu adveniisse, item Orgelaphum eundem Ducem majoribus, quam prius viribus (conductis peditibus, & equitibus Longobardis) ad eandem propugnandam reversum, ibique occisum Veneti, & Bonfinius conveniunt; At Veneti Iadram, cæteraque loca tunc retenta asserunt, Bonfinius vero Ungaris se omnia dediisse scribit, ideo cuinam potius deferendum, inquirendum est, Bonfinius Colomanum veniisse asserit; Veneti vero non omnes Colomanum nominant, Regem tamen Ungariæ aliqui veniisse scribunt, at tunc scilicet anno 1117. quo occisus fuit Ordelaphus, Stephanus Colomani filius, (qui patri successerat anno 1114. ut dictum est) regnabat, quem per octennium alieno ductu Regnum gubernasse, donec ad legitimam ætatem pervenit, Bonfinius asserit, ideo, si præsens fuit Stephanus, adhuc in minori ætate existebat, retentam autem a Venetis Dalmatiam ex Archidiaconi loco supra citato conjicitur, qui Archiepiscopum Ungarum, post Ungarorum occisionem, nunquam reversum asserit; nam si Spalatum ad Ungaros rediisset, Archiepiscopus restituturus fuisset, Cerneca autem ab Archidiacono nominatus Prior Spalati fuit anno 1119. ex quo, & ex Dominici Michaelis, Ordelaphi successoris, Dalmatiæ, & Croatiæ tituli continuatione, ut inferius dicetur a Venetis retentam Adriaticam oram censendum est. Hoc fuit primum bellum inter Ungaros & Venetos in Dalmatia & Croatia gestum.

Chronist. Venet. antiq.

Script. Spalat.

Quanti enim Ungarorum Reges oræ maritimæ possessionem fecerint; quanti etiam ejus conservationem Veneti existimaverint, ex dicendis patebit, ideo maximo apparatu Ungaros recuperationem tentasse, & Venetos defensionem dicendum est, cumque Ungaros terrestribus viribus prævalentes, terrestria loca, quæ Veneti ceperant facile recuperasse credendum sit, ita in maritimorum expugnatione parum proficere potuisse credendum est, prout Venetos in terrestribus retinendis perseverare non potuisse, in maritimis autem tamquam maris Dominos, & rationem expugnandarum Urbium in Palestina edoctos Urbes cepisse, & Ungarorum conatus facile elusisse, accedentibus Dalmatarum animis ad eos, propriamque libertatem propensis Croatica autem loca Belgradum, & Sibenicum muris a parte maris nudata, etiamsi amisissent Veneti, facile quoque recuperare potuerunt: Cumque diu bellatum frustra Venetos in mediterraneis, Ungaros vero in maritimis laborasse conjectari debeat, & tunc Calistus II. Summus Pontifex Christianos omnes ad sacrum bellum urgeret, de pace inter Ungaros, & Venetos actitatum fuisse tenendum est, cumque minor ætas Regis pacis stabiliendæ modum invenire non permitteret, Inducias quinquennales pactas, donec ad legitimam ætatem Rex perveniret, prout tradunt Scriptores, facile suaderi potest; Has autem inducias, superioribus in Iadrensi deditione anno 1105. similes fuisse necesse est, si quies inter Venetos & Ungaros Adriatici accolis inducenda erat, ut Veneti pacato Adriatico relicto, Syriacam expeditionem præparare possent, prout paulo post effecere: hisque induciis firmatis, tam Ungaros, quam Venetos titulo Dalmatiæ, & Croatiæ usos ex scripturis constat, Dalmaticasque tunc Civitates nullo præsidio militari obnoxias, in Venetorum tutela pristinam libertatem continuasse dicendum est. Croaticas autem maritimas muris nudatas quiete vivere coactas; Hoc modo igitur terra, marique pace parta, ad temperamentum supra a B. Ioanne inventum, partes iterum devenisse concludendum est.

CAPUT VI.

Quomodo Dalmatiæ, & Croatiæ partes ad Ungaros redierint?

VEnetos Dalmatiam non per se solos, sed ambobus Imperatoribus auxiliantibus recuperasse, supra ex Dandulo relatum est; sed mortuo Alexio Orientali Imperatore, Ioannes filius, Calo Ioannes dictus, succedens, Privilegia Venetis a Patre concessa, confirmare renuit, ut Dandulus refert. *Calo Ioannes Imperator Alexio patri succedit, cui Dux Legatos misit, sibique Crisobolium a patre concessum approbari petiit, ille omissis paternis vestigiis, id facere renuit,* inde primæ simultates inter Venetos, & Orientale Imperium ortum habuere, quarum causa Veneti irritati, tertiam expeditionem in terram sanctam facientes, Dominico Michaele Duce progrediente, Græcorum loca infestarunt, Corcyramque obsederunt, ut idem Dandulus refert.

Dum hæc agerentur Venetorum parato stolio Dux in mense Augusto, Ducatus anno 5. potenter egressus, Dalmatiam intravit, & ex illis assumptis ad obsidendum Corphu, qui pro Imperatore Constantinopolitano tenebatur, accessit, sed dum intrinseci diris insultibus continuis urgerentur, nuntius de Syria superveniens, Stolum dimissa obsidione antecedere fecit.

Ducem autem in Terram Sanctam cum Classe diu detentum, pacta ab Andrea Mauroceno ex Gulielmo Tyrio relata declarant. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, tempore quo Papa Calistus II & Henricus Romanorum Imperator Augustus pace eodem anno inter Regnum, & Sacerdotium super annuli, & baculi controversia, celebrata Romæ consilio, Deo excelso auxiliante peracta, alter Romanam Ecclesiam, alterque Regnum regebat, Dominicus Michael Venetiæ Dux, Dalmatiæ, atque Croatiæ Regni Princeps, innumera Classium, militiæque multitudine, prius tamen ante in portuosas Ascalonis ripas Paganorum Classium Regis Babyloniæ gravissima strage facta, demum in Hyerusalem partes ad necessarium Christianorum patrocinium victoriosus advenit. Rex quippe Balduinus Hier. II. tunc temporis, peccatis nostris exigentibus, sub Balac Principe Parthorum paganorum laqueo cum pluribus aliis captivus tenebatur.* Eundemque Ducem difficili oppugnationi, & deditioni Tyri anno 1124. die 30. Iulii interfuisse, Regis Balduini tunc e captivitate reversi Privilegiorum confirmatio data apud Accon anno 1125. Ind. 3. sexto Nonas Maji ab eodem relata probat, quo tempore Tragurium a Saracenis captum, & funditus eversum in notis ad vitam B. Ioannis, & latius in Patriæ Chronico relatum est, ex quo tunc ob Venetorum, & Dalmatarum Classis absentiam in Adriatico Piratas emersisse, apparet: At cum Stephanum Colomani filium Tragurinis, & Spalatinis paterna privilegia supra relata confirmasse constet, eodem anno, & mense, quo evenit supradicta deditio Tyri; ideo tunc Stephanum exemplo patris Venetis & Dalmatis in Syria impeditis, Dalmatiam recuperasse dicendum videtur; & quamvis manuscriptus codex nullam Stephani actionem memoret, tamen Thuurocz scribit. *Nono anno Regni sui intravit Dalmatiam, & a Dalmaticensibus honorifice susceptus est.* Quæ congruunt cum annis Regni ejus in supra posito Privilegio expressis, ex quo, sicuti Stephanum II. Regem Ungariæ in Dalmatia fuisse, & aliquid egisse constat, ita quid egerit inquirendum est. Bonfinius enim confirmasse tantum Dalmatarum animos asserit, ex quo a Colomano in Stephanum continuatum dominium Dalmatiæ præsumit, Veneti vero diversum, nam Andreas Dandulus, Duce Dominico in Syria existente. *Certioratus Dux Imperatorum Constantinopolitanum ad damna intendere Venetorum, cum illorum (id est Baronum Regni Hier.) consensu recedens, Rhodum applicuit, ab incolis alimenta petiit, quibus renuentibus Urbem invadit, opes abstulit, & acceptas dividit, Inde procedens, Chium obtinuit, & ex hyeme recedit.* (Sancti Ilidori corpus inventum) *dum autem Stolus ibi resideret ipsius pars secedens Samum, Metelinum, Andrum, & alia Imperialia loca capit, & postea spolia distribuit. Superveniente Vere, Dux recedit, & Methonam similiter occupat, & prædam inter suos partitus est. Postea in Dalmatiam veniens Spalatum, & Tragurium, quos summiserat Hungarica rabies, bello fugatis illis recuperavit, & sibi solitam fidelitatem exhiberi fecit. Mox Hungari expulsi in Belgradum veniunt, eisque resistentibus Dux Urbem obtinuit, & vastitati supposuit; Dux in Iadra a Clero & Populo tamquam suus Dominus receptus fuit, spoliaque apud Iadram Deo primum, & pugnatoribus distribuit, completisque a suo egressu annis duobus, mensibus X. in Iunio Venetias feliciter rediit.* Idem fere cæteri Veneti Scriptores, præter Sabellicum, qui hanc Ducis Dalmaticam recuperationem in dubio ponit, Bonfinius autem absolute negat, ideo examinanda est. Veneti Scriptores bis Chium captum asserunt, prima vice, Dominico Michaele Duce, secunda vero, Vitale Michaele; de Vitale, præter Venetos, Nicetas Græcus Scriptor memorat, de Dominico autem nihil tradit, ideo Bonfinius cum ejusdem cognominis fuerint ambo Duces, omnia ad Vitalem refert, primamque Dominici negando, Dalmatiam quoque tunc a Venetis recuperatam negat, ex quo, capta a Colomano Dalmatia, ejus dominium Ungaros continuasse asserit, Sabellicus autem, cum apud exteros primam non inveniret, eam in dubio ponit, quod ejus dubium, ex sepulchrali Dominici Ducis Inscriptione a Venetis relata augetur.

Terror Græcorum jacet hic, & laus Venetorum
Dominicus Michael, quem timet Hemanuel.

Dux

Dux probus, & fortis, quem totus adhuc colit Orbis,
Prudens consilio summus, & ingenio.
Istius acta Viri, declarat captio Tyri,
Interitus Syriæ, memor, & Hungariæ.
Qui fecit Venetos in pace manere quietos;
Donec enim viguit Patria tuta fuit.
Quisquis ad hoc pulchrum venies spectare sepulchrum,
Cernuus ante Deum flectere propter eum.

Anno Domini MCXX. VIIII. Indictione 7. obiit Dominicus Michael Dux Ven.

in qua cum Ducem mortuum anno 1129. ponatur, Emanuelem autem imperare cœpisse constet anno 1143. ideo hanc primam Chiensem occupationem non Emanuelis, sed ejus Patris Ioannis, Calo Ioannis dicti, tempore secutam oportet, at in Calo Ioanne Nicetas nullam de hac re mentionem facit, ob id Venetorum Scriptorum Testimonium, ex hac ipsorum Ducis inscriptione destrui videtur, & Bonfinii negationi potius assentiendum. Sed cum Treguanus vitæ B. Ioannis Tregurien. Episcopi reformator scribat. *Secundo Veneti namque cum irent in Romanam contra Chium.* Hæc secunda Venetorum expeditio Chiensis dicta, primam præcessisse præsumit, & cum secundum Vitalis Michaelis Ducis, & Emanuelis Imperatoris tempore secutam in notis ad eandem vitam dictum sit, & infra probabitur, prima Dominico Michaeli tribuenda est, veramque fuisse constat ex antiquo monumento. *Almificæ Incarnationis Iesu Christi, nostræque Redemptionis anno Domini 1129. abeunte, indictione sexta elabente, Ego M: Divina favente Clementia Almæ Anastasiæ Cathedræ præsulante, notum facio tam præsentibus quam & remotis stabile privilegium libertatis Ecclesiæ SS. Cosmæ, & Damiani, quam Ecclesiam, post reversionem Romaniæ, desolationemque Civitatum, Dux Venetiarum mihi concessit.* Ex quo Dominicum Ducem in Romania, Civitatesque desolasse constat; Romaniam autem tunc pro Græcorum, sive Constantinopolitano, & Orientali Imperio sumptam ex supracitato loco vitæ B. Ioannis, & Scriptoribus tam Græcis, quam Venetis constat; ideo Chium inter Civitates desolatas, tunc captum concludendum est: Inscriptionem autem

Pulchro, Sepulchro.

posterioribus temporibus a quopiam Grammatico, tempora non observante, confectam, & Emanuelis nomen inconsiderate positum fuit, cum neque in anno mortis Ducis, cum cæteris conveniat, nam fere omnes Veneti Scriptores, mortuo Dominico anno 1130. Petrum Polanum Ducem creatum scribunt, ipse autem Dominicum mortuum 1129. asserit.

Dominicum ergo Ducem Chium cœpisse, indeque Sancti Isidori corpus sublatum, Venetias tulisse, Ægæumque populavisse, ut Veneti scribunt Auctores, dicendum est, quod ex Ioannis Cinnami Auctoris Græci, nuper editi, gesta Emanuelis referentis testimonio comprobatur, qui causas belli inter Emanuelem, & Venetos scribens, tempore Ioannis, ab eisdem Chium captum, Rhodumque, & Lesbum depopulatas asserit lib. 4. ut infra referetur.

In Arch. SS. Cosmæ & Damiani.

CAPUT VII.

Quomodo Veneti Adriaticam oram recuperaverint?

ADriaticam quoque Oram a Venetis tunc temporis recuperatam omnes eorum Historici scribunt, at in nominibus locorum non conveniunt, nam Neoterici Spalatum Trag. Siben. & Iadram captas, murisque in parte nudatas tradunt, antiquiores vero Chronistæ, Spalatum, Trag. & Sibenicum recuperatas deditione memorant; Belgradum vero resistere volentem destructum asserunt. Dandulus autem in Annalibus loco supra relato Sibenicum non nominat, de Belgrado autem idem, quod reliqui Chronistæ scribit, quod Archidiaconus confirmare videtur *Cap. 15. cum autem Belgradensis Civitas destructa fuisset a Venetis, mutavit sedem suam in Scardonam.* Ex quibus Auctoribus, & ex supradicta Scriptura innui potest, destructo Belgrado, Dominicum Ducem Ecclesiam, & Insulam SS. Cosmæ, & Damiani contra Belgradum positas Episcopo Iadrensi concessisse. Sed cum Belgradensis Civitatis rudera posterioribus temporibus Iadræ veteris nomen sortita sint, & etiam nunc a præternavigantibus, ita vocentur (vulgo Zara vecchia) ideo Neotericos Iadram etiam tunc recuperatam æquivocasse coniici potest, quod antiquiores non scripsere. Dominicum ergo Ducem Dalmaticas Civitates scilicet Spalatum, & Tragurium, & præter has Sibenicum, & Belgradum Croaticas recuperasse dicendum est. Sed cum eundem Ducem interfuisse deditioni Tyri, eodemque mense Stephanum Regem in Dalmatia fuisse constet, inde Ducem reducem, Ægæum populavisse, Chiique in hibernis moram traxisse scribant. Hæc de Græcis vindictam sumpsisse arguunt, ex quibus Græcos cum Ungaris contra Venetos sensisse dicendum est. Nam sicuti Alexium Imperatorem Venetis amicissimum contra Ungaros Ordelapho Duci in Dalmatiæ recuperati-

one auxilia præſtitiſſe Dandulus refert, ita Calo Ioannem ejus filium cum paterna privilegia confirmare noluiſſet, a Venetis averſum fuiſſe apparet, inde ſimultatibus ortis, prima vice Venetos Græcorum loca infeſtaſſe, & Ducem Michaelem in terram Sanctam procedentem, Corcyram, ſive Corfu oppugnaſſe idem Dandulus tradit, at cum Duce in Syria detento, Stephannm Reg. Trag. & Spalatum Dalmatiæ maritima loca occupaſſe conſtet, quæ ſine claſſe maritima difficile capi poterant, ideo Græcos *ad damna Venetorum intentos*, ut Dandulus refert, Ungaris auxiliarem claſſem in Adriatico miſiſſe conjectari poteſt, Regemque Stephanum, Croaticas voluntarias recepiſſe, Dalmaticarum autem Spalatum, parva accedente Græcorum claſſe coactam, ad ipſum rediiſſe; Tragurium vero, cum tunc deſertum, vel habitatoribus infrequens, ob recentem Saracenicam deſtructionem jaceret, nullam reſiſtentiam facere potuit, ob id ſimul cum Spalatenſibus privilegium eorum a Rege confirmatum fuit, cum Tragurienſes ditiores Spalati tunc habitarent, ut in patriæ Chronico relatum eſt, Iadram aute cæteris validiorem, ſicuti facile capi non poterat. ita in Venetorum poteſtate permanſiſſe, prout Veneti ſcribunt, cenſendum eſt, Venetorum Ducem Adriatica aggreſſione intellecta, victricem claſſem reducentem, in vindictam loca Græcorum ſibi obvia populaviſſe, in Ægæo hibernaſſe, Adriaticique Oram recuperaſſe dicendum eſt, ſed ſi expendantur, quæ de Sibenico & Belgrado muris nudatis ab Ordelapho Duce ſupra ex Venetis ſcriptoribus dicta ſunt, hæc duo Croatorum loca jam tum a Venetis averſa ab Ordelapho muris nudata cenſendum eſt, & cum Sibenicum parvi circuitus oppidum, tunc eſſet, Ducem Dominicum nihil de Sibenico egiſſe ſcribunt, locumque navigationi non admodum aptum, & tunc maris nullum, vel parvum uſum habentem, Ducem ſpreviſſe conjectari poteſt. Belgradum vero, tam ex ſitus opportunitate, quam ex Inſulis, quas poſſidebat (quæ nunc partim in Iadrenſi, partim in Sibenicenſi territorio ſitæ ſunt) maris uſum ab antiquo habentem, & poſt Colomani ibi Coronationem a Venetis, & Dalmatis averſum, murorum ab Ordelapho Duce nudatio indicat, & multo magis poſt hæc; nam vero ſimiliter conjectari poteſt, Stephanum quoque Regem, exemplo patris, Belgradi coronam ſumere voluiſſe, muroſque reſtauraſſe, inde Belgradenſes navigationem inquietaſſe peregrinis Venetis, & vicinis Iadrenſibus moleſtias intuliſſe; Ideo Ducem Venetorum hanc Croatorum maritimam Civitatem, cæteris validiorem (validiſque muris circumdatam, ut ejus rudera demonſtrant) coronatione Regia ſe efferentem navigationem inquietantem, Iadrenſibus infeſtam aggreſſum, vi cœpiſſe, & ne amplius obeſſe poſſet funditus deleviſſe, Inſulisque ejus Iadrenſibus tributis, pacatum Adriaticum reddidiſſe: Sed mirabitur quiſque, Venetos Iuſtitiæ cultores, quietis Adriaticæ avidos, piis Syriacis ærumnis aſſuetos, Belgradum Civitatem Chriſtianam Latini ritus, quam parvo præſidio retinere poterant, funditus deleviſſe; Sed conſideret, quando illæ induciæ, quæ urgente Caliſto Pontifice inter Venetos, & Ungaros ob Syriacam expeditionem pactæ fuere, an tunc aliqua pœna, a Summo Pontifice impoſita fuerit illis, qui quocunque modo Peregrinorum itinera impedirent, vel inquietarent: docent enim poſteriora exempla Legatos Apoſtolicos in Dalmatiam miſſos, qui pronuntiata excomunicationis ſententia omnes circumvicinos populos auctoritate Apoſtolica excitabant, contra eos, qui Peregrinorum itinera infeſtabant, an tunc contra Belgradum idem factum eſſe potuerit, perpendat, & an ob hanc cauſam deleta fuerit Civitas, quæ ex ſitus opportunitate Peregrinis infeſtiſſima eſſe potuit, cum in unum concurrerent, & tuta Peregrinorum præternavigatio, & Adriatici quies, quæ ab hac una Croatorum Civitate, ut olim a Cheſſa inquietabatur, & Venetos Adriaticæ quieti maximopere vigilantes, conſentiente vel jubente Summo Pontifice, Belgradum uti excommunicatum deſtruxiſſe dicendum ſit, cum translatio ejus Epiſcopi Scardonam, itidem Croatorum Urbem & antiquæ Coloniælocum 12. tamen milliaribus a mari aperto diſtantem, approbationem Summi Pontificis arguat. Venetos ergo recuperatis reliquis Dalmatiæ locis, Belgrado deſtructo titulum Dalmatiæ, & Croatiæ, poſſeſſionemque oræ maritimæ continuaſſe dicendum eſt.

CAPUT VIII.

De Ungarorum, & Venetorum rebus geſtis in Dalmatia, & Croatia, quæ a Scriptoribus non referuntur.

A Regno Stephani II. uſque ad Ludovici coronationem Chronicon manuſcriptum, eſt Thuur: aliquid Vngaros in Dalmatia egiſſe non memorant: Bonfinius vero execratis Annalibus Ungaricis nihil referentibus, multa aſtruit, quæ tædioſum eſſet referre ſimul, & refellere; ideo ſupplenda erunt ex ſcripturis ſuperſtitibus, quæ ab Hiſtoricis prætermiſſa ſunt Nam ex privilegiis ſupra deſcriptis Colomani, & Stephani ejus filii (quæ deinceps de libertatibus

dicta

dicta fuere, ad differentiam conceſſionum, vel confirmationum terrarum in Croatico ſolo poſitarum) ſicuti conſtat Dalmatiam ad Ungaros bis tranſiiſſe, ita a Venetis quoque bis recuperatam ex ſupradicta temporum collatione patet, continuatumque exinde Venetorum oræ maritimæ dominium reliquo Stephani II. tempore, qui uſque ad 1131. vixit dicendum eſt: quo tempore Venetorum, & Græcorum ſimultates proſequens Dandulus ait. *Nono Ducis (Dominici Michaelis) anno ſtolus 14. Galearum contra Imperatorem Conſtant. & Venetorum tuitione egreſſum, oppidum Cefaloniæ ſecus Epirum capit*, narrato deinde quomodo Calo Ioannes in Aſia cum Latinis male ſe habuerit, ſubdit. *Hujus aſtutia Venetos odientis Dux reparans galeas aſſidue pro tutela navigantium mittit, mutuisque offenſionibus aucto jam ſchiſmate, decretum fuit, ut Veneti, qui hucusque barbas nutriverant, de cætero imberbes efficiantur: tandem Auguſtus ad Correcliens, Ducem requirit, ut ſibi Legatos mittat, pollicens Criſobolum pridem vetitum, plenius ſolito condonare. Ideo Dux annuens per ſuos nuntios, oblata obtinuit, & fœdus reintegravit.* Ex quibus, ſicuti conſtat, compoſitas ſimultates inter Venetos, & Græcos, Ducis Dominici Michaelis tempore, qui ante Stephanum Regem mortuus eſt, ita eundem Stephanum bellum cum Calo Ioanne habuiſſe referunt, & Ungarici, & Græci ſcriptores, ob id Venetos Adriaticæ oræ poſſeſſionem continuaſſe cenſendum eſt, vivente Stephano, ſicut & Belæ cæci ejus ſucceſſoris tempore, cum nullius ejuſdem privilegii libertatum in Dalmaticis Civitatibus memoria reperiatur; Geyzæ vero ejus filii, & ſucceſſoris tempore, non ita, cum Spalatenſibus Privilegium libertatum anno 1143. ſimile Colomani conceſſerit, adjectis clauſulis obſides non recipiendi, & ne quis ſigillo Regio in judicio extra Civitatem trahatur; Tragurienſibus quoque ejuſdem tenoris anno 1151. & iterum Spalatenſibus anno 1161. Ex quibus Spalatum, & Tragurium ad Ungaros tranſiiſſe patet, quod Veneti, & Ungari non referunt, ſed Veneti tantum, Dalmatarum ſingulas Civitates Petro Polano Duci promiſiſſe, auxilia navium longarum, quotiescunque Dux 15. navium Claſſem educeret; quod Dandulus Iſtrienſes, non Dalmatas promiſiſſe refert; circa quæ tempora Iadrenſem Eccleſiam in Archiepiſcopatum erectam Veneti ſcribunt, de qua infra. Hæc in Dalmatia eveniſſe uſque Ducatum Vitalis Michaelis reperiuntur, quo tempore, præter relata inter Ungaros, & Imperatorem Calo Ioannem bella, eundem quoque Imperatorem cum Serviis, ſeu Tribalis bellum geſſiſſe memorant Nicetas, & Ioannes Cinnamus, ſubditque Nicetas. *Aſt poſt alias dimicationes, pace cum hac gente facta, & utiliter firmata cæteriſque barbaris, qui Romanis verſus occidentem finitimi ſunt, vel invitis in amicitiam ſuam pertractis, cum toties proſpere pugnaſſet etiam remotiores gentes quocunque modo ſubigendas cenſuit, eaſque potiſſimum, quæ Conſtantinopolim mercaturæ, & quæſtus gratia appellerent: Itaque maritimam Italiam ſibi conciliavit, quæ plenis velis in Urbem Imperatricem vehebatur.*

1126. cap. XI.

Ex quibus tunc Dalmatas in amicitiam pertraxiſſe argui poſſet; Sed cum Nomen Imperatoris in Dalmaticis ſcripturis reaſſumptum non reperiatur, cum Dalmatis nihil egiſſe dicendum eſt, de aliis autem puta Croatis, & Italis (niſi quis vanitatem Græcam arguat, ſemper ſibi ſubditam Italiam ſomniantem) nihil tradi poteſt: ipſo tamen adhuc Imperante Calo Ioanne, Belam II. Ung. Regem, titulis Dalmatiæ, & Croatiæ Ramæ quoque (quæ Serviæ pars eſt) addidiſſe, conſtat ex Priv. Eccleſiæ Spal. conceſſo 1138. quod tempore Bellorum eveniſſe debuit, quamvis Colomanum etiam Ramæ titulo uſum ſupra in exemplo Privilegii eidem Eccleſi Spalat: conceſſo 1103. appareat, tamen cum anteriora, & poſteriora ejuſdem Regis Privilegia ſupra poſita Ramam non memorent, ideo in dicto exemplo Privilegii Colomani exſcriptorum errore Ramam irrepſiſſe dicendum eſt, & Belam Cæcum primum Ramæ titulum addidiſſe, cui Geyza ſucceſſit, qui cum Emanuele Imperatore multoties bellum geſſit: ipſo autem Geyza mortuo, Stephanus III. filius ſucceſſit, hunc a Vladislavo, & Stephano patruis diu vexatum manuſcriptum Chronicon refert: Nicetas autem & Ioannes Cinnamus, id inſtigante Emanuele eveniſſe narrant; bellumque poſt patruorum quoque mortem continuatum deſcribunt: Ideo Stephanum, inteſtino bello impeditum, quomodo cum Emanuele inimico convenire potuerit, Dalmatiamque recuperare, ut Bonfinius aſſerit non apparet, & quamvis Dandulus Stephanum ad maritima loca, cum exercitu perveniſſe ſcribat, & *Immunitatibus Dalmatinos attrahens, Spalatum, Tragurium, & Sibinicum, & plura alia loca demum obtinuit, illoſque largifluis Privilegiis inſignivit*, quæ ex ejuſdem ſupputatione circa annum 1167. evenere, tamen cum unicum tantum illius temporis Stephani Privilegium Sibenicenſibus conceſſum reperiatur, quod a ſequentibus Regibus Ungariæ multoties nominatum, & confirmatum reperitur, ob id Dandulo notum eſſe debuit, Sibenicumque uti maritimum more ſuo in Dalmatia ſtatuit, ſimiliaque Privilegia Spalat. & Trag. conceſſa præſumens, eadem quoque loca Stephano tradita inter cætera nominavit, quæ Emanueli tunc ſe dedidiſſe infra patebit, quod etiam ex ejuſdem Danduli verbis elici poteſt, nam paulo poſt ſcribit: *Emanueli autem Spalatum, & Tragurium, & Raguſium, ac pene tota Dalmatia ſubjugatur.*

1141. 1161.

Stephanum enim conſtat conceſſiſſe Sibenicenſibus anno 1167. Privilegium

ſimile omnino Privilegiis a Geyza Spalaten. & Trag. datis, ex quo tria notanda ſunt.

Primum, deſtructo Belgrado, Epiſcopo & Civibus Scardonam migrantibus, Sibinicum ex maris commoditate uſuque navigationis, habitatoribus auctum, ad Civitatis frequentiam creviſſe, Civitatisque Ius & Privilegium obtinuiſſe.

Secundum Regi Stephano cum reliqua Croatia paruiſſe, cum ejuſdem Regis Privilegia, confirmationesque terrarum, in Croatico ſolo poſitarum, reperiantur anno 1163. & 1164.

Tertium, abinde Sibenicum, cum Privilegium Dalmaticis Civitatibus æquale conſecutum ſit, inter Dalmaticas quoque Civitates numerati cœpit, ut infra referetur.

Hæ memoriæ rerum in Dalmatia a Regibus Ungariæ geſtarum uſque ad Bellam tertium reperiuntur; ſed cum Emanuelem Imperatorem rebus Dalmaticis, & Croaticis ſe immiſcuiſſe conſtet, ejuſdem quoque geſta referenda ſunt.

CAPUT IX.

De rebus geſtis Emanuelis Imperatoris in Dalm. & Croat.

EManuelem Imperatorem nihil intentatum reliquiſſe ut Imperium Romanum ad antiquum ſplendorem reſtitueret, referunt Nicetas, & Cinnamus, & præter ea, quæ de Aſia, & Africa tradunt varios per Europam conatus ejus deſcribunt, inter quos de Ungaria Cinnamus lib. 4. *Hunniam, ut in poteſtate haberet contendebat, in medio Occidentalium populorum ſitam:* Qua de cauſa, contra Geyzam, fratres fovit, & cum parum vi proficere animadverteret, maſcula prole carens, Ungariam, Croatiam, & Dalmatiam affinitatis jure Imperio adipiſci conatus eſt.

Ioan. Cinnamus.

Itaque de Bela, qui poſt Stephanum, Iatzæ filius erat, adſumendo in matrimonium filiæ ſuæ Mariæ cogitat. Hunni Belam tradiderunt, & agrum, quem ſuperſtes adhuc Pater illi dederat ſorte facta lubenter aſſignarunt. Ipſe puer, mutato nomine, Alexius vocabatur, & appellabatur Deſpota. Neque tamen ob id inter Græcos, & Hunnos quietæ res fuere, ſed bellum multoties renovatum iidem referunt, tandemque pacem, & loca, quæ in Emanuelis poteſtatem venerunt, deſcribit Cinnamus. *Illi vero (Hunnorum Legati) omnia jurejurando obſtringentes, inde ad ſuos, & Princeps Byzantium digreditur. Iamque Ioannes Ducas, victam a ſe Dalmatiam, Nicephoro Caluphæ ſicut imperatum erat a Principe, tradiderat: eo enim cum exercitu fuerat miſſus, ut ſive vi, ſive conditionibus in poteſtatem redigeret; Hunnis quaſi cum ratione, & hanc ſcilicet provinciam ad hæreditatem Belæ aſſignantibus. Is itaque Serviorum fines prætergreſſus, poſtquam in* Dalmatiam *copias traduxit brevi omnia momento ditioni Imperatoris ſubjecit; Tum & Tragurium, & Sebenicus, & Spalathus, & Catziciorum natio ad hæc Clis Civitas inclyta, quam Diocletianus Romanorum Imperator condidit, item* Cardon & Oſtruriptiza, *& Salon, omnesque aliæ Romanis ſubjectæ ſunt in Dalmatia Civitates numero 57.* Ex quibus apparent Civitates, quæ in poteſtatem Emanuelis tunc venerunt, quas, ſicuti omnes, præter Trag. & Spalatum Croaticas fuiſſe, ita Cinnamum eaſdem, antiquorum morem ſecutum, Dalmatiæ aſcribere conſtet, quando autem hæc evenerint, non refert, ſed poſt ſupra memoratum Privilegium libertatis a Rege Stephano Sibenicenſibus conceſſum ſcilicet annum 1167. eveniſſe oportet, at cum Cinnamus deinde alterum Emanuelis bellum cum Hunnis, & Duce eorum Dionyſio deſcribat, poſtea expeditionem in Ægyptum ſimul cum Rege Paleſtinæ, quam Wilielmus Tyrenis Archiepiſcopus anno 1169. ſecutam tradit; ideo intra hoc tempus Croatiam, & Dalmatiæ partem, Emanuelem occupaſſe, cenſendum videtur; tamen annus certiorari non poteſt, cum Sibenici Trag. & Spalati ſcripturæ horum duorum annorum non reperiantur, conſtat tamen anno 1171. Spalatum Emanueli cum tota Croatia paruiſſe, regnante adhuc Stephano. *l. 20. c. 15.*

hanc.

Scradona. Oſtrovitza.

Ex membrana Monialium S. Benedicti Spalat.

In nomine ſanctæ, & Individuæ Trinitatis anno igitur ſacro poſtquam Chriſtus Carnem ſumpſit ex Virgine 1171. *Indictione vero* 3. *ſub tempore magnifici Imperatoris noſtri Manuheli, in Civitate noſtra Spalatina, & in toto Regno Dalmatiæ & Croatiæ Imperante Conſtantino Sebaſto. In ſede quoque B. Domnii reſſidente Gerardo Ven. Archiepiſcopo, Comitatu præfatæ Civitatis gubernante Iohannes Comes hoc ſcriptum, ut ſubſequitur, ut poſteri ad memoriam ſtaret.*

Is Conſtantinus Sebaſtus poteſt eſſe ille, quem Emanuel capta Zeugmino in Sirmienſi Regione, Francohorio dicta, poſito, ad reparandum Sirmium, Beligradum, & alia loca reliquit, quem Avunculum Emanuelis, & Conſtantinum Angelum Philadelfienſem cognominatum Nicetas ſcribit, qui Dalmatiæ, & Croatiæ Gubernator capto Calupha conſtitutus fuit, ut Cinnamus refert.

Nicephorus Calupho, cognito veniſſe in regionem iſtam Hunnorum exercitum, paucis militum ſuorum aſſumptis, Spalatha egreditur, dumque iter faciunt, plerique ſequentium paulatim deſciſcentes, eum captu facilem hoſtibus præbuere; Circumſtantes igitur illum ſortia manu opera edentem, tandem captivum abduxunt. Hæc, Regnante Stephano, Emanuelem in Dalmatia egiſſe, reperitur, inde bellum cum Venetis, ipſo adhuc vivente Stephano, ſucceſſit, cujus cauſæ referendæ ſunt ut eventus Dalmatici melius percipiantur.

CA-

CAPUT X.

De bello inter Emanuelem, & Venetos, ejusque Causis.

INter Emanuelem, & Venetos bellum acerrimum exarsit, quod Veneti Scriptores, ob denegatum contra Regem Siciliæ auxilium, evenisse scribunt: Nicetas autem Emanuelem a Venetis animo alienatum, revocatis in memoriam Corcyræ ludibriis, Venetos retinuisse, eorumque bona fisco addixisse refert; Ioannes autem Cinnamus causas belli variis in locis sparsas ponit, ad quas percipiendas res altius repetendæ sunt, & Venetorum Græcanicique Imperii status describendus, ut veræ Causæ belli apparere possint.

Veneti post Duces Ursеolos arma tractandi nullam, parvamque occasionem habuerunt, ideo, navigationibus intenti, ex Constantinop. Imperio quæstum non modicum simul cum Dalmatis percipiebant, at bello inter Græcos, & Northmannos orto, navigationibus eorum exinde interruptis, pro suo instituto Græcis faventes, arma tractare cœpere, & quamvis victi, tamen utilitatis amittendæ timore, & Alexii oblationibus illecti validius insurgentes, victorias pro Græcis consecuti ab Imperatore maximis donis, Privilegiis, & immunitatibus remunerati fuerunt; Ita ut pace secuta industriosam navigationem dilatantes, mirum in modum ex his emolumentis opes auxerint, & paulo post Christianorum primam in Terram sanctam expeditionem cum Dalmatis 200. navium classe associaverint anno 1097. secundam vero Duce Ordelapho anno 1104. prosecuti sint, ubi Urbium expugnatarum participes facti Coloniis ibi relictis merces Orientales in Europam & Francos Peregrinos in Asiam transfretando, duplicem, continuatumque quæstum percipiebant: & quamvis eodem tempore varii Latinorum excercitus in Syriam procedentes dissensiones cum Græcis habuerint, & Dalmatas Colomanus Ung. Rex a Venetorum societate avulserit, tamen Veneti Græcorum amicitiam continuantes, adjuvante Alexio, post reditum Ducis Dalmatiam recuperarunt, nulloque obice navigationem vivente Alexio prosequentes, utilitatem, quam ex Constant. Imperio communem cum cæteris nationibus olim capiebant, ex Privilegiis Alexii auctam, multo majorem, quam cæteri percipiebant, exinde, navium numero crescente, prolatoque in Asiam dominio, longe majori lucro opes ampliarunt, Venetorumque nomen apud exteras quoque nationes celebre evasit, & in mediterraneo cæteras gentes præcellere cœpit.

Mortuo Alexio, cum Ioannes successisset, Venetosque, ex privilegiis paternis, opibus abundare cerneret, & ex prolato in Terram Sanctam dominio, sibi jam suspectam eorum maritimam potentiam haberet, Privilegia confirmare renuit, inde simultatibus primis inter Venetos, & Græcos ortis, Veneti III. expeditionem in Terram Sanctam facientes, Græcorum loca infestarunt, 1123.
qua de causa Imperatorem Vngaris faviſſe, ut Venetos parte Dalmatiæ privatos debilitaret, censendum est, sed Dux victricem Classem reducens, & Græcorum loca in Ægæo populavit & Dalmatiam recuperavit, Imperatorq; Privilegia paterna confirmare persuasus fuit, ut supra relatum est; exindeque Veneti navigationes quietas prosecuti sunt; Rebus Venetorum sic florentibus Ioanne mortuo, Emanuel succeſſit, qui, cum in principio sui Imperii, rem nauticam spreviſſet, & ut ait Nicetas *Vectigaliaque nautica in alios usus convertit*, ob id Pyratas quoque emersisse memorat, inde re navali Græcorum decrescente, eo magis maris dominium, navigationisque utilitates nomini Veneto acceisisse oportet; qui cum Sociorum Istriensium, & Dalmatarum auxilia prompta haberent, non solum Adriatici dominium continuarunt, sed etiam Ionii, & Ægæi arbitrium acquisivere, & Syriacis navigationibus, locisque ibi acquisitis adeo addicti fuere, ut Dalmaticis auxiliis contenti, Spalatum, & Tragurium suis legibus vivere, & Vngarorum protectione adhærere citra suspicionem permiserint, ut inferius dicetur; At cum Rogerius utriusque Siciliæ corona adepta, Corcyram Emanueli eripuisset, 1148.
aliaque loca populavisset, Veneti pro suo Instituto, ne aliquid eorum navigationibus obesset, Classem Græcis pro Corcyræ recuperatione miserunt, ipsoque deinde Emanuele personaliter adveniente, diutina obsidione cœperunt, ubi inter Græcos, & Venetos dissidium interceſſit, quod quamvis tunc sedatum, tamen deinde multoties renovatum fuit: Græci enim Fastum Imperii servantes, cum Venetis non uti sociis, & auxiliaribus, sed ut sibi obligatis agebant, ut ex Ioannis Cinnami Emanuelis Panegyristæ legatione ad eosdem, infra ponenda, patebit: Veneti vero propriis viribus auctis, longeque propagato dominio, maris arbitrium consecuti, obsoleta in Orientale Imperium reverentia, armisque Ioanne ad paciscendum coacto, a Græcis alieni, eos, prout inbelles, spernebant, ex quo mutuo animorum dissensu, gravissimi belli tunc jacta fuerunt initia, quod everſionem Græcorum Imperii, ipsiusque Constantinopolis captivitatem peperit, ut suo loco dicetur. Emanuel deinde reassumptis viribus hortante summo Pontifice multa loca Northmannorum cepit, cui *Sign.*
Venetos, quamvis Pontifici addictos, 1155.
auxilia præbuisse nemo refert, cum eisdem Græcos Italiæ loca, vel Regem Si-

ciliæ Græcorum occupare non conduceret, ob id a Northmannis facile recuperata fuerunt ; & cum ex diſſidio inter Pontificem, & Fridericum, Emanuel ſibi dominium Italiæ, & Occidentale Imperium ſomniaſſet, ideo homo vafer, qua negotiatione per Logothetam, Anconitanos ſollicitavit, qua pecunia Mediolani, a Frederico everſi, reſtaurationem juvit, tandem Coronam Occidentalis Imperii a ſummo Pontifice fruſtra petiit, ut Sigonius ſcribit. Ioannes autem Cinnamus lib. 3. *Claſſem totam fidei delegans Ioanni, Orientalium, atque Occid. Domeſtici, jubet, ut Anconam Italiæ Emporium navigaret, inde velut e ſede belli impeteret Italiam ; At vero Ioannes ad Booſen fluvium, cum veniſſet, omnem pergendi curam abjeeit, ſive rei nauticæ imperitia peccaverit hac parte domeſticus, ſive ſuaſionibus inductus Venetorum, ne ſcilicet Domini Italiæ facti Romani, & vicinæ ſibi Regionis poſſeſſores, Venetos, id quod erat contemnerent, minuſque eorum commilitio indigerent, ſive igitur hanc, ſive illam ob Cauſam, nihil executus eorum quæ imperaverat Princeps, tempus inutiliter Domeſticus conſumpſit.*

1156.
1158.
1162.
1167.

Et lib. 4.

Ad Corcyram cum bellum gereret difficilem, ac malignam ſibi Venetorum gentem adverterat: eo plurimi facere, ſi vindicata ſibi Ancona, & illorum ſuperbiam multum imminueret, & bella inde Italica facilius expediret ; Ea propter quidem magna cum pecuniarum vi Anconam venit Alexius, inde dimiſſis in Italiam Conſtantino Oto, & Andrea Comite Civitatis Italicæ viro, manu impigro, & fortitudine magna prædito, auxiliares multas copias contraxit, Vrbesque quamplurimas Romanis ſubjecit, relatiſque cum Hunnis bellis, & locis Croatiæ, & Dalmatiæ, quæ in poteſtatem ejus devenerunt, ut cap. præcedenti relatum eſt, & deinde Friderici victoriis ſubdit. *Ideo cura eſt injecta Principi, quo pacto impetum ejus reprimeret, ne præter modum ſucceſſibus ferox, iter in fines Romanos converteret, quo jam dudum avaros oculos intenderat. Propter quæ ad gentes ibi ſitas, & ad ſinum Ionium incolentes, ignobiliores quosdam clam emittens, & inſatiabilem Friderici animum ob oculos iis poſuit, & ad reſiſtendum incitavit. Ad Venetos autem Nicephorum Caluphem cum pecuniarum vi miſit, effectum ejus gentis exploraturum, & cætera pro utilitate rei Romanæ acturum.*

Et infra.

Caluphes autem poſteaquam Epidamnum veniſſet, relicta ibi, ſicuti imperatum erat, maxima pecuniarum vi, ventum ſecundum nactus, ad Venetos navigavit, atque ubi in colloquium venit Ducis, aliorumque in iſta gente illuſtrium virorum, hujusmodi orationem habuit. Nemo veſtrum exiſtimet viri, me, quia metuimus ne minus aliquando permanſuri ſitis in illa veſtra erga Imperium Romanum benevolentia, ideo ab Imperatore miſſum eſſe, ut labantes veſtros animos erigerem, & confirmarem. Neque enim aut vos ipſi tam degeneres, & veſtro indignos genere præſtiteritis: aut falſam olim de vobis opinionem Imperator habuerit: Quandoquidem vero inter omnes, qui Imperio ejus ſubſunt populos, ex veſtra maxime benevolentia, fiduciam accepit ; ea propter, & ſuam ſollicitudinem vobis primum indicare, atque oſtendere voluit. Turpe enim eſt ſubditis quidem uti felicibus, miſerorum vero ſalutem negligere. Ne igitur, & vos cum aliis, quibus non obtigit benevolentia Imperatoris, vim forte a Friderico patiamini, viro per ambitionem Imperii diſſolvere nullo labore conanti, quæ tempore, & longa ſæculorum conſuetudine ſtabilita ſunt ; me uti videtis ad vos miſit, omnia conceſſurum, quæ ab ipſo impetrari neceſſe ſit. Noſtis enim, ut aliquando ad Mediolanum Principe adjuvante, commiſſo cum Friderico hoc prælio, eum ſuperaviſtis. Propter hoc, & inimicus eſt Imperatori, & ſtolidæ confiſus ſocordiæ, Romanorum Imperator nullo Iure dici contendit : ignarus repentina, atque intempeſtiva fortunæ bona, cum ſolida non ſunt, cito defluere, & evaneſcere. Atque ea ſunt, quorum ob cauſam ad vos acceſſi. Veſtrum autem erit, effecta reddere, quæ nuper per Legatos Imperatori promiſiſtis. Dicebatis tum nobis adjunctum iri vicinas Ligurum Civitates, ſi modo aliquis Byzantio, qui vobiſcum rem capeſceret adventaret. At hoc jam factum eſt, ſicuti videtis. Et hæc Nicephorus ; Veneti autem, probata ejus oratione, omnia ſe executuros polliceri ; Imo & Cremona, & Patavium, & aliæ plurimæ Ligurum clariſſimæ Urbes ad Imperatorem acceſſere. Hæc in Italia Princeps agitavit non aperte, nam celare adhuc conceptam adverſus Fridericum indignationem cupiebat, ex quibus, quod obſtante Northmannorum unita potentia in Orientali Italiæ parte effici non potuerat, in Occidentali cum Longobardicis Civitatibus, Venetorum fœderatis, eisdem mediatoribus, quamvis, ab eis jam animo alienum, tamen, timore Friderici, contra eundem occulto agere conatum Emanuelem apparet, ſed Croatia deinde, & parte Dalmatiæ in poteſtate ſua redacta, portubuſque exinde in Adriatico conſecutis, Anconam quoque in ſui poteſtatem redigere ſategit, ut portum commodum in Italia nactus, ex proximis Dalmatiæ, & Croatiæ locis, & Venetos (ut ait Cinnamus) compeſceret, & Longobardiæ, inter ſe diviſæ, parte Pontificia in protectionem ſuſcepta, Friderici ſequaces ſubigeret, ipſumque Fridericum Italia pelleret, ſibique Longobardorum Regnum appropriaret. Veneti vero, qui toties, vel Northmannis obſtando, vel Emanueli auxilia denegando, utrorumque conatus eluſerant ; Pontificias deinde partes contra Fridericum tuentes, Longobardicis Civitatibus juncti, Emanuelis auxilia citra ſuſpicionem ſuſcipientes, navigationibus Aſiaticis intenti in Adriatico Iadram, cum Inſulis tenentes, de Spalato, & Tragurio, donec in Ungarorum protectione fuerunt, ſoliciti non fuere, eo quia Ungari, Claſſe carentes, ſuis navigationibus obeſſe non poterant : ſed cum Croatiam, & Dalmatiæ partem ad Emanuelem perveniſſe, ipſumque horum locorum Commoditate, non amplius

plius occulte pecunia, & negotiatione, ipsis mediatoribus, partes Pontificias in Italia contra Fridericum fovere, sed ex ejusdem protectione Anconitanos sibi Æmulos effectos cernerent; Inde veriti, ne, vel Emanuel Anconani consecutus, Adriatici dominium recuperare tentaret, vel saltem Anconitani, ejusdem auxilio freti, sibi navigationem denuo perturbarent: Ideo dissimulatione posthabita aperto Marte Anconitanos aggressi sunt, ut Dandulus refert, *hoc tempore Anconitani Emanuelis obedientes Venetos, ut sibi Æmulos cæperunt habere. Dux ob hoc, missis Gallis, illorum Quinque cepit Galeas;* ob hanc ergo Causam Emanuelem irritatum, speque Adriatici, Italiæque acquirendæ frustratum, maximo in Venetos odio exarsisse credendum est, quamvis Cinnamus alias Causas prætexens rem prolixe narret, *sub idem tempus, & Venetos quot quot Byzantii, & quibuscunque in Imperii Romani finibus habitabant in Custodias condidit, eorumque bona publicavit, ob Causam, quam exponere aggredior. Venetorum Regio in extremis partibus Ionii sinus sita est . . . . . Est autem natio ista truci ingenio vana maxime, atque illiberalis, utpote nauticis moribus, & ineptiis plena. Hi postquam Alexio Imperatori auxilio venissent, quo tempore Rompertus ille ex Italia Dyrrhachium transmissus tractum eum occupaverat, cum alia ejus officii prætia accepere, tum proprius illis Byzantii Vicus assignatus, quem Empolum vulgo appellant; eoque omnium soli, & illo tempore Decimas ex mercatura Romanis non solverunt. Inde in immensum ditati superbire cœperunt. Cives non aliter, atque Servos tractarunt, neque eos modo, qui de plebe infima, verum & Sebactos, & in majore etiam dignitatis fastigio apud Romanos constitutos, quibus indignatus Ioannes Imperator omnes e republica eliminavit: Inde ulciscí Romanos in animum induxere; Itaque Classe comparata, in terram eorum egressi Chium capiunt, & Rhodum, atque Lesbum celeberrimas Insulas depopulantur; & in Palestinam delati, Tyrum quoque expugnant. Ad hæc mare totum latrociniis & spoliis infestantes, nulla scelerati humani generis misericordia promovebantur. Ideo ab Imperatore in antiquum statum restituti, multo superbiores, atque insolentiores esse. Arrogantia enim reatu factorum opinione inflata quandoque, & in ultimum improbitatem vertere solet, unde factum est, ut multis illustribus viris, & Principi etiam sanguine innexis, plagas intulerint, & alias quasque gravissimas injurias decreverint. His moribus temporibus etiam Manuelis egere: Romanisque mulieribus conjugio commixti, & ædibus earundem sociati, Exemplo aliorum Romanorum extra limites ab Imperatore sibi præscriptos domicilia habebant. Quæ, cum ferre amplius Princeps non posset, pœnis compescere delicta eorum statuit. Qui ergo Byzantii habitabant, ab iis, qui negotiandi Causa accedebant Venetis, discernens, Burgesios, Latina voce appellavit, fide data pollicitos, se, quoad viverent in deditione Romanorum futuros: id enim nomine hoc indigitare volunt: Interea temporis Lampardis succensentes Veneti, quod a partibus suis desciverant, invasere ipsos, funditusque eversis eorum domibus, indignissime mulctarunt, quapropter in jus vocatos Imperator instaurare Lampardis sedes suas, & quæ alia eis eripuissent, restituere imperavit. Verum nihil eorum, quæ imparata erant, Veneti perficere, quin, & minas intentare, infinita se mala inflicturos Romanis reducentes in memoriam, quæ superstitæ adhuc Ioanne Imperatore fuissent ausi. Quæ cum videret Imperator cunctari amplius noluit, verum quasi indagine, & uno die circumvenire statuens, literas per Imperium Romanum, quo quo versum misit, quibus certum, Præfectis locorum, præscriptum tempus est, quo injicere Venetis manus oporteret: ita & illi, qui Byzantii erant, quippe in ultimis Imperii angulis habitabant, uno momento capti sunt, & in Carceres, ac sacra loca conjecti.* Hæc Cinnamus factum Emanuelis excusans, sed quæcunque hujus belli Causæ fuerint; sicuti contra jus gentium, Venetos quot quot in Imperio Constantinopolitano reperiebantur captivos constat, ita celebris illa Venetorum centum triremium, & viginti navium classis, centum dierum spatio emissa, Venetorum maritimam potentiam declarat, quam sicuti Chium appulsam concordes sunt Veneti cum Græcis, ita de ejus reditu, diversa referunt, Nicetas enim scribit de Emanuelis Classe *multis auxiliaribus Sclavinorum navibus ascitis*, Emanuelem scilicet, uti Serviæ, Croatiæ, & partis Dalmatiæ Dominum ascitis navibus eorundem, scilicet, Sclavinorum. Venetis oppositisse Classem, metu cujus recesserint Veneti, cum eisque tandem pacem feciſſe, damnorum refectionem pollicitum, ut ab amicitia, Siculorum averteret, cum Latinorum unionem timeret: Veneti autem scribunt Classe Chii moram trahente, Emanuelis perfidia aqua veneno infecta, Classiarios in graves morbos incidisse, ita ut ex centum triremibus 17. tantum superstites domum reversæ sint, pacemque cum Emanuele secutam promissa damnorum refectione conveniunt; Sed eandem in classem Dalmatiam delatam, Spal. Trag. & Ragusium, quæ Emanueli se dederant, recuperasse scribunt Veneti; Dandulus vero de Spalato nihil tradit, de Tragurio autem hæc *contra Tragurinos, qui Emanueli subjecti erant, triginta misit galeas, quæ Urbem belligere obtinentes, ut posteris redderet ad terrorem, non solum parte eam diruit, sed etiam propriis thesauris expoliavit.* Sabellicus quoque Tragurium vi captum, funditusque eversum scribit; sed sicuti Dandulum ex vita B. Ioannis numerum galearum, quæ Trag. obtinuerunt sumpsisse apparet, ita belligerationem, & in parte dirutionem, ab aliis Chronistis accepit: Constat enim ex eadem vita, Venetorum Classe secundo Chium progrediente, 30. ejus triremes Trag. divertisse, Civitatemque nondum a Saracenica destructione restauratam, muris, & Turribus caruisse, *sed solis Spa-* *Vita B. Ioan.*

lib. 4.

ris ex quibusdam Maceriis circumsepta fragilibus, ob id facilem captu, nulla belligeratione opus fuisse, & tunc direptam tantum, in notis ad eandem vitam, & latius in patriæ Chronico, discussum est. Hanc autem direptionem, invito Duce, evenisse Blondus, & aliqui antiqui Chronistæ scribunt; morbum quoque Venetæ Classis eadem vita memorat, & ex 30. triremibus, quæ Trag. diripuerant, sex tantum domum rediisse refert, cæteris morbo pereuntibus. Emanuelem tamen Croatiæ dominium simul cum parte Dalmatiæ continuasse, usque ad ejusdem mortem exscripturis Spalat. patet, & quamvis Croatiam, a Stephano Rege Bellæ fratri assignatam, Emanuel teneret, ipsoque Stephano mortuo, Bellam
1173. ad capessendum Ungariæ Regnum remisisset, Croatiam tamen retinuit, de quo Archidiaconus relato quomodo Alexander III. ad petitionem Spalaten. Gerardum patria Veronensem in Archiepiscopum elegerit, & consecraverit Cap. 20. subdit: *eo tempore Spalatenses, & tota pene Dalmatia subjecerunt se Constantinopol. Imperio, quamobrem Spalatini Cives cœperunt rogare Herardum Archiepiscopum, ut ad Urbem Regiam proficiscens, fidem pro se, & pro Civibus Imperatoriæ celsitudini Iurejurando firmaret; sed cum nollet acquiescere præter mandatum Papale; Civesque instando quasi vim facerent, Venerabilis Gerardus ad Alexandrum Papam se contulit, petens ab eo consilium, quid super facto hujusmodi sibi foret agendum, vero Papa ipsius indebitæ molestationis compatiens, præfecit eum Ecclesiæ Sipontinæ, retenta nihilominus administratione Ecc. Spal.* & cap. 22. *Mortuo tandem bonæ mem. Gerardo Archiepiscopo ad instantiam totius Cleri Alex. Papa Raynerium Episcopum Callensem Tusciæ ad Archiepiscopatum Spalati transtulit. Eo tempore Emanuel inclytæ memoriæ apud Constant. imperabat. Tota autem Dalmatia, & pene Croatia universa subjecta erat Principatui ejus. Ipse autem erat benignissimus circa omnes sibi subjectos, non tributorum exactor, sed divitiarum suarum liberalissimus distributor. Omnes ad se venientes honorabat, omnibus impensas ex fisco Regio exhibebat. Recepta autem computatione Capitum Civitatis Spalatensis, mittebat stipendia omnibus, infantibus etiam in Cuna jacentibus, singulos aureos dari faciebat. Mittebat autem Duces suos cum magno apparatu armorum, portantes pro sumptibus pecuniam copiosam; qui veniebant, & tenebant Civitates maritimas, & magnam Croatiæ partem; Itaque Spal. rogaverunt Raynerium Archiepiscopum, ut pergeret Constantin. ad Imperialem Curiam visitandam; qui gratanti animo acquiescens, associatis sibi aliquod de Nobilibus Civitatis, Constantinopolim profectus est; ingressusque ad Emanuelem Imperatorem, ipsumque ex parte suorum Civium multum reverenter salutans, valde honorifice ab Imperatore susceptus est, & quamdiu ibi mansit satis venerabiliter impensis ex Curia affluenter exhibitis procuratus est; Cum autem redeundi licentiam a Principe postulasset, donavit ei munera prætiosa satis, & non parva, sicque ad Ecclesiam suam gaudens, & locuples est reversus . . . . obiit autem Venerabilis Raynerius 2. Nonas Aug. A. D.* 1180. *præfuit vero Ecclesiæ annis quinque.* Spalatenses autem subditos fuisse Emanueli, donec vixit, ex infra scriptis scripturis superstitibus constat.

In Christi nomine. Anno ab Incarnatione D. N. Iesu Christi 1174. *Indictione* 7. *tempore invictissimi, ac semper triumphatoris D. N. Imperatoris Manuelis in Civitate nostra Spalatina prominente Constantino Sevasto, in Buccaratu Heliæ.*

Ego Ioannes Spalatinus Comes, pariter cum Petro Iudice, & cum toto ejusdem Civitatis Populo, pari voluntate, & communi consilio decrevimus. Lex de testimonio mulierum non acceptando. *Ut hoc autem firmum, & stabile a modo, & semper consistat jurejurando firmavimus.*

1178. *Indictione XI. Tempore Manuelis Magnifici Imperatoris, in Civitate Spalatina Raynerio Ven. Archiepiscopo Cathedram Archiepiscopalem regente, Comitatum vero prædictæ Civitatis obtinente Martino Comite.*

Ex Cart. Capt. Spal.

Ligiæ Imperii mei Rogeri Sclavoni, Insinuatum est, Imperio meo ab honorificentissimo Archiepiscopo Spal. R. quod quidam Incolarum ejusmodi Regionis, sed & Caciclorum aliqui, non pauca eorum, quæ in suo Privilegio, & ad suam Ecclesiam pertinent, possident in Serengene, & prædicta quod Ecclesia illis suis bonis privetur. Hi autem violenter ea tenentes dictæ Ecclesiæ Prælato nullam propter hoc reverentiam faciunt, jubet ergo tibi Rogerio Imperium meum, ut discutias hujusmodi negotium in præsentia prædicti Archiepiscopi, & prædictorum incolarum, atque Caciclorum, quod si in Privilegio prædictæ Ecclesiæ constiterit, omnia prædictæ Ecclesiæ in integrum restituas, sicut in Cartula prædictæ Ecclesiæ apparuerit pertinere, possessores autem repellas, & interdicas eis, ut desistant ab invasionibus rerum hujus Ecclesiæ, & præsertim in Villa de Serengene; quomodo vero, & idem Archiepiscopus conquæstus est, quod prædia Ecclesiæ S. Bartholomei occupata sunt a quibusdam, consideratu Rogerii Ligiæ mei Imperii, & omnem Terram, quam supradictus Archiepiscopus poterit monstrare per cartam, aut per bonos testes, esse, vel fuisse S. Bartholomei, Archiepiscopatui Sancti Domnii in integrum tribuas mense Martio Indictione XIII.

In Christi nomine Anno Dominicæ Incarnationis 1180. *Indictione vero* 13. *Regnante D. N. Manuele Sanctissimo Imperatore, & in Ducatu Dalmatiæ & Croatiæ existente D. Rogerio Sclavoniæ Duce, Hoc actum est ante præsentiam idoneorum testium, nomina quorum inferius leguntur, & in Civitate Spalati, & in podo Imperialis Turris. D. Rogerius Sclavoniæ Ducas de Monast. D. N. Sanctissimi Imperatoris Manuel dedit mihi Rogerio Spal. Archiepiscopo duos pristaldos, Michaelem Dragumanum, & Petrum de Sagavella de Terris videlicet S. Bartholomei, quod ab isto die in antea* 5. *die Martis, qui est X. dies mensis Iunii in introitu ejusdem mensis ubicumque repertæ fuerint Terræ, & omnia prædia memoratæ Ecclesiæ, sint Ecclesiæ*

B. Domnii. in perpetuum, ita quod deinceps nullus Zuppanus, vel post Zuppanus, & nullus alius homo aliquam molestiam, sive injuriam Deo, & B. Domnio, & mihi Raynerio Spalat. Archiepiscopo, omnibus meis Canonicis successoribus audeat inferre, quicunque autem aliquid contrarietatis, seu adversitatis Deo, & B. Domnio, mihique Raynerio Spalati Archiepiscopo, vel meis Canonicis successoribus aliquam temeritatem præsumpserit facere, habeat iratum trinum, & unum Deum, & indignationem summi Imperii omnino incurrat, & consequatur; Hujus autem rei isti sunt testes; Inprimis Mierus Segnensis Episcopus, Flasco Tinens. Episcopus, Martinus Spalat. Comes, Marinus Tragurien. Comes, Iuppanus Desa, Iudex Vilcotta, Breveco Iuppanus, Comes Nicolaus Iuppanus, Miroslauus filius Bogdanazi Iuppanus, Srepanus filius Raccos Iuppanus, Grubessa filius Saioli Iuppanus, Desco Præsbyter Kadolæ, Vilcotta subdiaconus, Sorizcius Clericus, Iuppanus Drago, Paulus de Avina, Nicolaus de Caloiatine, Dabre filius Ottoch, Michael frater Iove, Bogdanus filius Kale, Dobre de Mari, Vitus Clericus, Grobie Clericus, Caraldus Clericus, & Sagarella. Et ego Magister Gualterius Comitis Not. qui hanc Cartulam scripsi, testor.

† *Ego Rogerius Sclavone Dei, & Imperiali gratia Dalmatiæ, & Croatiæ Duccas manu mea subscripsi.*

Ex quibus ab Anno, 1171 usque ad annum 1180. & Emanuelis mortem Spalatenses eidem subditos fuisse, apparet, hoc eodem anno lapidatum Rainerium Archiepiscopum a Cacichlis in supradicta jussione Imperiali, & a Cinnamo nominatis ex Archidiacono constat, pro Martyreque inde habitum ejus miracucula comprobant, vivente eodem Emanuele Sibenicenses pyraticam exercuisse ex litteris Alex. Papæ tertii elicitur, quarum una data est Rivoalti, quando inter Pontificem, & Fridericum Imperatorem pax Venetiis conciliabatur, ideo forsan id jubente, vel connivente Emanuele evenit, quem Latinorum unionem timuisse ex supracitato Nicetæ loco argui debet, & illa litterarum Pontificiarum interceptio, Emanuelis calliditati tribui potest, cumque ex eadem, quod de pyratarum Belgradi Excommunicatione supradictum est, & Sibenicensium status percipi possunt, apponetur.

Ex Originali in Arch. Cap. Spal.

Alex. Episcopus . . , Ven. fratribus Spalatens. Archiepiscopo Apostolicæ sedis Legato, & . . . Trag. Episcopo salutem, & Apostolicam bened. cum dilectus filius Raimundus de Capella Subdiaconus noster a præsentia K. mi in Christo filii nostri VV. Illustris Siciliæ Regis, ad quem fuerat a Nobis, & a dilecto filio nostro Iacobo S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. transmissus, rediret ad nos, pyratæ, qui erant in Sagettia Comitis de Sevenico, in qua duo Comites erant, Nestros videlicet, & Poclat, in ipsum, & Socios suos præsumpserunt violentas manus injicere, & ei quidquid habebat in navi valens ultra sexaginta marchas argenti, & litteras etiam nostras, & illas etiam, quas præfatus Rex Nobis mittebat, ut scriptum de d . . . . pecuniæ ipsius Cardinalis, ei turpiter, & inhoneste auferre minime dubitarunt, super quo itaque tanto movemur amplius, & turbamur, quanto id amplius in nostram injuriam respicit, & contemptum, cum tantam jacturam, & injurias cujuslibet Clerici, ne dum Subdiaconi nostri non possemus sub taciturnitate, & silentio præterire, quoniam igitur sustinere non possumus, nec debemus, ut tanta præsumptio, & excessus incorrectus remaneat, fraternitati vestræ. per Apostolica scripta præcipiendo, mandamus, & mandando præcipimus, quatenus illos duos C. C. & pyratas, & raptores alios, qui in prædicta Sagettia fuerunt quantotius moneatis, ut tam litteras, quam etiam ablata nuntio memorato Subdiacono nostro, præsentium latori, sine diminutione, & dilatione, cum expensis, quas propter hoc facere coactus est restituant, & C. de Sevenico, cujus illa Sagettia fuit, ad restituendum quidquid de his ad suas manus devenit, diligenter inducatis, si vero ad commonitionem vestram id non fecerint eosdem, & omnes, qui tunc in prædicta Sagettia fuerunt, contradictione, & appellatione cessante, publice accensis candelis auctoritate nostra excommunicetis, & si nec sic infra X. dies, resipuerint, in Civ. Sevenici, & in alia Terra Com. Sevenici, si ejus fuit ipsa Sagettia, omnia divina, præter baptizma parvulorum, & pœnitentiam prohibeatis officia celebrari. Illos autem qui in prædictum Subdiaconum nostrum violentas manus injecerunt, sublato appell. remedio, publice excommunicatos sine dilatione denuncietis, & eos faciatis, sicut excommunicatos vitari, donec universa ablata restituant, & cum litteris vestris, Nobis, & prædicto Cardinali, nec non etiam eidem Subdiacono nostro satisfacturi ad Apostolicam sedem accedant, qualiter autem idem Nuncius cum his, quæ recuperaverit ad nos secure possit redire, studeatis solicite providere. Porro si uterque vestrum . . . sequendi Interesse non poterit alter, & nihilominus exsequatur. Datum Venetiis Rivoalti X. Kal. Aug. Tragurium tamen Venetis adhæsisse vivente Emanuele ex sequenti Privilegio Originali constat.

In Archivo Communis Trag.

S. Ziani Dei Gratia Ven. Dalm. atque Cr. Dux, omnibus fidelibus suis ad quos istæ litteræ pervenerint salutem, cum bonæ voluntatis gratia. Credentes, & certa relatione scientes, quod Traurini ad nostram devotissime existunt fidelitatem, nolumus, ut aliquo modo offendantur, neque tollatur eis aliqua inconsueta strinna, nisi quam ipsi sponte dare voluerint. Quapropter vobis præcipiendo mandamus, quatenus eosdem Traurenses, & illorum bona custodientes, nullam ab eis inconsuetam strinnam exigatis, sed illam, quam vobis sponte dederint, bene recipiatis . . . . . ne aliqua eis molestia inferente, & quicunque aliter facere præsumpserit, nostram se sciat amisisse gratiam. Data mense Februario Ind. VII. feliciter.

Quæ in annum 1174. cadit.

Hæ memoriæ rerum in Dalmatia, &

Croatia geſtarum, uſque ad Emanuelis mortem reperiuntur, quibus addenda eſt Eccleſiaſtici ſtatus in Dalmatia alteratio, Archiepiſcopatuſque Iadrenſis Inſtitutio.

CAPUT XI.

De Archiepiſcopatu Iadrenſi, & Primatu Dalmatiæ Patriarchæ Gradenſis.

IAdrenſis Epiſcopatus antiquitatem teſtatur Felicis Epiſcopi in concilio Aquileienſi ſub Damaſo Papa ſubſcriptio deinde Sabiniani apud Gregorium Magnum mentio poſt Dal. autem deſolationem Donati ad Carolum Magnum legatio, prout, & Vitalis mentio, cui Ioannes Papa VIII. ſcripſit, qui cum ſucceſſoribus in relatis ſcripturis nominatis Metropoli Salonitanæ ſive Spalatenſi paruerunt, primumque Micham obedientiam detrectaſſe, Archidiaconus ſcribit, qui relata fuga Manaſſes Archiepiſcopi Spalat. ſequitur cap. XVII. *Quo fugiente dicitur vacaſſe Eccleſiaml quamplurib us annis. Interim autem Dabro Ditii Archidiaconus præerat Capitulo: Comes vero Cernecha Civitatem regebat. Iſti ambo (ut ferunt) uno conſilio proventus Eccleſiæ ſuis uſibus retorquentes electionem Pontificis frivolis, dilationis ſupplantabant.*

378. *lib.* 7. *ep.* 12. *an.* 598. 806. *ep.* 190.

De exemptione Iadrenſis Eccleſiæ cap. 19.

Eo itaque tempore Micha Epiſcopus Calopreſtantii filius præerat Eccleſiæ Iad. huic promittebat Dabro Archidiaconus Archiepiſcopatum Eccleſiæ Spalatenſis. Quamobrem multa donaria, & exenia conſequebatur ob eo, ſed quod ei de Pontificatu Spalatino promiſerat, nolebat ducere ad effectum; Tunc, inſtante Epiſcopo promiſit Archidiaconus, talique ipſum calliditate decepit; ſtatuit namque diem, qua Spalatum veniens, Miſſam caneret, admonitionem faceret, ne tanto tempore ſinerent ſuam Eccleſiam Paſtore viduatam manere, & inter hæc verba pollicitus eſt Archidiaconus, primam ſe vocem electionis de perſona Epiſcopi emiſſurum. Quid plura? venit Epiſcopus, Miſſam cecinit, admonitionem fecit: ſed is qui ſe in ipſius electionem proclamaturum promiſerat, nihil dixit. Videns autem Epiſcopus ab Archidiacono ſibi fore deluſum, vehementer indignatus receſſit, proponens, debitam ſubjectionem Spalatinæ Metropoli ſubtrahere, & ab ipſius Iuriſdictione ſe omnino eximere. Defuncto tandem Micha Epiſcopo, ſucceſſit alter in Eccleſia Iadrenſi, qui deceſſoris ſui ſequens veſtigia, inobediens Spalatinæ Eccleſiæ permanſit. Tunc Spalatenſes elegerunt quendam Gregorium Clericum jadrenſem, ipſe ædificari fecit Eccleſiam Sancti Ioannis, quæ eſt Capella Curiæ, ſed antequam munus conſecrationis ſuſcepiſſet, morte præventus eſt. Erat autem eo tempore Gaudius Clericus natione Spalat. Plebanus Eccleſiæ Sanctæ Anaſtaſiæ eleganti ſtatura, & inter cæteros litteratior habebatur. Erat autem filius Cocini nepos Carochulæ, potens homo, multorum enim erat cognatorum & affinium populoſitate prædi-

tus. Hic ergo Spalatinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus eſt effectus; Plebanatum vero Eccleſiæ Sanctæ Anaſtaſiæ contulit nepoti ſuo Madio Primicerio, fratri Ioannis Meſagalia, quia patronatus jure ſpectabat ad eum. Fuit autem Gaudius iſte gratioſus ſatis apud Reges Ungariæ, quippe ut elatus homo eorum Curias frequentabat: Ordinatus fuit Anno Domini MCXXXVI. tempore Cernechæ Comitis.

Et infra cap. 20.

Interea vacante Eccleſia Iadrenſi, tres ejuſdem Eccleſiæ Clerici ad Pontificatus honorem certatim aſpirabant: videlicet Lampredius Marichnæ, Petrus Camaſii, & Martinus Marozavini, Comes vero Civitatis erat eo tempore Petrana Hic cœpit fovere partem Lampredii, ſperans ſe cum eo ſuavius vivere, eo quod, nec ipſe per ſe ſuperbus, nec erat de ſuperbo ſanguine procreatus. Tandem Lampredius iſte Iadrenſis Epiſcopus eſt effectus. Iſte primus ſub Patriarchæ Gradenſi pallium obtinuit ab Anaſtaſio Papa, anno Domini MCXLV. Erat eo tempore quidam Luccarus filius Duimi Ciclæ Archidiaconus Eccleſiæ Spalatenſis, hic dolens, quod Iadrenſes a Salonitana Metropoli ſe eximere laborabant, petiit, a Clero, & populo conſilium, & expenſas promittens ſe in perſona propria ad ſedem Apoſtolicam acceſſurum, & privilegium Salonitanæ Eccleſiæ contra Iadrenſium molimina allegaturum; ſed tanta erat invidia contra Archidiaconum ſupradictum, ut non acquieſcerent dictis ejus, imo abſque omni pudore in faciem ejus reſponderunt, dicentes, nolumus quod aliquid boni per te lucretur Eccleſia Spalatenſis. Ad hanc reſponſionem perturbatus Archidiaconus ſiluit, nec de facto hujuſmodi ſe ulterius intromiſit; & quia tunc vacabat Archiepiſcopo Eccleſia Spalatenſis, facile Iadrenſes ſine contradictore potuerunt exemptionem ſuæ Eccleſiæ obtinere. Hæc Archidiaconus de exemptione Iadrenſis Epiſcopatus, pro cujus clariori intelligentia, altius repetendæ ſunt cauſæ, ut occaſio ab Archidiacono relata clarior appareat; nam ſicuti deſtructa a Slavis Salona, Præfectum ſive Proconſulem Dalmatiæ Iadræ reſediſſe, & Archiepiſcopatum Salonitanum Spalatum translatum, Metropolicum jus Dalmatiæ ſervaſſe ex dictis conſtat, ita donec Dalmatæ a Slavis præſſi fuerunt, debilem ipſorum ſtatum, & propter externum metum, quietum fuiſſe, & pacificum conjectari debet; a Venetis deinde protecti cum Croatis pacem volentes reſpirare cœperunt, & Archiepiſcopus Spal. Iuriſdictionem ſuam libere per Croatiam exercendo magna emolumenta ex relatis Ducum, & Regum eorumdem donationibus perciebat, Metropoliticamque dignitatem ſplendide ſuſtinebat, ſed Regibus extinctis, Croatorum res ſub Ungarorum dominio minui; Dalmatarum vero ex Venetorum

patro-

patrocinio augeri cœperunt, nam quoties relata bella inter Ungaros, & Venetos recrudeſcebant, eo magis Croatiæ Inſulas, & Littora continentis deſerere cogebantur, quarum maxima pars Iadrenſium commodo ceſſit, qui Croatorum moleſtiis liberati, navigationem quietam nacti, ex ſitus opportunitate, opes populumque auxerunt, cæterasque Dalmatiæ Civitates præcellere cœperunt, & deſtructo Belgrado ex Inſularum ejuſdem donatione a Dominico Michaele Duce Venetiarum facta eidem Epiſcopo Michæ, de quo Archidiaconus, (ut ſupra relatum eſt) juriſdictio Epiſcopatus Iadrenſis, & reditus ampliati fuere, tunc Epiſcopum ſpiritus elatiores ſumpſiſſe, & occaſione oblata Archiepiſcopatum Spalaten. conſequi tentaſſe, ſpeque deluſum, obedientiam primo denegaſſe, mox exemptionem procuraſſe dicendum eſt cum autem hæc Michæ inobedientia eo tempore inciderit, quo Innocentius II. ob ſchiſma Anacleti in Gallias proficiſci coactus fuit, quod ab anno 1130. uſque ad 1139. perduravit; ideo nil mirum ſi ejis ſucceſſor non ſolum *inobediens perſeveravit*, ut Archid. ſed etiam *Petrus Archielectus* 1138. dictus reperiatur, eodemque tempore Gaudius Spalaten. Archielectus Pallium ab Archiepiſcopo Strigon. ſumere præſumpſerit, qui ſicuti *gratioſus ſatis apud Reges Ungariæ: quippe, & elatus homo eorum Curias frequentabat*, ut Archid. refert, ita Bela Rege petente ab Innocentio in ſede reſtituto Pallium recepit, ut in ejuſdem Epiſtola refertur,

Script. Iadrenſ.

Regiſtr. Archiep. Spalat.

Innocentius Servus Servorum Dei G. Venerabili fratri Salonitano Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sicuti B Gregorii teſtatur auctoritas, & tam veterum, quam modernorum geſtorum monumenta declarant examinatio, & conſecratio Salonitani Archiepiſcopi ex antiqua inſtitutione ad Romanum Pontificem ſpecialiter ſpectaret. Quocirca in ſanctam Romanam Eccleſiam graviter deliquiſſe, & claves Beati Petri auſu temerario evacuare voluiſſe dignoſceris, dum ſpreta dignitate ſedis Apoſtolicæ ad aliam Provinciam convolaſti, & contra veterum conſuetudinem a Strigonienſi Archiepiſcopo conſecrationem ſuſcipere attentaſti. Licet ergo vehementer exceſſerit; Licet contra ſtimulum calcitrare molitus ſit, quia tamen dilectus filius noſter Bela Ungariæ Rex pro te multoties apud ſedem Apoſtolicam per litteras, & nuncios interceſſit, ipſius tandem precibus condeſcendimus, & per dilectum filium noſtrum Ubaldum Diaconum Cardinalem Virum ſiquidem honeſtum, & litterarum peritia eruditum fraternitati tuæ Pallium Pontificale, officii plenitudinem, ſignum humilitatis, & juſtitiæ deſtinamus. ut videlicet eo his diebus utaris, quibus in Eccleſiæ tuæ ſcriptis authenticis continentur. Apoſtolicis obedire, ut hac gratia dignior valeas inveniri, & nos de tuæ actionis, ſtudiis exultare poſſimus. Præterea Epiſcopos per Dalmatiam conſtitutos ſuffraganeos quibus Salona tempore ſuo rutilando utebatur, ſanctæ Spalatinæ Eccleſiæ, ubi corpus S. Domnii diſcipuli B. Petri requievit, cum omni reverentia obedire ſancimus, quem unum totius Dalmatiæ Metropolitanum in Salonitana Eccleſia fore ſcimus, juxta quod in decretis noſtris comperimus, item quia per veſtras litteras conqueſti eſtis de ſuffraganeis recuſantibus venire ad conſilium Salonitanæ Eccleſiæ Metropolitanæ. Nos ita ſtatuimus, ut in Dalmatia nullo alio in loco Synodus præter in veſtra Metropolitana celebretur, & ibidem omnes ſuffraganei præfatæ Eccleſiæ Salonitanæ more ſolito conſecrentur Dat. Lat. IX Kal. Iun. Ex qua apparet reluctatio aliquorum Dalmatiæ Epiſcoporum veniendi ad Synodum Salonitanam, ſive Spalatenſ. quod de Petro Michæ ſucceſſore, qui ſe pro Archiepiſcopo Iadren. gerebat, & de tribus occidentalibus Epiſcopis, quos ſibi in ſuffraganeos deſtinarat *inobedientes Spalatinæ Eccleſiæ permanſiſſe* cum Archidiacono intelligendum eſt, ſed perſiſtente hac contumacia cum Spalatum in Ungarorum poteſtatem deveniſſet; Venetos tunc protectionem Lampredii ſucceſſoris Petri ſuſcœpiſſe, & ut in Archiepiſcopum a Summo Pontifice confirmaretur, & illis Civitatibus, quæ ipſis parebant præeſſet, obtinuiſſe, Dandulus refert. *Lampridius Iadræ Epiſcopus Ducis præſidio ab Anaſtaſio Papa, ut Iadrenſis Eccleſia Metropolis, & palliata de cætero foret Privilegium obtinuit, Illique Inſularum Cathedrales Eccleſias Romanæ Eccleſiæ obedientes ſubjecit.* & infra *Ducis igitur hortatu ſequenti anno, & Papæ anno primo Henricus Patriarcha Romam properans, approbationem Patriarchalis ſedis in Grado & jus Primatis ſuper Iadertinum Archiepiſcopum, & ejus ſuffraganeos ſibi traditione Pallii reſervata, ab Adriano obtinuit, ut ſicut ab antiquis temporibus populus Venetorum Duci obtemperat, ita Clerus eorum Patriarchæ obediret.* Hæc Dandulus ab Archidiacono in eo diverſus quod ab Anaſtaſio Archiepiſcopatum Iadrenſem, ab Adriano vero Patriarchæ ſuper eum Primatum conceſſum refert, Archidiaconus omnia Anaſtaſio tribuit anno 1145. quo non Anaſtaſium ſed Eugenium III. vixiſſe conſtat, tamen, quamvis Archidiaconus in nomine ſummi Pontificis deceptus ſit, annum verum poſuiſſe ex ſcriptura anni ſequentis, in qua Lampridius Archiepiſcopus Iadræ nominatur, apparet 1146. *Indictione 9. tempore Petri Poll. Duci Ven. & Lampredii Iadrenſis Archiepiſcopi, & Petri Comitis* Hadrianum quartum deinde Henrico Gadrenſi Patriarchæ Primatum ſuper Archiepiſcopatu Iadrenſi conceſſiſſe anno 1157. ex diplomatibus datis Romæ 8. Kal. Martii Pontificatus ejus anno 3. a Ferdinando L. Archiepiſcopo Iadræ jubet, ut eundem Patriarcham in Primatem recognoſcat,

Mon. SS. Coſmæ & Damian.

ſcat, in III. autem *Ven. fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis majeſtati Ducis, & univerſo populo Venetiarum* ſignificat, Archiepiſcopum Iadræ Romæ exiſtentem, promiſiſſe ſubjectionem Patriarchæ Graden. conceſſit præterea eidem Patriarchæ jurisdictionem in omnes ſubditos Venetorum in Conſtantinop. Imperio exiſtentes, ut ex diplomate ejusdem diei cum cæteris relatis apparet. *Tibi, & ſucceſſoribus tuis auctoritate Apoſtolica duximus concedendum, ut in Conſtant. Urbe, & in aliis Civitatibus in Conſtant. dumtaxat Imperio conſtitutis, in quibus Veneti plures habent Eccleſias ubi videlicet eorum multitudo conſuevit aſſidue convenire, liceat vobis Epiſcopum ordinare, & absque alicujus contradictione munus ei conſecrationis imponere,* ita Veneti *obtinuerunt, ut omnes eorum ſubditi ſub unius Patriarchæ jurisdictione forent*, ut Dandulus refert, de quo deinde Petrum Archiepiſcopum Spalaten. conquæſtum apparet ex epiſtola Alex. tertii. *P. Salonitano Archiep. . . . Nos enim de Iadren. Eccleſia nihil citra juſtitiam, & honorem Eccleſiæ Spalat. de novo Auctore Domino ſtatuimus, vel ſtatuemus . . . Dat. Anagniæ III. Non. Maji.* ex quibus dignoſcitur Summum Pontificem nihil innovare voluiſſe, ſed præceſſoris decreta rata habuiſſe, ut capite ſequenti, ex relatis a Dandulo conſtabit, ſed eundem Patriarcham Henricum non Primatis ſuper Iadrenſem Archiepiſcopatum, ut diplomata Pontificia exprimunt, ſed Dalmatiæ titulo uſum, ejusdem temporis monumentum teſtatur.

Regiſtr. Archiep. Spal.

Ex Sanctuario Arben.

Quotiescunque earum rerum negotia geruntur, quarum memoria neceſſario poſteritati tranſmittitur, vinculo ſcripturæ innodari oportet, ne proceſſu temporis abuſu memoria antiquam aliquid in dubium rediviva exceptio revocet, & contingat ex pace letigium. Quapropter Nos Vitalis Michael D. G. Ven. Dal. atque Cro. Dux omnibus noſtris fidelibus ſuæ antiquitatis ſtatum, & quod ſui juris eſſe dignoſcitur intemerare perpetuo ſervare cupientes. Ea qua Ven. D. Henrici Danduli Graden. Patriarchæ noſtrorum judicum, & ſapientum conſilio inter Nos, & Nob. Arben. Civitatis Viros fideles noſtros quiete ſancita ſunt in ſcriptis redigere fecimus, & ut hujus ſanctionis pagina ſolidam perpetuis temporibus firmitatem obtineat, noſtra, & ſupranominatorum Illuſtrium Virorum ſubſcriptione roborari, noſtrique Sigilli impreſſione muniri decrevimus. Cum itaque jam dictæ Civ. Nobiles Viri Andreas, & Chriſtophorus, & Vitalis Sacerdos, Dabregna, Preſtantius Iudicis, Lampredius, Lupanus, Albertus, Dobroblavo, Fuſcus, Stephanus, Bertaldus, Nicolaus, Grube, Dimigna, & cæteri, qui cum eis fuerunt ad præſentiam noſtram veniſſent ſecundum ſuæ antiquitatis ſtatum lib ram eligendi Comitis electionem inſtanter requirebant; Nos vero e contrario licet prorſus iſta primo abnuiſſemus in poteſtate noſtra eſſe Comitis electionem, ac ejus confirmationem aſſerentes: Præmemorati tamen Patriarchæ Iudicum, & ſapientum communicato conſilio liberam eligendi Comitis facultatem prædictæ Civitatis Civibus, tali conditione conceſſimus.

Ut ipſi quatuor de concivibus ſuis nobilioribus perſonis ſine exactione aliqua eligere, & noſtro debeant conſpectui præſentare. Nos vero ex iis unum, qui nobis aptior, & fidelior viſus fuerit, ſapientum qui tunc religione jurejurandi Hon. Ven. aſtricti erant conſilio confirmare debeamus, & ſi forte inter ſe diſſenſerint, & de ſuis ſicut ſupraſcriptum eſt concorditer eligere noluerint, de Veneticis duos, quos voluerint absque exactione libere eligant, & non de alienis; Nos vero unum ex illis, quem voluerimus communi conſilio confirmabimus, in præſentiarum vero de Veneticis unum, quem voluerint, eligere debeant.

Actum eſt hoc in Pall. Venet. tempore Ducatus Vitalis Michael D. G. Nobiliſſ. atque Glorioſiſſimi Ducis anno Domini 1166. Ind. 14. 4. Kal. Iul. præfatæ tamen electionis ordine ſine fraude ſervato ſi noluerint, poſtquam a Nobis præmoniti fuerint, infra quinque menſes electionem ſicuti ſupra ſcriptum eſt facere in poteſtate noſtra electio, ſicut & confirmatio remanebit, & hoc ſine omni impedimento.

Ego Vitalis Michael Dux manum miſi.
Ego Sebaſtianus Ziani m. m.
Ego Vitalis Dandulo m. m.
Ego Petrus Orſeolo m. m.
Ego Craton Dandulo m. m.
Ego Ioannes Bembo m. m.
Ego Ioannes Cornaro m. m.
Ego Petrus Ziani m. m.
Ego Henricus Contareno m. m.
Ego Marcus Gauſono m. m.
Ego Petrus Recibulo . .
Ego Dominicus Celſo . . .
Ego Andreas Geno . .
Ego Leo Faletro . .
Ego Michael Cetino . . .
Ego Ioannes Contareno . .
Ego Vitiolino Geno . .
Ego Anania Querino . .
Ego Henricus Bono . .
Ego Marcus Davedore . . .
Ego Ioannes Raiſio . . .
Ego Henricus Contarenus . . .
Ego Henricus Dandulus Dei gratia Graden. Patriarcha, & Dalmatiæ Primates.
Ego Ioannes Navigavoſo m. m.
Ego Petrus Michel m. m.
Ego Stephanus Maccamanus m. m.
Ego Ioannes Dandulo m. m.
Ego Andreas modius m. m.
Ego Philippus Bono m. m.
Ego Dominicus Contareno m. m.
Ego Andreas Gabriel.
Ego Guido Michael.
Ego Raynerius Ciani.
Ego Leonardus Pacierninus.
Ego Iulianus Diaconus, & Notarius ſicut in authentico prædicti D. Ducis, vidi, nec minui, nec ampliavi, ſcripſi, complicui, & roboravi.

Cum deinde Veneti cum Emanuele bellum relatum gererent, & Raguſium acquiſiviſſent ejusdem Archiepiſcopum Patriarchæ Gradenſi ſubjicere pacti ſunt, ut idem Dand. poſt relatam Trag. direptionem refert.

Dux autem cum reliqua Stoli parte ultro procedens Raguſinos pollicitæ fidelitatis immemores

res ſibi rebelles fore invenit, erexerant ſimiliter Imperialia vexilla in Turribus, & muris ſuis, contemnentes non ſolum Ducem, quem ſibi ab antiquis temporibus in Dominum elegerant, honorare, ſed ut ſibi æmulo armata manu reſiſtere præſumpſerunt. Dux hoc indigne ferens bellicis inſtrumentis Urbem impugnare juſſit. Veneti autem quod juſſum fuerat audacter exequentes, continuis inſultibus eadem die quasdam Turres aſcenderunt, & depoſitis Imperialibus inſigniis B. Marci Evangeliſtæ effigiem deſuper poſuerunt: communicato conſilio egrediens Tribunus Michael Archiepiſcopus Raguſii Clerus, & Populus univerſus præmiſſis crucibus, de commiſſis veniam poſtularunt, qua obtenta, Dux cum hymnis, & laudibus Civitatem intravit, & conſuetæ fidelitatis Sacramenta renovavit, quamdamque Turrim, quæ Imperatori ſervabatur, cum maritimis muris dirui fecit, & Archiepiſcopus conſentientibus Cleris & Populo conſenſus fuit, ſuam Eccleſiam ſubjicere Graden. Patriarchæ, ſi hoc a Papa poterit obtineri, quibus Dux Raynerium Iane dedit in Comitem. Poſtea ex eis ſecum aſſumptis, iter proſequens Nigropontum pervenit. ex quo apparet, Venetos, prout Dominium dilatabant, ita novos ſubditos ſub jurisdictione Patriarchæ Gradenſis reducere ſtuduiſſe, ne ex diverſitate jurisdictionum, occaſio aliqua tumultus accideret, prout etiam Ungaros idem effeciſſe inferius patebit.

CAPUT XII.

De prima Iadrenſi defectione.

VEneti Scriptores referunt Iadram primo defeciſſe Dominico Contareno Duce, iterum Ordelapho Faletro, tertio Dominico Michaele, de quibus ſingulis quid ſentiendum ſit, ſuis locis relatum eſt. Quarto Vitale Michaele, ut Dandulus in Chronico. *Vitalis Michael Dux: Iadrenſemque Urbem ad ſubjectionem Archiepiſcopatus ſui Patriarcha Gradenſi ſibi rebellem vi prælii potenter recuperavit,* item in Annalibus relata Emanuelis Imp. in Ægyptum expeditione. *Inter hæc Stephanus Rex Ungariæ cum Duce amicitiam fingens, Leonardo ejus nato Comiti Auſeri filiam Ducis Deſſæ in Conjugem tradidit & Nicolao ſimiliter Ducis nato, & Arbe Comiti Mariam filiam Ladislai de ſtirpe regali in uxorem dedit. Rex autem quod in corde conceperat evomens ad maritima cum exercitu venit, & immunitatibus Dalmatinos attrahens Spalatum Tragurium, & Sibenicum, & plura alia loca demum obtinuit, illosque largiſluis privilegiis inſignivit. Iadertini igitur ſubjectionem ſui Archiepiſcopatus Patriarchæ Gradenſi moleſtam habentes, nunc fere rebelles Duci effecti, Dominicum Mauroceno defuncti Ducis natum eorum Comitem expulerant, & Regis Vexilla erigentes, ſe ejus dominio tradiderunt. Dux illico 30. Galeis armatis Iadram properat, quam Ungaris munitam inveniens, dum obtinere nequit, Venetias remeavit.*

l. 2. c. 9. & l. 3. c. 5. & c. 7.

Nel tempo del dito Doxie Arziveſcovo de Galli de Zara preſume quaſiolla ſignoria de quella, e tegnirſe, e ſiando Capetanio e retore tolto per i Zittadini honde el dito M. la Doxie de zio ſentido, fece Armada, e mando Capetanio de quella M. Domenego Morexini, el qual per forza, e perſon providitade, quella reduſe ſotto el Dominio Dogal, elle romaxe el dito M. Domenego chon gran compagnia, e poſa de Vinitiani ellombardi per tignir, el forſchello a quelli traditori Zaratini, che ſpeſſo revella, e queſto folla terza fiada, chelli revella.

Alter Chroniſta.

Ancora in queſto tempo Zara, che ſpeſſo revelava rivelo la terza volta chazando fuora f

Hoc tempore Anconitani Emanuelis obedientes Venetos ut ſibi æmulos cœperunt habere Dux ob hoc miſſis Galeis illorum V. cepit Galeas, ex quibus Iacobus de Molino, & Guizzardinus fuerunt ſuſpenſi in ligno..

Dux itaque anno 15. ingentem paratum exercitum cum Dominico Mauroceno Capitaneo denuo Iadram mittit, quos ex Ungarorum præſidio in errore tenaces, appoſitis ſcalis, & gattis diris, & variis inſultibus idem Capitaneus impugnare non deſinit. Ungari ab hoc territi relictis tentoriis fuga ſalvati ſunt, Cives tunc deſolati, de ſolita Venetorum gratia confidentes Iadrenſem Civitatem Capitaneo libere tradiderunt, qui eandem muniens 200. de Nobilibus Iadræ ſecum aſſumptis Venetias rediit; Iadrenſes igitur, qui advenerant, jus Primatus ſuper eorum Archiepiſcopum Patriarchæ Gradenſi conceſſum profitentes, diruptis muris, & datis obſidibus, obtenta a Duce venia in Urbem ſuam reſtituti ſunt, & Dominicus Mauroceno qui Comes primo, & poſtea in acquiſitione civitatis Capitaneus fuerat, in Comitatu reintegratus eſt. 1117.

Emanueli autem Spalatum, Tragurium, & Raguſium, ac pene tota Dalmatia ſubjugatur. Hæc Dandulus: ſed cum defectionem anno XV. Ducis Vitalis ſecutam aſſerat, eam anno 1171. eveniſſe oportet, tunc temporis autem erat Archiepiſc. Lampredius, idem qui Romæ Patriarchæ Gradenſi ſubjectionem promiſerat, ideo cauſa a Dandulo relata inveriſimilis videtur, nam Chroniſtæ Antiquiores eadem referentes ſcribunt.

Tempore dicti Ducis quidam Archiepiſcopus de Gallis Iadrenſis dominatum Civitatis invadere pene, ac retinere auſus eſt, cum Præfectus & Rector electus fuiſſet a Civibus; quo audito Dux claſſem adornavit, eique præfecit Dominicum Mauroceno, qui vi ſimul & conſilio populum in priſtina Ducis ditione retinuit; ibique dictus Dominicus cum magna Venetorum, & Longobardorum manu ſubſedit; ſupplicioque affecit illos proditores Iadren. qui ſæpe deficiunt, & hæc fuit tertia defectio.

Etiam hoc tempore Iadra, quæ ſæpe deficiebat, pulſo Dominico Mauroceno Comite ſuo,

Domenego Morexini, el qual jera ſuo Conte, & vedendo el dito ſ Domenego eſſer revelada Zara, ſubito venne a Venexia e diſſe como Zara ſe haveva dada all Arziveſcovo de Zara de Gali, aldando queſto la ſignoria de Viniexia, feno una Armada congrandiſſima Zente, e ſo molto toſto mandada via, e ſo Capetanio ſuo Zeneral da Mar el predito ſ Domenego Morexini, el qual Capetanio finalmente combattendo Zara dagandoli de grieve battaje, quella prexeno per forza regourando quela dalleman del Arziveſcovo ſuo Chavo, el qual jera rebello de Vinitiani, e queſto ſ Domenego Morexini Capetanio remaxe Conte in Zara chomo da prima.

Hæc Chroniſtæ, pro cujus rei clariori intelligentia animadvertendum eſt ſingulas Civitates Dalmaticas antequam Colomano ſubderentur, Prætores ſibi titulo Priorum eligere ſolitas, ut ex eorundem nominibus pluribus in locis relatis conſtat. Hos autem ad libitum earundem Civitatum electos, & deinde Comites vocatos ex ejusdem Colomani Privilegio, & locis Archidiaconi Spalat. relatis apparet; poſtea vero Iadrenſes, Auſerenſes, & Arbenſes, ut plurimum Cives Venetos ſibi in Comites elegerunt, ut in relata Arbenſi ſcriptura videre eſt, & Dandulus aliquorum quoque mentionem facit in Annalibus.

1130. *Petrus Polanus Dux.*

Hic Dux duos filios habuit, quorum Guido ex collaudatione populi Auſeri factus eſt Comes; Nannericus autem Arbens: electione, & Ducis approbatione Comes efficitur. 1152. *Dominicus Mauroceno Ducis filius, cujus acta Iſtrienſis populus laudare non deſinit, Iadræ Comes efficitur.*

1156. *Vitalis Michael Dux.*

Hic Dux Arbenſibus indulſit, ut quatuor ex ſuis Civibus committerent, & ſibi electionem præſentarent, de quibus autem ſufficientiorem cognoverit, approbabit, & ſi in hoc concordes non fuerint, ut ex Nobilibus Rivoalti duobus electis, unum in Comitem confirmabimus, & his non factis quinque menſibus elapſis, Comitis electio Duci ſpectet ſcilicet, & confirmatio illico Nicolaus Michael Ducis natus electione Arben. & Ducis approbatione eorum factus eſt Comes.

Stephanus Rex Ungariæ cum Duce amicitiam fingens, Leonardus ejus nato Comiti Auſeri filiam Ducis Deſſæ in conjugem tradidit, & Nicolao ſimiliter Ducis nato, & Arbe Comiti Mariam filiam Ladislavi de ſtirpe Regali in uxorem dedit.

In his autem Comitum electionibus ſicut Dalmatæ præcipuam eorum libertatis prærogativam reponebant, ita Cives in factiones diſtractos multoties tumultuaſſe, poſteriora exempla ſuo loco referenda docent, idem tunc eveniſſe conjectandum eſt, & Civitatem ſeditione agitatam, vel tædio diuturnitatis Comitatus Mauroceni ductam, eundem expuliſſe, quod ſi ab externo motu excitatam quis præſumere velit, Emanuelis calliditati id tribuere poſſet, cum loca Iadræ, proxima cum univerſa Croatia poſſideret, & Anconitanis jam ſibi devinctis in Venetos malum animum coqueret, ut Dandulus refert. Ideo cum defectio ad Ungaros vera eſſe non poſſit, de qua idem Dandulus dubitaſſe videtur, & Iadrenſes *fere rebelles* vocet, eandemque uti dubiam vulgati Scriptores referre omiſerunt pro ſeditione tantum, non pro defectione habenda, ex diviſioneque Civium Maurocenum, Comitem expulſum, locoque ipſius Lampridium eorum Archiepiſcopum in Comitem electum, ut Chroniſtæ: concludendum eſt, qui *Marichnæ filius* ut Archidiaconus *de Galis* ut Chroniſtæ ſcilicet ex nobili familia de Galellis comitatum Patriæ, vel prævalentibus ſuis conſanguineis conſecutus, vel in ipſo tumultu quomodocumque electus Comitatum tamen non retinuit, ut mox patebit; ſed idem Maurocenus cum claſſe reverſus vi, vel quocumque modo ſedato tumultu, & de ſeditioſis ſupplicio ſumpto Comitatum recuperavit, & ſimul cum ipſo Archiepiſcopo perſeveravit ut ex Scripturis conſtat.

1167. *Temporibus itaque Vitalis Michaelis Ducis Ven. & Lampredii Iadertini Archiepiſcopi, atque Dominici Mauroceni Comitis.* Script. Jad.

1174. 14. *Novembris temporibus equidem Sebaſtiani Ziani Ducis Ven. & Lampredii Archiepiſcopi, atque Dominici Mauroceni ejusdem Civitatis Comitis.*

1177. *Temporibus equidem Sebaſtiani Ziani Ducis Ven. & Lampredii Ven. Archiepiſcopi, atque Dominici Mauroceni Comitis,* & mortuo Lampredio cum Thebaldo.

1180 14. *Maji Tempore Auri Maſtropetri ex Sanctu. Ducis, & Thebaldi Vener. Iadrenſis Archiepi- Arben. ſcopi, Dominici Mauroceni comitis.*

Hæc de Iadrenſi ſeditione, quæ defectionem præceſſit, quam Dandulus in Chronico non refert in Annalibus autem.

Aureus Maſtropetrus Dux 1178.

Iadartini ſuæ ſedis dedignantes ſubiectionem, ne in Lampredii defuncti, eligendus ſucceſſor a Gradenſi Patriarcha confirmationem ſuſciperet, ab Alexandro Papa Eugubinum Epiſcopum ab iis electum Archiepiſcopum obtinuerunt, cui in traditione Pallii commiſit Papa, ut Gradenſi Patriarchæ obedientiam Primati debitam exhiberet, non intendens ut ſcripſit juri Gradenſis Eccleſiæ ex hoc aliqualiter derogare. Archiepiſcopus Iadræ receptus reverentiam Patriarchæ exhibere a Civibus non ſolum prohibitus, ſed etiam ut Eccleſiam

cleſiam ſuam eximeret, cum aliquibus Civibus Romam accedere, coactus fuit, qui iens apud foſſam malam infirmatur, litteris, & nunciis Iadrenſium propoſitum Pontifici enarrat. Papa igitur eum redarguens inter cætera per epiſtolam ait: Venetia in unitate catholica laudabilis ſtetit; & fuit Civitas refugii Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, qui de Lombardia, Tuſcia & Marchia a ſedibus propriis inſtante Schiſmate illuc divertere voluerunt. In reformatione quoque Eccleſia qualiter ſedem Apoſtolicam audiverint, & honoraverint, ad tuam credimus notitiam perveniſſe. Quia igitur tibi imminet ſubjectos a præſumptione ſua compeſcere, cum non debeamus ſequi populum, ſed docere, mandamus quatenus infra tres menſes poſtquam Iadram iveris, pergens Venetias eidem Patriarchæ obedientiam, & reverentiam Primati debitam promittas, & impendas, & Clerum, & populum tuum ad idem, ſicut te decet, inducas; ita quod ipſe Patriarcha contra te materiam conquærendi non habeat, nec inter Venetos, & Iadrenſes gravis ex hoc, & periculoſa diſcordia oriatur. Alioquin uſum tibi pallii interdicimus, & te conſecrandi ſuffraganeos tuos, & Eccleſias dedicandi auctoritate privamus, quæ Archiepiſcopus rediens per Iadrenſes elatos adimplere pertinaciter prohibitus fuit.

Et infra.

Alex. Papa deceſſit, & Lucius III. *natione Lucanus Papa efficitur; Hic Veletri Henrico Dandulo Patriarchæ ſolitas honorificentias, & immunitates Gradenſis Eccleſiæ, & Primatum ſupra Iadratinum Archiepiſcopum per privilegium confirmavit,* & relatis Philippi Regis Franciæ auxiliis terræ ſanctæ præſtitis Ducis anno 6. & anni ſequentis morte Balduini leproſi Regis Hieruſalem ſequitur.

Inter hæc dum Veneti cum Piſanis, & Anconitanis diviſi haberent diſcordias, Piſani Conſules ſuis Duci delegatis nunciis, promiſerunt Anconitanis ſubſidium non præbere, & treguas dimiſſis hinc inde captis uſque ad decennium pariter curaverunt.

Hoc tempore Iadrenſes a Duce requiſiti, ut Præſulem ſuum Gradenſi Patriarchæ obedientiam exhibere permittant, exequi renuerunt rebelles jam quater effecti, ſe, & Urbem Iadræ protectioni Belæ Regis tertii Ungariæ ſubdiderunt. Rex tunc hominibus, & victualibus Civitatem muniit, & muro circumcluſit. Dux autem illatum ſcelus reformare anhelans, congregatam concionem ſibi conformem invenit, & fiſco, ex continuatis anguſtiis nimis exinanito, dum de eis recuperandis collatio haberetur. Prælati multi nobiles fidei pleni ſe obtulerunt liberaliter; Tunc pro congrua ſatisfactione decernitur, ut proventus Rivoaltini fori, & datia, & quaranteſimi ſint eis taliter deputata. Ceterum Dux paratam hoſtilem claſſem mittens per Mare Iadram obſedit, & viriliter impugnat, & Pagum, cæterasque Inſulas ſibi ſubjecit.

Idem fere cæteri Chroniſtæ, & Vulgati Auctores, ſed quamvis ex relatis a Dandulo eliciatur, defectionem eveniſſe poſt annum 1185. & Chroniſtæ aliqui annum, 1186 exprimant, tamen ſicuti anno 1180. 14. Maij Iadram adhuc Venetorum nomen coluiſſe, ex relatis conſtat, ita Ungarorum protectioni adhæſiſſe anno 1181. *menſe Feb. Iaderæ Regnante D. Bela D. G. Rege Hung. Dal. Cr.* *Arch. S. Chryſog.*

Sententia D. Mauri Dei, & Regis gratia Comitis, & totius maritimæ Provinciæ ſtudioſi exercitatoris cum Caſtra metatus eſſet &c.

Ideo vel in fine anni 1180. vel principio ſubſequentis defectionem ſecutam dicendum eſt, & ſicut olim Iadrenſes coactos Colomano ſe dedidiſſe relatum eſt, ita ad Belam ſponte defeciſſe cenſendum eſt, cum poſt Colomanum, Regis Ungariæ nomen, tunc primo in ſcripturis exprimi cœperit, ideo hæc Iadrenſium defectio, merito prima dicenda eſt. Cauſam autem defectionis ſubjectionem Archiepiſcopatus Patriarchæ Gradenſi ſcriptores uniformes ponunt, ſed cum multo prius hanc ſubjectionem ſecutam ex relatis conſtet, ideo rerum ſtatus, qui tunc eſſe potuerit, conjectandus, & occaſio inquirenda, ut relata a Dandulo melius percipi poſſint.

Maritimas Civitates, ex navigationis uſu frequentes, & opulentas fieri exemplis probare ſuperfluum eſt. Navigationem autem conſiſtere in evehendis & advehendis mercibus conſtat, ſed cum Dalmaticarum civitatum territoria adeo arcta fuiſſe, ex dictis pateat, ideo non de rebus in eorum terris naſcentibus evehendis, ſed ex late patenti continente ad mare delatis in proxima Italiæ littora transfretandis, & inde aliis in Dalmatiam devehendis, ſibi victum quæſiviſſe, & ex continuata navigatione opes auxiſſe dicendum eſt, & ſicuti poſt Salonæ deſolationem Iadram præcipuam Dalmatiæ civitatem fuiſſe, ita uſque quo Græci Adriatici dominium retinuerunt, ex ſitus opportunitate ibi Dalmatiæ quoque Præſidem, reſediſſe, & pro ut latius territorium, quam ceteræ Civitates in Inſulis poſſidebant Iadrenſes, navigationemque commodiorem exercebant, ita populum majorem pluresque naves habuiſſe cenſendum eſt: decreſcentibus deinde Græcorum rebus, cum Saraceni, Narentani, & Croatæ Adriaticum infeſtarent, Veneti Saracenis expulſis, Croatis coercitis, Narentanisque debellatis navigationem tutam reddiderunt, exinde Raguſini Narentanorum moleſtiis liberati, Orientalis Dalmatiæ navigationem ad ſe trahere cœperunt, Iadrenſes autem quamvis a proximis Croatis aliquando perturbati fuerint, tamen Nonam levem moleſtiam inferre potuiſſe, ex locorum notitia cuilibet conſtare poteſt; Belgradum vero ex ſitus opportunitate, inſularumque proximarum commoditate, maxima incommoda Iadrenſium rebus inferre potuit, qua de cauſa poſtquam a Venetis deſtructum fuiſſet, Iadrenſesque inſulas conſecuti ſunt, ut dictum eſt, exinde

aucto territorio navigationem pacatam continuantes Syriacasque Venetorum expeditiones associantes, mirum in modum populum opesque eorum auctas censendum est, exindeque sicut cæteras civitates in temporalibus præcellebant, ita in spiritualibus Spalatinæ Metropolis superioritatem iniquo animo tulisse, conjectari debet; ob idque, ut sua quoque Ecclesia in Archiepiscopatum erigeretur procurasse, quod ope Venetorum consecuti sunt, ut capite præcedenti relatum est.

In hoc rerum statu seditio Iadrensis evenit, quæ cum externis adjumentis caruisset, ex celeri Classis superventu cito sedata fuit, sed cum paulo post ex retentione rerum, & personarum per universum Orientale Imperium grave damnum Veneti accepissent, indeque bellum cum Emanuele exarsisset, majorque pars celebris, & numerosæ classis ipsorum morbo periisset, ipsasque Venetias infecisset, eodemque tempore a Pisanis, & Anconitanis navigationes ipsorum infestarentur, neque vivente Emanuele commercium restitutum fuisset; ideo maxima damna res ipsorum passas, majoremque partem lucri cessasse, & exinde privatorum opes diminutas censendum est, publicumque *ærarium ex continuatis angustiis nimis exinanitum* Dandulus fatetur; ex quibus Venetorum angustiis, ab *Iadrensibus elatis* Archiepiscopus subjectionem Patriarchæ *adimplere pertinaciter prohibitus fuit*, ex qua pertinacia ab Alex. summo Pontifice prævisa *inter Venetos, & Iadrenses gravis ex hoc, & periculosa discordia* orta est, quæ dum agitaretur, Emanuelis mors supervenit, Spalatumque ad Ungaros rediit, ut relatum est: Croatiam quoque tunc eosdem recuperasse censendum est; nam sicut vivente Emanuele ejus potentiam veritum Belam Croatiam tentare ausum non fuisse, ita ipso mortuo, cum eodem anno Spalatum receperit, Croatiam quoque intermediam prius e Græcorum manibus vi, vel deditione eripuisse, deinde Spalatum dicendum videtur, Ungarorumque ditionem Iadræ proximam ex eo effectam, qua vicinitate fretos Iadrenses, qui de Veneto nomine male sentiebant, vel ob supplicium propter Comitis Mauroceni expulsionem eisdem infesti erant, occasionem capientes subjectionemque Archiepiscopatus (de qua palam a Duce requirebantur) prætexentes, Civitatem a Venetis avertisse, & timore eorundem potentiæ, Protectioni Regis Ungariæ tradidisse conjectari potest, sed an recto consilio id egerint, ea, quæ secuta sunt declarant. Iadram frustra oppugnatam, sed Insulas Iadrensium captas Dandulus tradit, quidnam autem eo bello gestum sit nemo refert, reperiuntur tamen memoriæ quædam, ex quibus aliqua, quæ tunc evenerunt percipi poterunt: Nam cum ex confirmatione privilegiorum a Rege Bela facta Tragurium protectioni Ungarorum adhæsisse anno 1182. constet, tamen anno sequenti Ducem Mastropetrum eumdem recepisse ex ejusdem privilegio apparet.

Ex originali Aureus Mastropetrus D. G. Ven. Dal. atque Croatiæ Dux omnibus fidelibus suis, ad quos istæ litteræ pervenerint, salutem, & dilect. *Archiv. Communis Trag.*

Universitatem vestram scire volumus, quod Taurenses omnes fidem nobis servare volentes, sicut etiam nostris prædecessoribus olim servavere fidelitatem, a minimo usque ad majorem nobis juravere, ea propter eos tanquam fideles nostros diligentes securos deinceps illos, & salvos in personis, & rebus eorum esse volumus, eundo, stando, atque redeundo, mandamus igitur vobis, & mandantes præcipimus, quatenus præfatos Traurenses liberos, securos, atque salvos dimittentes pro honore nostro dilectionem eis, & amorem exhibeatis ubicumque illos inveneritis, scientes pro certo, quod si aliter facere præsumpseritis, nos non modicum offendetis, & insuper nostro subjacebitis banno.

Dat. mense Sept. Ind. XI. feliciter.

Ex quo elicitur, Ducem præsentem, juramentum a Trag. exegisse anno 1183. in quem cadit Ind XI. & exinde coniici Venetos non statim post defectionem classem misisse, prout in præcedenti seditione fecerant; sed prius animos Iadrensium negotiatione revocare studuisse, cum a *Duce requisitos exequi renuisse* Dandulus scribat, deinde in apparatu classis, & machinarum ob angustias fisci tantum temporis trivisse, ut a defectione duo anni excesserint, quando Dux oppugnatione frustra tentata insulas recepit, inter quas etiam Tragurium cujus quam debilis, præsertim a parte maritima fuerit status, ex relatis constat, & clarius in patriæ Chronico refertur, ideo sicuti Duci advenienti Tragurium, cæterasque insulas resistere non ausas, se dedisse censendum est, ita recedente classe ad Ungaros rediisse, cum bello adhuc vigente Brachiam, & Pharum Ungaris paruisse, cæteraque loca tempore induciarum in eorundem potestate fuisse, scripturæ doceant; ideo necessitatem habuisse Venetos continuo Classem inter Dalmaticas insulas tenere, non minus pro earundem præsidio quam pro navigantium tutela, & præsertim in obsidione Iadrensis portus, ut ex instrumento 1187. mensis Iunii a Nicolao Crasso in notis ad Ianottium relato, in quo *Procuratores operis Beati Marci* promittunt iis *qui vestris navibus in præsentiarum cum stolo Venetiæ ad obsidionem Iadræ ire, vel mittere debeatis, & cet.* apparet, mutuaque damna tunc secuta Dandulus refert, 1188. *Clemens tertius natione Romanus (Gregorio Octavo) successit; eodem anno Rex Ungariæ, & Veneti diris cladibus vicissim in Dalmatia diutius flagellati, excidio terræ Sanctæ compuncti, missis hinc inde nunciis Treguas usque ad biennium peregerunt.* Inter quas clades scripturæ Iadrenses victoriam de Venetis

Privil. Spal. *Script. Brach.* 1184.

Arch. S. Chrisog.

netis memorant, 1190. 19. *Maii post bellum cum Venetis habitum, & post victoriam de Castello in promontorio Trani . . . Sancto Grisogono gratias effundentes, de evasione maximi periculi, & collatione victoriæ, ac omnimodi percepti beneficii devote retulissemus, electo nostro Petro in Ungaria persistente, & Nicolao Farensi Episcopo, Ecclesiæ nostræ suffraganeo Missarum solemnia celebrante, & sermonem ad populum more solito faciente*, sed locus hujus victoriæ ignoratur, cum Promontorium Trani ubi nam fuerit, incompertum sit. Inducias tamen iterum renovatas Dandulus tradit.

1191. *Clementi igitur Papæ successit Celestinus . . . . eodem anno inter Regem Ungariæ, & Venetos completæ treguæ, usque ad biennium renovantur*, quarum induciarum tempore Iadrenses cum Arbensibus composuisse de repressalibus constat.

Sanct. Arben.

Anno Dominicæ Incarnationis 1190. *mense Iunii, die sanctorum Ioannis & Pauli, Indictione octava Iadræ. Temporibus Domini Nostri Belæ Dei Gratia invictissimi Regis Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, nec non Calatiæ, & Petri Iadertinæ sedis Venerabilis Archielecti. Instrumentum, per quod Damianus Iadræ Comes, una cum Gregorio Soppe, Biste de Iuda, & Petro Sluradi Iudicibus renovant pacem inter ambas Civitates cum Andrea Arbensi Episcopo, Andrea Surre, Stephano Martini Iudice, Fusco Manarini, Christoforo Calderarii, Ve, Kiedrago, & Petraniola Arben. in hæc pacta. Si quispiam utriusque Civitatis aliquam alicui pecuniam crediderit, & eam rehabere nequiverit, ipsum debitorem suum, & non alium quærat in aspectu Iudicum debitoris, & cogant eum reddere universa, & si nihil in civitate habuerit, non debet intra mœnia capi, sed extra, ubi reperiri potuerit, ut libertas Civitatum illæsa permaneat. At vero si quisque Nobilis, vel ignobilis in latrocinio, seu rapina repertus fuerit, pro duodecim Romanatis (excepta damni compositione, quæ ex integro dari debet) vendatur s. id unde reddere non habuerit persona ejus infra urbem per manum Curiæ capiatur, & tam diu in potestate perditoris maneat vinculatus, donec reddat universum debitum*, quibus completis iterum bellum exarsisse refert *Henricus Dandulus Dux* 1192. . . *Dux autem completis Ungarorum treguis, Iadrensibus bellum innovat, & maris vias illis claudit, Dominicumque Michaelem Pagi, & aliarum Insularum Iadræ Comitem fecit.* Ex quibus, quamvis nimis breviter relatis, tamen colligi potest, Venetos, donec Induciæ durarunt, Iadrensibus navigationem permisisse, sed renovato bello, iterum prohibere conatos, quod, quam difficile factu fuerit, sciunt ii, qui navigationis Adriatici experientiam habentes, situm Iadræ non ignorant. Portus etenim ejus cæteris Dalmaticis amplior, & tutior, & ex oppositarum insularum dispositione situm opportuniorem tam ad tuendam, quam ad infestandam Adriatici navigationem habet; & prout, ex unico Anconitano minori, nec admodum tuto, multa damna Venetis illata scriptores memorant, multo majora ex Iadrensi, cæterisque Ungarici juris proximis portubus proveniisse conjectandum est. Qua de causa Veneti bellum Iadrensibus renovaturi, ad confirmandos Arbensium animos Ducis nomine declararunt.

Sanctuar. Arb.

In Christi nomine Amen. Anno ab Incarnatione Domini 1193. *Indictione septima mensis Septembris, exeunte die septima. Tempore Domini Henrici Danduli Ducis Inclyti, atque Andreæ Arben. Episcopi, & Petri Ziani Comitis. Ego quidem Petrus Fuscarenus Venetialis, veniens Arben. Civit. ex jussu dicti Domini Ducis ad acquirendam fidelitatem a populo ejus Civitatis, testificor in Deo, & anima mea coram vobis omnibus in hoc Episcopali Palatio, & in ea veritate, quæ Christus est, & in ipsa fide, qua Christianus vocor verum testimonium dico, quod Dominus Henricus Dux Venet. juravit super Sacra Dei Evangelia, statum & consuetudinem omnibus & Civitatibus, quæ sub districtu sui Ducatus videntur esse, eas in rectitudine & justitia tenere. Unde ego dictus Petrus præcipio M. Arben. Notario hoc scriptum scribere, & firmare sub testimonio horum testium.*

Ego Petrus Foscarenus scripsi.

Ego M. filius Comitis B. de Veglia testis

Ego Ve, & An. Balbi tt.

Ego Miuta Arben. Presbyter ac Notarius jussu dicti Petri Nobilis Viri, & testis complevi & roboravi.

Et magistratum qui Insulis Iadrensibus ademptis præesset residere voluerunt in ea, quæ cæteris proximior continenti Croatico, vel Ungarico erat, quæ quomodo Pagi nomen sortita sit, non erit inutile indagare.

Occidentales Dalmatiæ insulas *habitatoribus vacuas, desertas urbes habentes* Porph. loco relato enumerat, quarum nomina cum hodiernis ibidem collata fuerunt, exceptis *Catautrebeno*, & *Pirotima*, quæ quibusnam adaptari possint, non constat, remanet *Scirda Cissa*, quæ si pro unico nomine accipiatur, inter incertas etiam ipsa ponenda est, sed cum *Cissam* inter insulas Adriaticas nominet Plinius libro tertio, cap. 26. & *Gissam* inter Liburnica oppida habentes cap. 21. ut relatum est; ideo si nomen *Scirda Cissa* disjunctive pro duabus Insulis inter se parum distantibus sumatur, scilicet *Scirda* pro hodierna *Scherda* vel *Scherdiza* nomen *Cissa* vel potius *Gissa* Insulæ Pagi conveniet, & sicuti insulas a Porph. nominatas a vicinis Croatis desolatas, desertas jacuisse dicendum videtur, ita Pagum uti continenti Croatico proximiorem, primam desolatam, & post Porphir. tempora a Croatis occupatam simul cum civitate Kessa, quam Dandulus Qussam vocatam, & a Venetis destructam scribit, quod confirmatur ex Priv. Cresimiri Regis.

lib. 1. c. 13.

l. 1. c. 2.

Ex originali. Anno ab Incar. Domini nostri Sanctuar. Iesu Christi MLXXI. Indictione IX. die VIII. Eccles. mens. Iulii tempore Domini Alex. Papæ Urbis Arben. Romæ.

Ego Cresimir Rex Croatorum, & Dalmatinorum insimul meis cum Principibus justitiam Arben. Ecclesiæ retinentem, & eam in protectione nostra suscipientes volumus, & perpetuo jure assentientes firmamus, ut dicta Ecclesia habeat suas Parochias s. Iuppam, quæ fuit sub Alpibus a Castro latine Murula vocitato Sclavonice Stenize, usque ad flumen Coprive, & Ecclesiam S. Georgii in Ravuna, Chissam suis cum pertinentiis tantum retinentes de jure suo paucas Villas, Pagi, Pezzani, Muroulani, Ulassici, quas, & si pro malo habent novo dedimus Episcopo Nonens. Iuppam Licchæ, Iuppam Buccani, & Bozzachi, & hoc statutum volumus perpetuo inviolabile manere, sicut semper a majoribus natu didicimus, dictæ jam Ecclesiæ inviolabile perstitisse. Quicumque autem nostris de successoribus hoc privil. perturbare, & ei vim inferre aliquo molimine attemptaverit, nostro judicio pellatur a Regno. De inferioribus sancimus componere centum libras auri, Regali Curiæ medietatem, & Sanctæ prædictæ Arben. Ecclesiæ aliam medietatem. Ad roborem, & vigorem nostræque cartulæ dationis, assentionisque justitiæ mitram nominis nostri impressis litteris prælibatæ donamus Ecclesiæ, & nostri sigilli impressione firmando roboramus. Indictione 9. Datum est hoc Privilegium Arben. Ecclesiæ in Castro Belgrado per manus Ioannis Diaconi, & Domini Regis Notarii coram communi Curia.

Nam cum nomina *Chissæ, Pagi, & Ulassici* hodie quoque in Insula Pagi reperiantur, ideo Cresimirum de eadem Insula, uti Croatiæ Regem disposuisse, & relictis Arbensi Ecclesiæ locis in continenti Croatico sitis, simul cum pertinentiis Chessæ (quas Arbenses ante occupationem Insulæ possedisse apparet) reliquam insulæ partem Nonensi Ecclesiæ assignavit, Kessam quoque, vel Chessam communitatem dictam Comitemque habuisse, ejusdem temporis monumentum testatur 1071. *Indictione 9. tempore Cresimiri Dalmatinorum, & Croatorum Regis, & Dragi Arben. Episcopi Instrumentum per quod Kessensis Communitas, quando Monast. S. Michaelis de Sansigo in primordio ædificationis ipsius occulte & aperte offenderant, & per revelationem Sancti Nicolai, Deus sua misericordia Nos visitasset, quod strages, qua deprimebantur, ob id eveniret, pro emendatione mali facti, quod fecerant, donant Monasterio Sansicovo monumentum suum S. Petri de Insulis Neumis, cum suis utrisque insulis perpetuo possidendum, salva tamen Iustitia Arben. Episcopatus cui subscripsere Mozolinus Arben. & Kessen: Comes, & multi alii Kessenses.* Ex quo post destructionem, de qua Dandalus, reædificatam fuisse Kessam, sive ut Dandulus Qussam dicendum est; Kesseque Castrum in Insula Pagi existere aliud monumentum indicat.

Ex Originali. In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, anno Domini 1174. mense Augusti Indictione 7. Rivoalto.

Quoniam ad nostri Ducatus regimina, quæ Deo propitio suscepimus pertinet, ut omni cura, & instantia, quæ inordinata sunt provisione congrua disponamus. Ideo nos Sebastianus Ziani D. G. Venec. Dal. atque Croatiæ Dux cum nostris successoribus per hanc præsentem concessionis cartam, damus atque concedimus tibi Rogerio filio Comitis Iaderæ, Castrum Kessæ cum omnibus suis habentiis, & pertinentiis, intus & foris, usque ad campum Lonis, quod est versus Arbes, quod quidem Castrum positum est in Insula Pagi, quod est de jure, & pertinentia nostra, nostrique Ducatus sicut te investimus in præsentia plurimorum bonorum hominum. Ideoque prædictum Castrum cum omnibus suis habentiis, & pertinentiis ab intus, & foris, sicut suprascriptum est a die præsenti, in antea tibi suprascripti Rogerii Mauroceni plenissima potestate, damus cum omni districtu & honore, sicut nobis pertinet habend. tenend. fruendi, & insuper omnes reditus habend. ten. fru. atque omnes tuas utilitates faciendi, & hæc concessionis carta in sua firmitate permaneat.

† *Ego Sebastiani Zianus D. G. Dux m. mss.*
† *Ego Stephanus Baroci tt. ss.*
† *Ego Marcus Tanoligo tt. ss.*
† *Ego Marcus Maurec qui interfui, & tt. ss. rogatis sum*
† *Ego Ioannes Dandulo tt. ss.*
† *Ego Vitalis Faletro tt. ss.*
† *Ego Iacobus Basilao tt. ss.*
† *Ego Mauricius Mauroceni tt. ss.*
† *Ego Iohannes Encio tt. ss.*

Ego Otto Rasticus Presbyter & Not. & Ecclesiæ Sancti Gervasii Plebanus complevi & roborævi; sed hanc eandem Insulam, quæ Pagus dicitur, antiquitus Kessam vocatam, civitatisque cognomen habuisse sequentia demonstrant.

Ex originali Anno Domini . . . Iesu Christi 1177. men. Feb. Indictione XI. temporibus equidem Sebastiani Ziani Ducis, & Lampredii Ven. Iadren. Archiepiscopi, atque Dominici Mauroceni Comitis.

Nos namque Lampridius Iadren. Sedis Archiepiscopus una cum nostris Consulibus Bar . . nice, Martino Sloraddi, Petri Ro . . . itaze, & aliis nostræ Civitatis nobilibus Grisogono Iudice Damiano Sloraddi Vota . . arra Madio Ioannis Græci, Scioppe Micha botoluge Valentino Kessi, Prestantio . . ichael Punce. Lampredio Vitaze, Micha petrici, Bolisio de Bonogualt. Martinolip . . . a, & multis aliis hunc contractum . . . imus volentes resecare controversiam, quæ inter Arbenses & Rogerium Dominici Mauroceni Iadertini comitis filium de comitatu Insulæ Kessæ vertebatur, nam prædictus Rog . . Insulam Kessæ incipiendo a Columpnis camuli, & Bar . . . um ab introitu ve . . . Pagum sui Comitatus scilicet Kessæ fore asserebat. E contra And . . . . nas Archidiaconus Stephanus Maldenarius, Michæ (Iadbenses Iudices, Petrus . . . Diminua Basilii, qui ad hujus negotii causam tractandam ad nos venerant respondentes dicebant; Manifestum quidem, & certum habetur prædecessores nostros per ducentos annos, & eo amplius præfatam insulam possedisse, & coluisse, super hæc igitur vos Domine Archiepiscope, & Iaurensium Consulum cæterorumque nobilium provideat sagacitas, si nos in jam dictæ Insulæ cau . . . . respondere tenuminib.

Nos

Nos itaque Lampridius Ar. . . . una cum supradictis c . . . & . . obilib, . . . utramque partem sua justitia, & ratione . . . iter destitui de his omnibus per duos . . . m. habentes per legem & judicium statuem . . . crevimus ut Arbenses sæpe dicto Rogerio ejusque successoribus in perpetuum respondere non de . . . stabilivimus quatinus prædicta Insula Kesse communiter a Iadrensibus, Arbensibus hominibusque . . . coli pasci, & omnibus modis uti perpetuis temporibus debeatur, & ut præsens contractus . . mus, & stab . . . etim conservetur Archiepiscopalis sigilli munimine firmavimus simul, & ipsum communivimus . . . go Lampridius D. G. Iad. Archiepiscopus m m. miss. † Ego Andreas D.G. Arben. Episcopus m.m. miss. † . . Cosmas Arben. Archid. m. m. miss. † Ego Andrea Presbyter Suldini filii m. m. miss. † Ego Ioannes Sanctæ Anastasiæ Diaconus m. m. miss. † Ego P. dita Sanctæ Anastasiæ subdiac. m. m. miss. † Signum David Consulis qui hoc fieri jussit † Signum Martini Slorad. Consulis qui hoc fieri jussit . . . trizi vitoze, qui hoc fieri jussit † Signum Grisogoni judicis, qui hoc scrib . . . . Signum Damiani Sloraddi, qui hoc fieri voluit † Signum . . . qui hoc fieri voluit. . . Madii Ioannis Græci, qui hoc fieri voluit † Signum Sciop . . . . . boluge qui hoc fieri voluit † Signum Valentini Kessi . . . . . nee, qui hoc fiert voluit † Signum Nicolai Mozzaci, qui hoc fieri voluit † signum. Dobre Resinne, qui hoc fieri voluit † sig . . . . tuze, qui hoc fieri voluit † sig . . . gualdis, qui hoc fieri voluit † signum. Martini Lippe, qui hoc fieri voluit. Ego Matthæus S. Anastasiæ subdiaconus, & Iadrensis Curiæ Notarius . . . . . voluntate præscripti Domini mei Iadertini Archiepiscopi Lampredii, Consulum, & reliquorum Nobilium scripsi, & roboravi, & solito signo signavi.

Et Ego Mratha Arben. Archipresbyter ac Notarius hoc exemplum exemplavi sic . . . repperii sigilli D. Lampredii Archiepiscopi munita, nec auxi, nec minui, complevi, & . . . consueto signavi.

1372. *die* 19. *Sep.*

Instrumentum protestationis Ser. Hermolai quod Marini de Hermolao V. Com. Iud. Consilii, & contra Iadren, quod falsis suggestionibus impetraverant litteras a R. Ludovico per quas sibi restituta fuerit terra Pagis, & districtus, & alias a Baronibus Regiis vices gerentibus obtinuerint, sententiam mandati precamine includendo, & informatione non vera confines, & metas quæ super Arben, ditione & antiquo dominio tam jure proprietatis, quam jure possessionis consliterunt, & fuisse dignoscerentur satis enim cibatos, & contentos, se possunt reputare, quod illam partem insulæ S. Pagi, & sui districtus obtinerent sine contradictione, quæ a primordio fuit subjecta tamquam membrum capiti ejus Civitati Kessæ, quæ semper fuit de jurisdictione, ac potestate communis Arben; postquam humanum genus cœpit facere incolatus in illa Civitate tam Arbi, quam Kessæ, quod sub specie obtinendi Pagi aliquos confines includerint Nevaleæ, Kessæ & Loni cum pertinentiis suis tam specialiter quam temporaliter Dominio Arben: subsunt, & protestat, de conservatione jurium.

Animadvertendum quoque est in supraposito Cresimiri privil. inter loca nominata *Villam Pagi* reperiri, quæ in ea parte insulæ est; quæ Nonensi Ecclesiæ assignata fuit; Hæc autem in Iadrensium potestate existebat anno 1177. quomodo vero ad eosdem pervenerit non apparet; tamen si reflectatur ad bella inter Venetos, & Ungaros gesta facile conjicietur eandem partem Insulæ vel ab ipsis Nonensibus derelictam, & a Iadrensibus uti desertam, occupatam, & exinde pascua memorata introducta, vel a Venetis vi Croatis ademptam, & Præsidio in villa Pagi posito cum cæteris insulis Croaticis Belgrado proximis titulo Croatico sumpto uti Croatiæ partem retentam, ab indeque Pagi nomen invalescere cœpisse, Arbenses vero uti possessores ejus partis, ubi Kessa reperiebatur antiquum nomen restituere conatos. Sed cum hujusdem belli tempore reperiatur memoria *Iadrenses cum fratre D. Regis Ungariæ destruxisse Castrum Kessæ* quod Rogerius Maurocenus reædificaverat, ex quo dignoscitur necessitas Insulam pagi præsidio valido tuendi, quam ob causam (nisi id prius factum fuerit) tunc tutiori situ electo terram de novo forma quadrata, qua nunc existit Venetos construxisse, eidemque ex proxima villa Pagi nomen indidisse conjectari potest, cum locus Villæ, Terræ veteris nomen adhuc retineat, ex indeque obliterato antiquo Kessæ nomine, Pagi invaluisse dicendum est, Kessam autem sicuti post secundam eversionem reædificatam nemo memorat, ita vestigia ejusdem incerta sunt, nam quamvis Niger loco relato eandem in meridionali parte ponat, tamen cum rudera antiqui Castelli in occidentali ejusdem insulæ Promontorio reperiantur, quæ an antiquæ Kessæ vestigia, sint, vel illius, quam Rogerius ejus Comes reædificaverat determinari nequit.

relata in scrip. 1203. Junii.

CAPUT XIII.

De Pharen. Episcopatu, Aliisque in Croatia Institutis.

Cap. XI. DE *Episcopatu Pharensi Archidiaconus cap. XX. supra relato ubi sequitur. Istis vero temporibus sicut ab antiquo Insulæ Pharon, & Brachia erant diœceseos Ecclesiæ Spalatinæ, Archipresbyter vero erat in eis quidam Cernata Sacerdos Capellanus de Spalato. Prædicti autem Clerici, qui ad Episcopatum anhelabant (scilicet Iadren.) cœperunt inimicari Comiti ob favorem Lampredii, qui volens eos si-*

bi pacatos efficere, uni consensit Episcopatum Apsarensem, quem cum duobus aliis Episcopatibus scilicet Viglienſi, & Arbensi a subjectione Spalatinæ Ecclesiæ subtraxerant, Martinum vero fecit eligi ab Insulanis expulso Archipresbytero Ecclesiæ Spalatensis. Nam Comes prædictus cum Venetis earundem occupaverat dominium Insularum, & quamvis Martinus potestate Iadrensis Comitis fuisset electus, noluit tamen Iadræ consecrari, sed profectus Ragusium consecrationem suscepit ab Andrea Archiepiscopo Ragusino, & ab Episcopis Dulcinienſi, & Suacienſi, & nullam subjectionem faciebat Iadrenſi Ecclesiæ, sed Spalatenſi debitam reverentiam exhibebat quandoque.

Hic animadvertendum est insulas Pharon, & Brachiam Narentanorum fuisse, quibus ultimis ex Slavis in Dalmatia antiqua existentibus ad fidem Christi conversis, jurisdictionem earundem Spalatinæ Ecclesiæ cessisse, prout ab antiquo, Salonitanæ fuit: tempore autem ab Archidiacono relato, cum Comes earundem dominium, Venetorum ope occupasset, Martinum Manzavini Iadrensem primum Episcopum ab Insulanis electum fuisse, quod post electionem Lampredii in Archiepiscopum Iadræ id est post annum 1144. evenisse dicendum est. Hunc eundem Martinum ab Insulanis deinde expulsum Archid. memorat cap. 22. *Sed nunc ad Martinum Episcopum Insularum redeundum est. Hic cum esset senex quadam valetudine comprehensus quasi amens effectus erat. Insulani vero ejus amentiam non ferentes, expulerunt eum, & accedentes ad Ecclesiam Spalatensem elegerunt Lucarum filium Daymi Ci læ Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ, qui præsentatus Raynerio Archiepiscopo consecratus est ab eodem,* de qua expulsione extat Epistola Alexandri III. Comiti Pharæ scripta.

Archi. Cap. Spal. *Alexandri Ep. SS. Dei dilectis in Christo filiis Chajalisio Comiti strenuissimo, & universis Nobilibus Pharensinæ Insulæ Sal. & Ap. Ben. Insinuatum nobis esse noveritis quod erga fratrem nostrum Martinum Episcopum, & pastorem vestrum Diabolo instigante non congruam habeatis indignationem, dicitis n. eum, quem in juventute honorifice habuistis, nunc senectute gravante vobis esse incongruum, & inhonestum, volentes vestro arbitrio meliorem eligere; cum Dominus illum Ecclesiæ diu constituit esse pastorem; Sed quia non licet, per Apostolica scripta vobis mandamus, ut tam vos, quam & cæterarum Insularum Rectores eum usque ad obitum suum magis quam aliquando reverenter habeatis; de cætero autem si quisquam hujus amentiæ causa fraudare in decimis visus est, aut primitiis, ex pœnitentia ductus non emendaverit, atque illi debitam non exhibuerit reverentiam, prout nostra facultas est, Apostolica auctoritate excommunicationis vinculo innodamus Dat. Beneven. Kal. Iunii,* exindeque restitutio ejusdem secuta est ut Archid. refert, eodem capite, qui relato quomodo Raynerius Archiepiscopus Spalatens. eidem Pontifici Venetias pergenti ad Insulam Issam occurrerit, & Iadram usque comitatus sit, subdit. *Tunc Martinus Insularum Episcopus recuperata sanitate jam Compos mentis effectus quærelam Domino Papæ de sua expulsione, & de Lucari intrusione deposuit, Summus vero Pontifex auditis & cognitis causæ meritis Lucarum deposuit, Martinum vero ad suam sedem remisit.* Hanc institutionem Pharen. Episcopatus sicuti Archiepiscopum Iadræ procurasse ex dictis Archidiaconi constat, ita ejusdem Iurisdictionem simul cum cæteris Insulis sibi assignatis asserere studuisse, ex decreto Thebaldi Apostolicæ Sedis legati elicitur.

Thebaldus D. G. S. R. Ecc. Sub. Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo fratribus universo Clero M. Comiti, & toti populo Spalat. cum dilectione salutem. Ad robur, & memoriam rerum gestarum plurimum valere cognoscitur series literarum, quandam namque firmitatem præstat, nec sinit oblivisci scriptura quæ diligenti solicitudine, & cura sub uno paginali contextu fuerint comprehensa, ideoque perscripta præsentia notum facimus, & ad notitiam, tam præsentium, quam futurorum significamus, quod cum de mandato summi Pontificis, in Dalmatiæ, & Sclavoniæ partibus officium legationis haberemus Spal. Ecclesiam, quæ & Salonitana dicitur, super Faren. Episcopatu quærimoniam deposuit adversus Iadertinam Ecclesiam. Profecto sub Generali vocatione Clero Iadertino scripsimus, significantes, & mandantes, ut eorum aliqui taliter instructi, & parati ad nos accederent, quod super motis controversiis sufficienter respondere valerent, cumque ad diem, & terminum denuntiatum præfatus Clerus nec venisset, nec responsum misisset, quibusdam diebus postea elapsis jam dictam quærelam audivimus, in præsentia Episcoporum, & multorum aliorum, & auditis, visis, & intellectis rationibus Privilegiis, & allegat. Ecclesiæ Spalat. eidem habito plurimorum venerabilium virorum consilio prædictum Farensem Episcopatum adjudicavimus, & assignavimus anno D. Incar. 1181. Ind. 13. Pontif. Alex. P P. 3. An. 22. *Archiv. Capit. Spal.*

Ex quo deducitur tunc temporis Ecclesiam Spalat. post relatam lapidationem Rainerii Archiepiscopi anno præcedenti secutam adhuc vacasse, electionique Archiepiscopi Regem Belam obstitisse, ex ejusdem summi Pontificis Epistola apparet.

Alex. Episcopus ser. ser Dei Dil. in Christo Filio B. Illustri Vngarorum Regi salutem, & Apostolicam ben. significantibus nobis dilectis filiis nostris Clero, & populo Spal. nobis innotuit quod cum Ecclesia Spalatina diu pastore vacaverit, & usque ad hæc tempora juxta Privil. Romanorum Pontificum, & sacrorum Canonum liberam electionem habuerit, tu in ea Episcopum secundum quod observatum est eligi, non permittis, volentes igitur Regiæ saluti consulere, & indempernitati præfatæ Ecclesiæ pro nostri officii debito providere, monemus Regiam Excellentiam, & exhortamur in Domino quatenus eam libere, & sine contradictione de persona idonea ordinari permittas, qui & Populo Dei præesse valeat, & prodesse, alioquin licet magnificentiæ Regiæ deferre velimus, jam dictæ

Eccle-

Ecclesiæ in jure suo deesse non poterimus aliqua ratione, nam, & Serenitati Regiæ credimus expedire, ut Civitatem ipsam in sua libertate conserves, & habitatores ejus in fidelitate tua facias firmiores, & ne eis circa Dominium tuum occasionem tribuas malignandi. Ad hæc etiam Regiam magnificentiam monemus attentius, & rogamus quatenus Minoslavum Comitem ad reddendam pecuniam prænominatæ Ecclesiæ, quam olim bonæ memoriæ R. Spalaten. Archiepiscopo abstulit, vel ad æstimationem congruam, & ut loca illa in quibus olim Cathedrales sedes fuisse noscunt, ordinari permittat, si aliter ad hoc induci nequiverit Regia potestate compellas, Data Viterbii 11. *Non. Iulii.* In qua cum R. defuncti Archiepiscopi mentio fiat post relatum decretum Thebaldi scriptam dicendum est, imo ex ejusdem relatione Pontificem Regem monuisse.

De Pharensi autem Episcopatu Archidiaconus sequitur c. 23. *His temporibus defuncto Martino Insularum Episcopo, Nicolaus Manzavini nepos ejus ambitionis ardore succensus tantum sollicitaverat Insulanos, quod ab eis in Episcopum est electus. Præsentatus ergo Spalatensi Archiepisco manum consecrationis sibi postulabat imponi, Archipræsul vero ejus devitans versutias, sciens eum calidum, & dolosum minime admittebat, tandem instantia civium superatus promisit, se die Dominica, quæ crastina futura erat eorum satisfacere voluntati. Nicolaus vero indigne ferens dilationem Archiepiscopi, ipsa nocte iter arripiens perrexit Veronam, ibique Dom. Papam Lucium quibusdam machinationibus circumveniens, consecrationem ab eo petiit, & accepit. Vacante autem Ecclesia Iadrensi, Nicolaus iste in Archiepiscopum est electus, electionem temere suscipiens absque licentia Apostolicæ sedis administrationi Iadrensis Ecclesiæ se imprudenter immersit. Quamobrem Dominus Innocentius Papa, eum utraque dignitate privavit, Insulani vero Spalatum accedentes elegerunt in suum Episcopum Micham nepotem Picii Canonicum Ecclesiæ Spalaten. Hic in Ecclesia Spalatina consecrationem suscepit, & pergens ad Apostolicæ Sedis Præsulem confirmationis rescriptum obtinuit, ut deinceps Episcopatus Pharensis antiquæ Metropoli Spalatinæ tanquam matri suæ jure perpetuo adhæreret.* Ex quibus Archidiaconi dictis dignoscitur Nicolaum a Papa Lucio in Episcopum Pharen. sub Archiepiscopo Iadren. consecratum, cum relata Scriptura Iadren. 1190. 19. Maii eundem *eorum Ecclesiæ suffraganeum* testetur, hacque de causa inter suffraganeos Spalatinæ sedis in Synodo tunc temporis habita, & mox referenda non nominatur Pharensis, & cum deinde ipse Nicolaus Archiepiscopus Iadræ electus fuisset, ut Arch. refert conareturque sibi in Pharensi Episcopatu alium Iadrensem substituere, Spalatensesque ab Andrea Duce Emerici Regis Ungariæ fratre, qui maritimis locis præerat obtinuissent ut Michæ Canonico Spalaten. Episcopatus conferretur, & Metropolitanæ Spalaten. restitueretur, ut ex ejusdem privilegio apparet.

In nomine Sanctæ Trinitatis, & Individuæ Unitatis anno ab Incar. D. 1198. *Indictione prima, Ego Andreas tertii Belæ Regis filius D. G. Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Culmæque Dux in perpetuum. Quoniam Ducali Serenitati jura & dispositiones Regni sui licet . . . & disponere. Hinc est, quod nos in Dalmatia perambulantes invenimus Episcopatum Farensem suo Pastore vacantem, ne igitur juri Ecclesiastico in aliquo derogaretur diligenti inquisitione cui Archiepiscopatui suffraganatus subjacere, relatione vero Dalmatiæ Episcoporum, & universorum Croatorum Principum percepimus, quod ex antiqua constitutione sub Spalaten. Archiepiscopatu fuisset. Nos vero relationi eorum attendentes prætaxatum Episcopatum cuidem Spalaten. Canonico M. contulimus ac eundem Episcopatum Spalaten. Ecclesiæ confirmavimus. Hujus autem constitutionis, pagina testimonio istorum facta. Andrea Bano, Comite Macharia, Comite Ioseph, Comite Marco, Comite Andronico filio Bani Camerario Ducis Wenceslavo, Præposito Gutifredo, Magistro Teobaldo Dat. per manus Petri filii Milka Ducis Aulæ Notario* re ad Summum Pontificem Innocentium delata, quid decreverit, ejusdem Epistolæ referunt, quæ inter impressas non reperiuntur. *Innoc. Episcopus Ser. Ser. Dei Vener. fratribus Tinien. & Scardonen. Episcopis & dilecto filio Abbati Trag. Sal. & Apostolicam Bened. Constitutus in præsentia nostra Ven. frater noster M. dictus Faren. Episcopus sua nobis assertione monstravit, quod cum Vener. fr. nr. N. Faren. Episcopus electus fuisset in Archiepiscopum Iader asserens electionem suam fuisse per Sedem Apostolicam confirmatam ad Iadertinam transivit Ecclesiam, & in ea tamquam Archiepiscopus ministravit; postmodum autem ad Faren. accedens Ecclesiam, cæpit de substituendo sibi in eandem Ecclesiam Pastore tractare, volens in eam intrudere M. Diaconum Ecclesiæ Iader. Principem terræ alium ibidem intrudere moliente, per potentiam Laicalem, proter quod Clerus, & Populus Faren. convenientes in unum, credentes, dictum Episcopum ad Iadertinam Ecclesiam auctoritate Sedis Ap. transivisse, dictum M. in pastorem concorditer elegerunt, & electionem factam dilectis filiis Spalat. capitulo præsentantes eam confirmari obtinuerunt, & electum suum per suffraganeum Spalat. Ecclesiam consecrari postmodum autem præfatus N. Faren. Episcopus a nobis ad Ven. fratres nostros . . . . Polen; Absalen; & Arben. Episcopos litteras impetravit, a quibus licet propter causam suspicionis idem Episcopus appellasset, ipsi nihilominus sicut, & fuit in via suggestum excommunicationis sententiam protulerunt propter quod ipsum ad sedem Apostolicam venientem fecimus ad majorem cautelam absolvi? constitit autem nobis quod licet d. N. postulatus fuerit in Ecclesiam Iader. postulatio tamen ejus nondum fuit per sedem Apostolicam approbata suggestum etiam nobis fuit per litteras, & nuntios ejus, quod cum Iadertum, unde oriundus fuerat ad domum propriam accessisset, & in Iader. Ecc. non tanquam Archiep. sed tamquam Archid. ministraret, dictus M. in locum viventis irrepsit, & in Faren. Ecclesiam temere se permisit intrudi, propter quod de m. to nostro per memoratos Episcopos excomm. fuit, vinculo in-*

Registr. Archiep. Spalat.

Archiv. Capit. Spal.

nodatus, quia vero sive memoratus Episcopus temere transiverit ad Ecclesiam Iader. sive ipsam tamquam ipsius Archid. visitarit, antequam Pharen. Ecclesia fuisset ab eo auctoritate sedis Apostolicæ absoluta, per electionem Canonicam alium sibi Episcopum non poterat copulare, eidem Episcopo dedimus in mandatis, ut a Faren. Ecclesia omnino recedat, nec se nominet Faren. Episcopum, sed ad Spal. Canonicam unde assumptus fuerat, si voluerit, revertatur. Quia vero Faren. Ecclesia justo forsan errore decepta, credens. u. Episcopum ad Iad. Ecc. de m. to Ecc. o R. transisse, in hunc contulit sua vota, & ipsi occasione simili circumventus, consensit in eam, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus sublato appell. obstaculo inquiratis diligentius veritatem, si præfatus N. Faren. Episcopus postulationem suam asseruit per sedem Apostolicam approbatam, si ad Iader. Ecc. omnino transivit, si in ea se habuerit ut electus, si de substituendo sibi Pastore in Ecclesia Faren. tractavit, ut de his, & aliis per litteras vestras certiores effecti, melius in ipso negotio procedamus; quod si omnes his, exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur Dat. Later. 4. Id. Iulii Pontif. nostri A. 2.

Innoc. Episcopus ser. ser. Dei dilectis filiis Capitulo Spalat. salutem, & Apostolicam ben. cum Venerabilis frater noster M. dictus Faren. Episcopus Ven. fratrem nostrum. N. Faren. Episcopum asserentem postulationem suam esse per sedem Apostolicam approbatam transiisse proponat ad Ecclesiam Iadertinam, & in ea ut Archiepiscopum ministrasse & in Faren. Ecclesia alium sibi substituere voluisse, se vero ad Faren. Ecclesiæ regimen fuisse illo transeunte vocatum præfatus vero N. Episcopus ad Civ. Iadertin. unde fuerat oriundus, non transiisse, sed accessisse, proponat, & in ea se non ut Archiepiscopum sed Archid. ministrasse ac dictum M. Faren. se in Ecclesia Faren. fecisse intrudi, & nos Inquisitionem horum duxerimus committendam sollicite, volumus præcavere, ne interim eadem Faren. Ecclesia aliquid in spiritualibus, vel temporalibus detrimentum incurrat, ipsam ergo vestræ solicitudini committentes donec aliud statuamus discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus taliter ipsi providere curetis, quod occasione controversiæ hujus aliquod dispendium non incurrat; Dat. Lat. 2. Id. Iulii Pontificis nostri anno 2.

Tertia ejusdem Innocentii epistola impressarum lib. 1. Epistola 534. N. Faren. Episcopo ut cum aliquot Canonicis Romam causam suæ translationis dicturus veniat.

Mirari cogimur, & moveri (quod sicut a multis accepimus) tu regimen Ecclesiæ Iadertinæ sine mandato sedis Apostolicæ irreverenter assumere præsumpsisti, licet enim Clerici Ecclesiæ Iadertinæ cum suæ Civitatis nuntiis ad nostram præsentiam accessissent, & nobis tam ex relatione ipsorum, quam litterarum inspectione, quas tulerunt patuisset quod in Iadertin. Archiepiscopum electus fueras, imo verius postulatus: quia tamen etsi de modo postulationis possemus reddi per easdem literas certiores, de persona tua nobis non poterat fieri certa fides, nec examinare debebamus absentem, eis de consilio fratrum nostrorum decrevimus respondere, ut aliqui de Canonicis ejusdem Ecclesiæ nostro se conspectui præsentarent, ut de studiis postulationum, & de meritis postulati certiores effecti, securius in ipso negotio procedere valeremus: adjicientes quod licet Episcoporum translatio ad solum pertinet Rom. Pont. quia tamen ad Ven. fratrem nostrum Patriarcham Graden. consecratio Iadertini electi noscitur pertinere, cum de beneplacito nostro procederet, ut tibi pallium conferremus, & tu nobis juramentum fidelitatis præstares te procul dubio faceremus dicto Patriarchæ Graden. professionem Canonicam, & debitam obedientiam exhibere, sed ipsi nuncii tales noluerunt literas reportare, quibus reversis sine mandato nostro Ecclesiæ Iadertinæ diceris regimen assumpsisse, & in ea tam temporalia, quam spiritualia ministrare, quia vero grave nimis est, quod de tua præsumptione proponitur, nec subito volumus damnationis sententiam jaculari, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium cum competenti num. Canonicorum Ecclesiæ Iadertinæ iter arripias ad sedem Apostolicam veniendi, redditurus nobis super excessu, quem, prædiximus rationem, ita quod si culpabilis inventus non fueris, cum nobis de postulatione Canonica, & personæ tuæ Idoneitate constiterit, translationis gratiam, & usum pallii recipere merearis. Post modum debitam nobis fidelitatem, & dicto Patriarchæ professionem Canonicam impensurus; alioquin ex tunc te noveris ab officio Pontificali suspensum, & nos Canonicis Iader. Ecclesiæ dedisse firmiter in mandatis, ut aliam personam idoneam canonice sibi eligant in Pastorem Dat. Lat. 3. Nonas Xbris.

Scriptum est Iadertinis Canonicis in eundem fere modum usque ad verbum suspensum. Quocirca Universitati vestræ per Ap. scripta mandamus, quod si prædictus Episcopus præceptum nostrum contempserit adimplere, vos aliam personam idoneam vobis eligatis Canonice in Pastorem. Dat. ut supra. Nicolaum autem obedire renuisse ex ejusdem Innocentii Epistola arguitur, cum Regi Ungariæ scribat lib. 3. Ep. 2. *Nicolaum quoque quondam Faren. Episcopum, qui non solum præter auctoritatem nostram, sed etiam contra prohibitionem expressam; Iadertinam Metropolim, quam præsumpsit invadere, detinere præsumit, unde suspensus a nobis anathematizari mandatur, ut a suo resipiscat errore, tradita tibi pot state compellas, ne juxta Canonicas Sanctiones non careas scrupulo societatis occultæ, si manifesto facinori desinas obviare Dat. Lat. 1. Id. Octob.*

Ex quibus dignoscitur Nicolaum *utraque dignitate privatum* non solum ob causam ab Archidiacono relatam, sed etiam quia subjectionem Patriarchæ Graden. detrectabat, & sicut Scripturæ Iadræ usque ad datam ult. Epistol. Innoc. *Nicolaum Archielectum* exprimunt, ita anno 1201. Ecclesiam Pastore vacasse testantur, eumdemque Nicolaum antequam deponeretur Nonen. & Scardonen. Episcopatus

Spala-

Spalatinæ Metropoli detrahere, sibique subjicere studuisse, ex epistola Henrici Regis Ung. conjici potest, quæ quamvis sine data reperiatur, prout multæ similes minores dictæ, tamen cum in *Privil. nostror.* mentio fiat; Privilegia autem Spalatinis anno 1196. confirmasse constat, intra hunc annum, & ejusdem Nic. depositionem scilicet 1200. scriptam, dicendum est,

H. D. G. Hun. Dal. Cr. Ramæque Rex.

Spalatens. Capitulo, & totius Urbis conventui, Sal. & gratiam Universitatis vestræ litteris receptis, & nuntiis ea quæ debuimus, quæ nobis significabant intelligere curavimus, quorum relatione cognovimus, quod auctoritate Regia, & præcepto, Iadrenses jactent se Episcopatus vestros Scardonen. videlicet: & Nonen. a modo possessuros. Quia igitur ex susceptо Regiæ magnitudinis culmine omnium nostrorum fidelium jura læsa, & inconcussa juxta tenorem privilegiorum nostrorum servare tenetur, nolumus aliquo modo universitatem vestram a suis justitiis fore alienam; fidelitatis namque vestræ probata constantia, jura vestra vobis totaliter confirmamus, & vestris suffraganeis universis universaliter, & singulis singulariter, Regia auctoritate præcipientes mandamus, quatenus debitum honorem, & reverentiam Spal. Ecclesiæ exhibeant, & nullius nova suggestione a fide, qua eidem Ecclesiæ tenentur debeant exorbitare. De Ecclesia autem Pharensi sicuti Summum Pontificem curam Capitulo Spalaten. commendasse, ex 2. Epistola elicitur; ita deinde Micham. Episcopum confirmasse Spalatinæque Metropoli adjudicasse, ut Archidiaconus scribit censendum est, etiamsi inter Innocentii Epistolas impressas nihil reperiatur, sed ex posteriorum temporum scripturis id appareat. In Croatia quoque Corbaviensem Episcopatum institutum Archid. refert cap. 23.

Post mortem vero Emanuelis Imperatoris, cum rediissent Spalatenses ad dominium Ungarorum electio facta est de quodam Petro Ungaro filio Chitilien, qui erat nobili genere ortus, cum ergo consecrationis munus fuisset adeptus primo Pontificatus sui anno vocavit universos Episcopos suos, Abbates etiam, & omnes Ecclesiæ personatus habentes cum universo Clero, & celebravit Provincialem Synodum in Basilica Sancti Andreæ, quæ dicitur picta, in hac Synodo multa bona fuerunt statuta, tunc limitatæ fuerunt Diœceses cujuslibet Episcopatus; Corbavia cum esset Parochia Ecclesiæ Spalat. voluit eam Archiepiscopus sibi detrahere, & in ea Episcopatum facere, Metropoli Spalatinæ subjectum, quod & factum est; nam ex voluntate Cleri illius Provinciæ, qui ad Synodum venerat ordinatus est primum Episcopus Corbaviæ Mattheus Marutæ Canonicus Ecclesiæ Sancti Domnii, juvenis quidem ætate, sed honestæ conversationis, & sobriæ vitæ; Denique porrecto Synodali conventu quæcumque ibi statuta fuerunt, Apostolicis sunt auribus intimata. Dominus vero Papa approbans universa, pondus auctoritatis Romanæ Ecclesiæ eis imprimens confirmavit. Hæc Synodalis Diœcesium limitatio extat in cartulario Capituli Tragurien.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis anno ab Incar. Domini 1185. Indictione 3. Domino Lucio PP. III. Apostolicæ sedi præsidente, ac D. Bela III. Ung. Regnum gubernante, & D. Henrico filio ejus, eo vivente coronato, & D. Petro Ungaro Ven. Archiepiscopo Spalat. sedem regente hoc actum est. Quoniam pastoralis officii, quibus summa spiritualium rerum committitur, admonet universos ac Patria solicitudo invitat ut gregibus sibi creditis ita quisque provideat, quod Luporum morsibus non exponantur incaute & non incongrua abutentes licentia terrenis commodis inhiare videantur, & ne animarum lucra omittantur, diligenter inquirere. Ideo Ego Petrus divina favente gratia Spalatinæ Sedis Archiepiscopus videns multa enormia per nostrum Spalat. Archiepiscopatum emersisse, multiplicesque subditorum errores considerans graviter pullulare, ut Domino providente excessibus tantis finem congruum imponere atque salutaribus monitis audientium corda possem informare, de m. to & voluntate Summi Pontificis in nostra Spalaten. Civitate cum omnibus suffraganeis, & Abbatibus, nec non Clericorum copia generalem Synodum invocata Sancti Spiritus gratia Kal. Maij devotissime celebravimus. In qua videlicet quæ digna correctione videbantur correximus. Et quæ fuerunt plantanda, Domino cooperante, provida maturitate omnium fratrum communicato consilio, plantare curavimus: Inter cætera quidem cum Parochiæ suffraganeorum nostrorum ad se invicem essent confusæ, & cæteris limitibus nequaquam distinctæ, & nullis privilegiis communitæ, ita ut ipsi Episcopi in errorem, & controversiam sæpe inducerentur, placuit primo Nobis, & postea omnibus nostris Episcopis memoratas Parochias taliter distinguere, ac Privilegiis communire, ut de cætero unusquisque Episcoporum attributis sibi Parochiis & Privilegiatis gaudeat, & nulli umquam fratrum suorum quæstionem exinde movere præsumat.

Definivimus itaque pari voto, & communi voluntate eorundem suffraganeorum, ut Archiepiscopus Spal. has habeat Parochias Clissam, Scalle, Zminam, Zettinam, totam Cleunam, totum Masurum, & totum Dol, usque Vrullam, & ubicumque sunt terræ S. Domnii, debeant dare decimam S. Domnio.

Tinien. Episcopus habeat sedem suam in Tenin, & habeat has Parochias, Tenin, Campum, Verchreca, Pset.

Tragurien. Episcopus habeat has Parochias, Trag. Drid. Sibenicum, & totum Comitatum Zagoriæ

Scardonen. Episcopus habeat has Parochias, Scardonam, Briber Belgrad, cum tota Sidraga.

Nonen. Episcopus habeat has Parochias Nonam, totam Lucam, & medietatem Licæ.

Signien. Episcopus habeat sedem suam in Signia, & habeat has Parochias, Signiam, Vallem Vineariam, Gezcam, & Busan.

Corbanen. Episcopus habeat sedem suam in Corbava, & habeat has Parochias, Corbaviam, medietatem Licæ, Novigrad, Dresnic, Plis, & Modrusam.

Ecclesiæ vero S. Stephani Regis, & Capellæ

nostræ in honorem S. Iohannis, quam nos manu quod ei post Archiepiscopum, nullus præsit, nisi Sacerdos ei ordinatus. Cui hos reditus communi voluntate fratrum ibi existentium concessimus, vineam unam in Biaci, quam a quodam Tragurino filio Furmini Calageorgii, justitia dictante, Iudicio Dirsemari Tragurii tunc Comitis recepimus, cujus causæ Pristaldus est Cerne filius Cypriani, testes sunt Iupanus Petrus filius Gregorelli, & Martinus Tragurinus de Benedicte, & alii quam plures, & ibidem in Biaci terram ad duos Boves, Bovem, & Vaccam. Statuimus siquidem, ut nulli omnino homini liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & confirmationis infringere, vel eis aliquatenus contraire.

Quicumque vero ausu temerario id facere attemptaverit, indignationem omnipotentis Dei, & nostram, ac fratrum nostrorum maledictionem se noverit incursurum, & Sancto Domnio componat centum marchas argenti. Ut autem hæc ordinatio, quam his personis præsentibus, & eam approbantibus statuimus. Flascone Tinien. Episcopo: Michaele Tragurien. Episcopo: Michaele Scardonen. Episcopo: Matthæo Nonen. Episcopo: Mireo Signien. Episcopo: Matthæo Corbanen. Electo Isaac Sancti Stephani Abbate, Vincentio Trag. Abbate, Alberto Pisano S. Bartholomæi Præposito Duumo Sancti Domnii Primicerio, Iohanne Sacrista, cum toto ejusdem Ecclesiæ Capitulo, Vilcota Archipresbytero de Clissa, Vilcota Archipresbytero de Kileo, Gaudio Archid. Trag. cum suis Clericis, Drasez Scardonen. Archipresbytero, cum ejusdem Ecclesiæ Clericis, Desimuro Licen. Archipresbytero cum Clericis ejusdem Ecclesiæ, Radona Busanen. Archipresbytero, cum Clericis ejusdem Ecclesiæ, Techemiro Nonen. Archipresbytero, & Petro Prim. cum reliquis ejusdem Ecclesiæ Clericis. Firma stabilisque permaneat per Notarium nostrum Sabbatium scribi, & sigillo Sancti Domnii, & nostro imprimi præcepimus, & confirmatio Summi Pontificis

Ex Reg. Privil. Archiep. Spal. *Urbanus . . . . Petro Archiepiscopo Spalat. Sal. . . . . Divisiones Parochiarum, quas de suffraganeorum tuorum assensu feciste dignosceris, & redigi feciste in scriptis pro eo quod ex confusione ipsarum quæstiones difficiles sæpius emergebant, sicut rationabiliter de illorum suffraganeorum convenientia factæ sunt, & in scripto authentico continentur & constitutiones alias, quas pro corrigendis quorundam excessibus, & aliis honestis causis congregato concilio, deliberatione provida, statuisti cum additionibus, & determinationibus quæ in ipsis capitulis inferius apponuntur auctoritate Apostolica confirmamus. Datum Veronæ 3. Idus Novem. 1185.*

Observandum est hanc Synodum fuisse celebratam tempore, quo bellum inter Venetos & Ungaros gerebatur, & hi universam continentem, illi autem omnes Insulas possidebant, mutuaque damna tunc evenisse supra relatum est, ex quibus Iurisdictionem quoque Ecclesiasticam in eis locis, quæ in adversariorum potestate reperiebantur impeditam fuisse

episcopum Spalat. (summo Pontifice pro bono pacis annuente) Iupam, Lichæ in continenti Croatico sitam, & in Ungarorum potestate existentem Ecclesiæ Arben. detraxisse, ejusque medietatem Episcopo Nonens. pro parte Insulæ Pagi, a Venetis possessa, assignasse, alteram vero cum Corbavia, (quæ peculiaris erat Parochia Ecclesiæ Spal.) Episcopo Corbavien. tunc instituto, ut Archid. refert.

De Signiensi autem Episcopatu, quando institutus fuerit, non constat, de quo Archid. c. 15. supra relato. *Vegliensis obtinebat majorem partem Parochiarum, quas nunc habet Signiensis Ecclesia, quæ non erat tunc Episcopalis sedes,* scilicet quando Episcopi superioris Dalmatiæ se exemerunt a Metropoli Spalat. quod circa annum D. millesimum evenisse l. 2. c. 14. dictum est; tamen ante tempora relatæ Synodi Signiensem Episcopatum extitisse ex epistola Alex. P. P. III. data Benev. 3. Kal. Feb. scripta Mireo Episcopo qui in Synodo nominatur, dignoscitur, cum eidem præcipiat, ut Girardum Archiepiscopum in suum Metropolitam recognoscat, & quamvis tempus Epistolæ percipi non possit, tamen cum Girardum fuisse Archiepiscopum Spalati anno 1171. constet, & circa annum 1175. mortuum ex supputatione Archidiaconi eliciatur, ideo Signiensem Episcopatum sicuti ante relatam Synodum, & Episcopatus Corbaviensis institutionem, extitisse constat, ita ex aliqua simili causa institutum fuisse conjici potest. Ex quibus dignoscitur, Spalatensem Metropolim præter Tragurien sem, reliquos suffraganeos in Synodo nominatos in Croatia habuisse, & quamvis Archiepiscopus Spalaten. Dalmatiæ totiusque Croatiæ Primatis titulo utatur, tamen an Sirmiensis, & Zagrabiensis Episcopatus, qui in Croatia Interamnensi existunt, unquam Metropoli Spalatinæ subditi fuerint, nulla memoria reperitur; sed sicuti Sirmiensis instituto a Wolfgango Lazio, S. Stephano primo Ung. Regi tributa, supra refutata fuit, ita Zagrabien. S. Ladislaum Regem instituisse ejusdem Ecclesiæ monumenta memorant, quod non videtur inverisimile cum ipsum Croatiam acquisivisse ex relatis constet.

Regist. Archiep. Spal.

Pharensem autem, qui quamvis in recentiori Dalmatia non reperiretur, tamen antiquo jure Salonitanæ Ecclesiæ Andream uti Ducem Ramæ, vel Culmiæ Spalatinæ sedi eundem adjudicasse concludendum est.

Spalatensis ergo Metropolis habuit tunc temporis in Dalmatia unicum suffraganeum Tragurien sem, in Croatia vero Tinien s. Scardonen. Nonen. Signien. & Corbanen. Pharen. vero in antiqua Dalmatia, vel Ducatu Culmiæ.

CAPUT XII.

Quomodo post Imperii declinationem, Adriaticæ navigationis ratio mutata fuerit?

AB antiquissimis temporibus, donec Romanum viguit Imperium, quomodo navigationis Adriatici ratio diversificata esse potuerit L. 1. conjectatum est: Quæ autem post Imperii declinationem evenerint, quoad Dalmatæ sui Iuris evaserunt, & quoties Imperatores Orientales, Dalmatiam, Marisque Adriatici dominium recuperare tentaverint, libris sequentibus relata sunt. Quibus recensitis quatenus ex penuria auctorum licuit, non inutile erit aliquas animadversiones adnectere, quæ non minus ad dilucidationem dictorum, quam ad dicendorum meliorem intelligentiam conferent; Nam Romanis, Herulis & Gothis Dalmatiam simul cum Italia possidentibus, cum utraque sub unius dominio fuerit, nulla alterationis occasio in Adriatico esse potuit, a Iustiniano deinde ambabus recuperatis, reintegratoque maris dominio, navigationis quoque rationem post Imperii divisionem inductam continuatam dicendum est, & Classe, Constantinopoli Ravennam, adnavigante, Adriaticum custoditum, donec majorem partem Dalmatiæ Slavi occuparunt. Abinde enim res in Adriatico alteratæ fuerunt, & prout a Dionysii temporibus, usque ad Romanos navigationem ejusdem Insulares Liburni exercuerunt, ita Romano vigente Imperio ab Insulis continentem Dalmaticam & Civitates, Portusque a Romanis munitos navigatio reducta fuit, ut relatum est, ita ut, quando Slavi Dalmatiam occuparunt, Insulas ob earum sterilitatem parum habitatas fuisse censendum sit; Ideo Dalmatarum reliqui ad easdem refugientes, cum ob socordiam Græcorum condendarum inibi Urbium modum non haberent, propter victualium indigentiam, patriique soli amorem aliquas Civitates restaurare, cum Slavisque convenire, ex piscatu, navigatione, Insularumque sterili solo victum quærere, coacti fuere; sed Occidentali parte continentis a Croatis occupata, dominium Insularum ejusdem partis Dalmatæ retinuerunt, & præter Civitates ab antiquo existentes, scilicet Absoro, Viglia, Arbo, Iadra & Tragurio: Salonitani Spalatum habitarunt: Serviis autem reliquum continentis simul cum majoribus Insulis itidem occupantibus, Dalmatarum Orientalis partis reliquiæ, (cum Epidaurum restaurandi vires non haberent) in prærupta & peninsulari Rupe portum efficiente, Rausium ædificarunt, ut relatum est: Navigationis quoque rationem tunc variatam fuisse oportet; nam quamvis supradictas Civitates Græci in continenti retinuerint, tamen adeo exiles a Principio suæ restaurationis fuere, (ut Archidiaconus de Spalato, & Porphir. de Rausio testantur; idemque de Iadra, & Tragurio præsumi debere consentaneum sit) ut neque Civibus Terram proximam colere permissum cum Archidiacono dicendum sit, neque tutam commodamve stationem Græcorum Classes apud easdem Civitates habuisse censeri debeat, & multo minus in portubus desertis continentis, ob quas omnes causas navigatio Adriatici denuo a littore continentis, ad Insulas reducta temporibus Dionysii, & ante Romanos quodammodo assimilari potest, hoc excepto, quod Dionysius, & qui post eum Adriatici dominium habuerunt, Issam, Pharum, & Corcyram tenuerunt, quas Slavi cum Melita, & Brachia occuparunt, excepta Issa, quam cum Coara, & Lastobo Græci retinuerunt, ut Porphir. scribit. Harum autem Insularum Civitates ab eo tempore, quo Romani dominium in proximam continentem dilatarunt in dies decrescentes habitatoribus minuebantur, ita ut tunc temporis, quando a Slavis occupatæ fuerunt, vel ob Græcanicarum Classium molestias desertæ, vel ex eorundem segnitie muris destitutæ, a Slavis, quamvis classe carentibus, ex proxima continentis lembis transfretantibus facile occupari potuerunt, & quamvis eosdem Slavos aliqua circa Sipontum loca populasse Paulus Diaconus scribat, ex quo Classem habuisse argui posset, tamen id potius permittentibus Græcis, contra Longobardos ipsorum inimicos gestum, quam quod a principio occupationis, Slavos Classem habuisse (cujus nulla memoria reperitur) dici possit: Ideo Græcos dominium integrum Adriatici possedisse, donec Ravennam retinuerunt, & Slavorum maritimos conatus, (si qui fuerunt) facile repressisse censendum est, sed in dies decrescentibus Græcorum rebus, & post Ravennæ amissionem sensim Adriatici dominium amittentibus, Croati aliquas ex Insulis occupantes, mare infestaverunt, & Serviorum maritimi Narentani, Classe Græcorum absente per mare se dilatare, Classem parare, & præternavigantes vexare cœperunt, ab inde Narentanorum nomen innotescere cœpit, primæque ipsorum molestiæ in Venetos factæ memorantur, qui extra sinum navigantes eorundem Insulas præternavigare crebro cogebantur: eodem modo, & Croatæ Venetis, & Istris infesti fuere, & utrique Slavi Dalmatis ut relatum est, ex quibus Dalmatas Græcorum Classe destitutos, sui juris evasisse; Slavorum tamen molestiis obnoxios fuisse constat; nam quamvis Civitates eorum in continenti existentes, tunc temporis 80. circiter annorum spacio a Dalmatica desolatione, validas jam effectas (ut Porph. de Rausio testatur)

l. 1. c. 5.

l. 1. c. 5.

l. 1. cap.

l. 1. cap.

828.

tur) Slavorum impreſſionem non timuiſſe dicendum videatur, tamen cum ex mari victum quærere neceſſitatem habuerint, eorundem navigationes, piſcatus, & Inſularum ipſarum culturam a Croatis, & Narentanis hominum numero abundantibus, & mari jam aſſuetis inquietatas, & inde res eorum debilitatas fuiſſe oportet, eo magis quod Croatæ non ſolum a Terra ipſis proximi, ſed etiam occupatis Inſulis inter earundem Civitates poſitis Dalmatarum vires, per ſe debiles diſtractas quoque tenerent. Ideo tot anguſtiis preſſi ad proxima Venetorum auxilia confugere coacti fuerunt; qui, ex receſſu Græcorum claſſis, propter Saracenorum, & Slavorum moleſtias, naves ſuas munire cogebantur, Iſtrisque, & Dalmatis antiquis ſociis propterea etiam utilitate ſic exigente libenter contra Slavos opitulati ſunt. Tunc ſecunda in Adriatico mutatio ſecuta eſt, quæ cum antiquiſſimis comparari poteſt, ſi ſtatus Dalmatarum, cum Liburnis, & Venetorum cum Atrienſibus conferatur; ex quibus eorundem res geſtæ quarum memoriæ perierunt conjecturis aſſequi poterunt: Nam ſicuti ante Atrienſes Liburnos dominium
l. 1. c. 5. maris habuiſſe obſervatum eſt, ita eorundem geſta Dalmaticis aſſimilari poſſunt, donec ſub Græcorum dominio integram Dalmatiam poſſidentes ex portuum continentis, & Inſularum commoditate habitatorumque frequentia navigationem Adriatici in poteſtate habuerunt, ſed cum eodem tempore quo Dalmatæ continentem, & aliquas Inſulas amiſerunt, Veneti vero a Longobardis pulſi Inſularum Veneticarum populum auxerint: Tunc ſimul, & Venetarum Navium numerum creviſſe, & Dalmaticarum diminutum fuiſſe oportet: Græcanica deinde claſſe ex Adriatico recedente, navigationem ejus ſenſim Venetis ceſſiſſe, Dalmatasque, & Iſtros, cum eisdem communibus amicis ſuas naves jungere, & in dies debiliores evadentes aſſociare, tandem a Croatis, Narentanis, & Saracenis preſſos, protectioni eorumdem adhærere coactos cenſendum eſt. Veneti ergo in dies vires augentes, Claſſes emittere, Iſtros, & Dalmatas protegere cœperunt, Croatas deinde compeſcentes, Narentanorum Inſulas capientes, titulum Dalmatiæ, ſimul cum Adriatici dominio ſumpſerunt. Eadem, vel ſimilia Liburnis eveniſſe præſumi poteſt, & vel inter ſe diviſos, vel ab Illyriis, prout Dalmatas a Slavis preſſos maris uſum ſenſim amittendo, Artienſibus occaſionem præbuiſſe navigationem ejusdem ad ſe trahendi, & dominium ex conſequenti acquirendi, & prout Liburnos, quando mari dominabantur in oppoſita Piceni ripa aliqua loca poſſediſſe Plinius refert; ita Atrienſes præter ea, quæ ibidem tenuiſſe idem Plinius & Strabo memorant, in oppoſita quoque Liburnica ora aliquid habuiſſe tenendum eſt, integrum autem, & diuturnum maris dominium ipſa nominis impoſitio demonſtrat, ideo Liburnicas quoque Inſulas in poteſtate habuiſſe neceſſe eſt, & prout Venetorum maritimi dominii conſervationem in earundem Inſularum, & præcipue Iadrenſis Civitatis poſſeſſione conſtitiſſe, ex relatis apparet, & ex deinde dicendis clarius patebit; ita Atrienſes quoque Iadram ſimul Liburnicis Inſulis tenuiſſe (quamvis memoriæ perierint) dicendum eſt. Situs enim Iadræ ſicut cunctis Adriatico dominantibus opportuniſſimus, ita non eodem modo quibuslibet neceſſarius fuit, ipſos enim Liburnos, qui præter loca continentis, & Inſulas, aliqua quoque Piceni loca poſſederunt, ſtationem eorum Claſſis, non Iadræ, ut in centro eorum ditionis exiſtentis, ſed in illis locis, ubi pro temporum varietate neceſſitas exigebat, tenuiſſe oportet: eodem modo, & illos, qui extra ſinum exiſtentes, Adriatici dominium habuerunt, ut Dionyſius, & Romani, Claſſe pollentes, contracta cum Liburnis ſocietate facile cæteros in officio tenere potuerunt: Sed Veneti debilibus Iſtrorum, & Dalmatarum viribus, ſuas nondum magnas aſſociantes, Slavis, communibus inimicis coercitis, maris dominium conſecuti pro ejusdem conſervatione, Liburnicis Inſulis, & Iadrenſi portu prope fines Croatarum exiſtente, indiguerunt: Nam Ungari deinde Croatiam in poteſtatem ſuam reducentes, exinde aucta potentia, Venetorum Claſſe in Syria detenta, non ſolum Iadram, cæteraſque in continenti Civitates Dalmaticas ademerunt, ſed ex conſequenti Inſulas quoque ceperunt; Sic Veneti Dalmatarum ſocietate privati, utriusque Imperii auxiliis ad amiſſa recuperanda indiguerunt; Sed Græcis poſtea ab eisdem alienatis, iterum abſente Venetorum Claſſe, Ungari multa loca Dalmatiæ occuparunt: At Iadra ſervata, cætera quoque proprio marte Veneti recuperarunt, ut relatum eſt. Ex quibus quam neceſſarius fuerit Venetis Iadrenſis Civitatis ſitus apparet; Idemque vel ſimilia de Atrienſibus cenſenda ſunt, & Iadræ (cujus nomen cum ab Adriatico non admodum differat) ex ſitus neceſſitate florentibus Atrienſium rebus, vel ſaltem quando a Gallis Turcæ pulſi fuerunt, Colonia ibi deducta, antiquum Liburnicum nomen obliteratum, & proprium impoſitum coniici poteſt. Veneti ergo maris dominium conſecuti, Iſtrorum & Dalmatarum auxiliis ſibi aſſociatis, Adriaticum cuſtodire cœperunt, & ſicuti donec Græcorum Claſſes intra ſinum pro ejus cuſtodia navigabant, Adriatici ſtatus temporibus Dionyſii, & Romanorum comparari poteſt, ita Venetis ſuccedentibus, cum Atrienſium conferri: ex iisdem enim locis utrorumque

que Classes ad custodiam maris processerunt, & prout Atrienses Cupræ Fanum in Piceno possedisse, memorat Strabo; ita Fanum Fortunæ circa eadem loca Veneti in protectionem suscipientes,
1140. utraque Adriatici littora consecuti (cum nulla alia Classis intra sinum existeret) integrum ejus dominium habere cœperunt; & quamvis Græci Epirum, & Serviam possiderent, & Dalmatiam pluries occupaverint, exindeque Adriatici dominium recuperare nisi sint: tamen cum reliqua Italiæ loca amisissent, & a Northmannis ipsa possidentibus molestarentur, Venetorum auxiliorum indigi, possessionem quoque maris eisdem permittere coacti fuerunt, quoad Emanuel Imperator Croatia cum Dalmatiæ parte occupata, Anconam quoque in suam potestatem redigere tentavit, ut deinde Venetos compescere, marisque dominium recuperare posset, sed cum Veneti Iadram cum Insulis Dalmaticis occidentalibus retinerent, Anconæ occupationem impedientes, conatus ejus eluserunt, & quamvis deinde mortuo Emanuele, Iadram, cæteraque continentis loca Dalmatiæ Ungari occupaverint, tamen cum viribus maritimis carerent Ungari, & Græcorum Classes amplius in Adriaticum non venerint, etiamsi navigationem incommodam experti sint Veneti, tamen dominium Insularum retinuerunt, & quod per se frustra tentaverant, oblata occasione, Francorum auxilio, Iadram recuperarunt, exinde, sicuti latius, & diuturnius, quam Atrienses dominium consecuti, ita latiores quoque maris terminos Veneto nomine complexi sunt, ut ex sequentibus patebit.

LIBER QVARTVS.

QVomodo Veneti ſingulas Civitates continentis conſecuti ſint, uſque quo eisdem cum inſulis, & Iitulis Dalmatiæ & Croatiæ Vngaris ceſſere.

CAPUT I.

De Iadrenſi deſolatione.

VEneti Iadra fruſtra tentata, Inſulas retinebant, & cum Andronicus Imperator damnorum refectione pollicita, captivos ab Emanuele detentos reddidiſſet, reſtituto cum Imperio commercio damna præterita reſarciebant. Syriaca expeditione contingente cum Ungaris inducias fecerunt: Exinde cum incommoda, quæ a Iadrenſibus, cæterisque Ungarici juris locis in Adriatico experiebantur, ceſſaſſent, in terram ſanctam progreſſi, Ptolemaide capta, partem ejusdem conſecuti, per quadriennium quietas navigationes experti, opes, viresque reintegrarunt; Sed cum denuo bellum cum Ungaris renovatum fuiſſet (& eodem tempore 1169. Piſana Claſſis intra ſinum invecta Polam a Venetis avertiſſet, ut Dandulus 1201. ſcribit,) ideo Piſanos ab Ungaris accerſitos poſteriora de Cajetanis, & Ianuenſibus exempla ſuis locis referenda *Infra cap. ſeq.* ſuadent conjectari; Veneti tamen claſſe pollentes, & Piſanos expulerunt, & Polam recuperarunt: Iadram vero, & per ſe validam, & florentis Ungarici Regni protectione fulcitam, propriis viribus diffiſi, tentare auſi non ſunt, ſed præſidiis per inſulas diſpoſitis, navigationem tutabantur: At cum Innocentio III. ſummo Pontifice urgente magnus Occidentalium motus in Terram 1201. ſanctam progrediendi factus eſſet; Venetique ab eisdem requiſiti numeroſam Claſſem præparaſſent, cum cruce ſignati ſupervenientes, pecuniam pactam promptam non haberent: hac occaſione Venetos uſos Francisque adjutoribus Iadram expugnaſſe anno 1202. tam Veneti, quam neliqui ſcriptores conveniunt, ſed nemo ipſorum diſſenſionem, quæ in Ungarico Regno tunc vigebat, tradit, quæ referenda eſt, ut occaſiones quæ in Iadrenſi deſolatione concurrerunt, notæ fiant.

Bela namque Rex reintegrato Croatiæ dominio Iadrenſiumque protectione ſuſcepta, cum claſſem non haberet, Venetis Inſulas permittere coactus fuit, & cum Orientale Imperium ob Tyrannidem Andronici, & Iſacii inertiam labeſceret, ditionem in Serviam dilatando, Ramæ titulum reaſſumpſit, mox ad Septentrionem converſus, Galitia, ſive Halitia, per Andream filium obtenta, titulo quoque ejus uti cœpit, & moriens, Henrico filio Regnum Ungaricum florens reliquit: Andreæ vero crucem ſumere, & pro ſe votum Ieroſolimitanum ſolvere injunxit, qui Dalmatiæ, *Innoc. Epiſt.* & Croatiæ Ducatui præpoſitus, bellum cum Venetis gerens, Pagum Inſulam populatus Caſtrum Keſſæ deſtruxit, deinde Chulmiam, & Raſciam in Servia acquiſivit; tandem arma in fratrem convertit, ut Archidiaconus Spalat. refert cap. 24.

Eo tempore mortuo R. Bela Henricus filius ejus in ſolio R. ſucceſſit: quamobrem Bernardus Archiepiſcopas frequentius in Ung. profectus multum honorifice tractabatur a Rege, multaque donaria conſequebatur ab eo. Quaſi patrem enim Rex eum venerabatur, & quidquid ab eo Archiepiſcopus popoſcerat, abſque aliqua difficultate impetrabat; ad ipſius ergo petitionem donavit Rex Eccleſiæ S. Domnii ſextariolos Molendinorum Salonitani fluminis, qui ſeptimanaliter pertinebant ad Banum. Cum autem Rex Henricus haberet filium parvulum, cuperetque eum Regni ſucceſſorem habere, voluit eum ſe vivente in Regem inungi, invitatus autem Bern. a Rege, in Ung. eſt profectus, ibique cum aliis Prælatis Eccleſiarum Regni Ungariæ, qui ad ſolemnitatem jucunditatis Regiæ confluxerant, Regis filium coronavit; multisque a Rege honoratus muneribus ad Eccleſiam ſuam reverſus eſt; eo tempore facta eſt diſſenſio inter Henricum Regem, & Andream Ducem fratrem ejus, fugatusque eſt bis Andreas ad maritimas regiones, cui Bernardus Archiepiſc. ſatis bene, & honeſte obſecutus eſt. Poſt hæc eo in Ung. ingreſſo major cœpit inter fratres diſcordiarum tumultus inſurgere. Omnes enim Regni proceres, & univerſa pene totius Ungarici exercitus multitudo, R. deſeruerant, & Andreæ D. non legitime adhærebant, cum Rege vero pauci admodum remanſerunt, & ipſi tantæ ſeditionis metu perterriti, non Regem ad ſperandum hortari audebant, ſed fugam potius ſuadebant; factum eſt autem, ut die quadam ambæ partes ſibi cominus propinquantes, ad conflictum ineundum ſe ſollicite præpararent. Sed cum pars Regis fere nulla eſſet, comparatione alterius, cœpit plurimum anxiari; huc, illucque mentem exagitans, quærebat, quale conſilium in tanto diſcrimine reperiret, & tandem

dem cœlitus inſpiratus multum ſolerti induſtria utilem viam invenit, qua, & Regni jura reſumeret, & ab effuſione ſanguinis innoxius permaneret: tunc ait ad ſuos; nolite me ſequi ſed pauliſper ſubſiſtite, moxque depoſitis armis, accepit dumtaxat virgam manu, & ingreſſus leniter, in agmina hoſtium ibat, per mediam armatorum multitudinem, intenſa voce clamando, nunc videbo quis erit auſus manum extendere ad cruorem Regalis proſapiæ; quem videntes omnes cadebant, nihilque moliri audentes, largam ei viam hinc inde faciebant. Cum autem perveniſſet ad fratrem cepit eum, & ducens extra acies miſit eum in cuſtodiam ad quoddam Caſtrum, & tunc omnes arma cum pudore, ac pavore deponentes, ad R. genua provoluti, veniam precabantur; Rex autem, ut erat clementiſſimus, univerſos ad gratiam ſuſcepit; Poſt hæc autem non toto transacto anni ſpatio, Rex Henricus inſanabile genus languoris incurrit. Cum ergo ſciret diem ſibi inſtare extremum, miſit cum omni celeritate, & fratrem ſuum fecit educi de cuſtodia, & ad ſe adduci, qui cum præſens adeſſet, Rex coram eo teſtamentum condidit, committens ei tutelam filii ſui, cum adminiſtratione totius Regni, donec pupillus ad legitimam perveniſſet ætatem, & ſic Henricus Rex mortis debitum ſolvit; modicoque poſt hæc tranſcurſo dierum ſpatio etiam ille unicus ejus parvulus morte extinctus eſt, tunc Andreas videns in ſe ſolum totius Regni fore jura transducta, fecit ſe coronari a Prælatis Ungariæ univerſis: miſit autem, & vocavit Bernar. Archiep. Spal. ut ad ſolemnitatem Regiæ unctionis accederet, ſed Ber. exiſtimans puerum Hen. Regis filium adhuc vivere, ad convocationem Regiam ire neglexit, propter quod Rex non ſatis digne tulit Archiepiſcopi neglectum.

Harum inter fratres diſſenſionum manuſcripti Annales, & Th. nullam mentionem faciunt, Bonfinius autem ex Blondo ſemel diſſentiſſe narrat, & Andream inter armatos ab inermi Rege captum, cum Archidiacono concordat: Sed Blondum hæc prout, & plura alia ex Annalibus Danduli mutuaſſe dignoſcitur; Dandulum vero fere eisdem verbis ab Archidiacono tranſcripſiſſe, qui more ſuo tempora diſcordiarum referre omiſit, quæ inquirenda ſunt; diſſenſiſſe enim a fratre Andream vivente adhuc Celeſtino III. ſummo Pontifice, dignoſcitur ex epiſtolis Innocentii ſucceſſoris ejus, excommunicationis interminationem a prædeceſſore factam, iis, qui Andreæ contra Hen. Regem adhærerent, memorantis, ſed cum Archidiaconus proximus illis temporibus ſcriptor, Andream tertia vice diſſentientem captum, & poſt *non toto transacto anni ſpatio* Regem in morbum incidiſſe, ex quo etiam mortuus eſt referat, & quamvis manus Th. & Bon. anno 1200. mortem Emerici ſecutam concordent, tamen anno 1203. adhuc vixiſſe, ex epiſtolis ejusdem Pontificis infra memorandis clare perſpicitur; ideo ſi ſupputetur captivitas Andreæ, fere annua Iadrenſem caſum Henrico Rege morbo implicito eveniſſe dicendum eſt; quibus prænarratis, cum interim cruce ſignatorum relata multitudo militum ſicut ex diverſis, longinquisque regionibus procedebant, ita ad præſtitutum tempus Venetias non convenerant, & quod magis intererat, pecuniam promiſſam non habebant, ſine qua, Claſſem deducere, commeatusque præbere Veneti nolebant, ob id tempus in Syriam navigandi in contentionibus abſumeretur: inde nova conſilia orta ſunt: nam Veneti proſpicientes, ſi in retinendæ Claſſis propoſito perſiſterent, milites dilapſuros, apparatumque exinde navium in irritum abiturum, & commeatum ex pacto præparatum, maximo Civium damno corruptum iri, propterea ex ſolerti Ducis conſilio Iadram (cuius recuperandæ ſtudio vehementi tenebantur) oppugnandam Francis propoſuerunt, ſperantes quod olim ſæpe fruſtra tentaverant, tunc ob diſcordiam, quæ inter Regem Ung. & Andream ejus fratrem intercedebat, Ungaricis auxiliis deſtitutam, facile ſe expugnaturos, ſi tam validum apparatum in ejusdem obſidium verterent, & quamvis initio cruce ſignati, ea ab re vehementer abhorrerent; tamen cum in ſuſceptæ peregrinationis propoſito perſeverarent, & ob inopiam commeatuum Venetis obnoxii eſſent, conditionem (exceptis paucis) receperunt: Iadrenſiumque ſpolia, quæ contigiſſent in diſſolutione æris alieni, cum Venetis pridem conſtituti, cedere pacti ſunt; Sic tandem æſtate jam elabente die ſcilicet 8. Octobris anni 1202. e portu ſolventes, primo incuſſo Tergeſtinis terrore ad tributum Venetis pendendum coegerunt, inde in Dalmatiam delati, Iadrenſis urbis obſidionem aggreſſi ſunt; Sed ſicuti apparatus qui Venetiis fiebat, Iadrenſes non latebat; ita ſibi timentes ſummi Pontificis protectionem procurarant, ut ex Epiſtolis ejusdem elicitur, ſed ob anguſtias in quibus reperiebanter Franci, vel illa hyeme claſſem non diſceſſuram opinaſſe, vel recto tramite Syriam verſus longe ab ipſorum mœnibus progreſſuram credidiſſe, ideo hac incertitudine deceptos, neque ſubſidia procuraſſe, neque ſe ad defenſionem præparaſſe cenſendum eſt: at cum præter expectationem circumfuſam mœnibus claſſem, & Francos diſſenſione in terram facta, ſubſidia intercepiſſe cernerent, quanto terrore perculſi fuerint Iadrenſes, quiſque conjicere poteſt; Iadrenſem oppugnationem Dandulus deſcribit.

lib. 1. c. 7.

lib. 5. & 6.

Dux illico ſecedens, cum ſtolo Iadram pervenit, quæ favore Regis Vngariæ in rebellione hucusque permanſerat, & obtemperantibus Francis incolas monuit, ut ſolita ad eum ſubiectione redirent. Quibus renuentibus, jubet Dux arma capere, & contra Civitatem inſultum facere, illi integra die renovatis inſtabant viri-

bus, Iadrenſes itaque pondus prælii non ferentes, mane ſequenti ſe voluntati Ducis ſine aliqua conditione ſubmiſerunt, Dux autem conſenſu totius populi Veneti tunc præſentis, maritimos muros circumquaque dirui fecit, & ibidem hyemare diſpoſuit. Cives itaque Ducis gratiam non mereri formidantes, & de Regio favore confiſi ex Urbe exiverunt. Sed fuſius Paulus Ramnaſius de bello Conſtantinopolitano lib. primo ex commentariis Gothefredi Villharduini qui eidem bello interfuit, ex antiquis monumentis, Claſſem enim Iadram appulſam, die decimo Novembris 1202. deſcenſionemque in terram Francos feciſſe refert, ſequenti vero die Venetos fracta Catena portum occupaſſe, Iadrenſesque Ungarorum, & Croatarum auxiliis deſtitutos, deditionem Duci Veneto facere voluiſſe, Duce autem Legatos Iadrenſium ad Francos remittente, eorum aliquos Iadrenſes confortatos ſe contra Chriſtianos non pugnaturos aſſeruiſſe, ideo Iadrenſes animo reaſſumpto (cum toties Venetorum vires experti fuiſſent) defenſionem paraſſe: at ſanioribus Francorum oppugnationi aſſentientibus, Francos a terra, Venetos vero a mari, ex Aquilonari parte machinis utrinque prolatis, acerrime oppugnaſſe, & fundamentis unius ex turribus a Venetis ſubrutis Iadertinos animos deſpondiſſe, deditionemque ſalva tantum civium vita feciſſe, *Iadraque Galli auxilio capta ſolius Veneti præda ex pacto fuit*, ibique hybernatum, ubi inter Francos & Venetos aliquoties tumultuatum, & multos ex Francis ad Ungaros deſciviſſe, inter quos principalem Simeonem Montefortenſem memorat, Venetosque tandem turres, & muros Iadræ complanaſſe, ut infirmiores redderent Iadrenſes, indeque diſceſſiſſe ſeptima Aprilis 1203. Archidiaconus vero cap. 25.

De prima captione Iadræ.

Eo itaque tempore præceſſit edictum a Domino Innocentio Summo Pontifice, ut omnes Chriſtiani ad ſuccurſum terræ ſanctæ ſe potenter accingerent, fecitque indulgentiam omnium peccatorum, quoscumque ibi proſpe vitæ æternæ mori contingeret. Tunc totus pene Orbis commotus eſt, & maxime ab Occiduis regionibus multitudo magna crucis ſuſcepto caractere, Venetias advenerunt, petentes dari ſibi paſſagium ex Claſſe conductitia Venetorum, tunc inita pactione de quantitate pecuniæ, pro nautis ac navibus perſolvenda, Veneti eis expediverunt quinquaginta galeas, & totidem magnas naves, ac totidem alias ad ſubvectionem equorum, & victualium, & armorum, præter hæc autem fuerunt, & aliarum navium expeditiones privatim conductarum, factusque eſt ſtolus navalis Exercitus copioſus: hoc etiam Veneti conditionaliter Francigenis ſtuduerunt apponere; & ubicumque ipſi vellent, cum toto exercitu applicare tenerentur, ex pacto contra omnes homines Venetos adjuvare. Erant autem eo tempore Iadrenſes Venetis multum infeſti: quacumque enim ex parte poterant, Venetos invadebant, bona eorum diripientes, injuriantes, trucidantes, & quidquid mali exercere valebant, in ipſos totis viribus conabantur: quippe divitiis affluentes, multa laſciviæ inſolentia raptabant, erant enim ſuperbia tumidi, potentia elati, de injuriis gloriantes, de malitiis exultantes, deridebant inferiores, contemnebant ſuperiores, nullos ſibi fore pares credebant, & cum pluribus eſſent vitiis depravati, hoc enim ad nequitiæ ſuæ cumulum addiderunt, ut Catholicæ fidei normam ſpernerent, & hæretica ſe permitterent tabe reſpergi, nam pene omnes, qui nobiliores, & majores Iadræ cenſebantur, libenter recipiebant hæreticos, & fovebant. Itaque univerſa claſſium multitudo ſuſtulere ſe a Venetiis A. D. MCCIII. men. Octobri, & venientes circa oras Hiſtoriæ 1202. *intraverunt in Dalmatiam, applicaveruntque prope Iadrenſium Civitatem: Erant autem inſigniores Duces ipſius exercitus ex parte Francorum. Quidam Simon Comes de Monteforti, ex parte vero Venetorum, Dux Henricus Dandulus, vir valde ſtrenuus, & circumſpectus: Qui licet corporalibus oculis cæcutiret, mente tamen ſatis noverat perſpicaciter intueri, igitur ubi ſe Iadren. vident ab exercitu circumvallari, timuerunt valde, quid conſultius agerent neſcientes, e veſtigio autem ſubſequuta eſt clades nimiæ mortalitatis, ita ut non tot vivi & ſani in civitate reſtarent, qui ſufficerent mortuos ſepelire, jacebant miſerorum cadavera in domibus, & in Eccleſiis inhumata, neſciebant miſerandi Cives quid potius funera, an publica officia procurarent, ſicque factum eſt, ut infelix Civitas ſuorum præſidiis indefenſa in brevi, & de facili ab hoſtibus caperetur; Die autem Sancti Chriſogoni, qui apud illos celeberrimus habebatur, Divina ultio patuit ſuper illos, nam Veneti de ratibus egreſſi catervatim in Civitatem irruerunt, quam in momento captam, & aliquando hoſpitatam, in receſſu totam in ſolitudinem redegere; diruerunt enim omnes muros ejus, & turres per circuitum, & univerſas domos intrinſecus, nil, niſi ſolas Eccleſias relinquentes: Inde autem recedens omnis illa claſſium multitudo perrexit Conſtantinopolim, & cepit eam.*

Venetos cum Francis apud Iadram hybernaſſe, & uſque ad diem 7. Aprilis ſequentis anni 1203. ibidem commoratos, concordi cum cæteris ſententia Ramnuſius eſt; in diſceſſu autem quid de Iadra actum ſit, Scriptores variant, Veneti enim muris tantum nudatam, reliqui vero univerſam Civitatem ſolotenus proſtratam referunt: ſed ſicut in deſtructione murorum conveniunt, ita domos intrinſecus tantum deſtructas muris earundem ſuperſtitibus cum Archidiacono (qui oculatus teſtis reſtaurationis earundem fuit) dicendum eſt; Eccleſias etiam intactas relictas ipſarum antiqua ſtructura adhuc incolumis declarat, Civitatem autem deſolatam præter relatos auctores illorum temporum monumenta teſtantur.

1207. *Inſtantibus diebus dolorum, in quibus Civitas Iadra ſolotenus proſtrata eſt.*

1208. *Poſt deſolationem Civitatis Iadræ cum non eſſet aliquis qui de voluntate Ducis Venet.*

in

in ea quiret habitare . . . cumque Deus omnipotens ſua gratuita pietate Iadrenſibus facultatem redeundi ad loca propria tribueret.

Validos muros Iadram habuiſſe, Chroniſtæ Veneti referunt, quorum veſtigia ſicuti ex terra aggeſta intrinſecus nullibi apparent, ita extrinſecus partim intra propugnacula ſepulta jacent, partim ab addita muris craſſitie pro aggeribus ſuſtinendis cooperiuntur, uno tantum in loco ex parte meridionali prope portam quæ in littore maris exit adhuc cernitur antiqui muri paries, ad perpendiculum exiſtens, inæqualis tamen altitudinis, ex ulnaribus lapidibus quadratis ad normam optime coagmentatis, in quo oblongæ feneſtrellæ æquali inter ſe ſpatio diſpoſitæ ad baliſtas emittendas, & duæ portæ parum inter ſe diſſitæ: diſparis tamen magnitudinis, arcuatæ figuræ, utræque ſimul cum duarum turrium veſtigiis ejusdem ſtructuræ; quarum altera hominis altitudinem parum excedit; altera vero vix lapides aliquos ſupra ſolum antiquæ ſtructuræ retinet, quæ veſtigia ſicuti ſimilia ſunt muris Civitatis Spalati, quos Dioclетianus Imperator conſtruxit, ita Romanam magnificentiam præ ſe ferunt, quorum craſſities quamvis exaggeratione terræ explorari nequeat, & altitudo turrium quanta fuerit non conſtat, ex earundem tamen ambitu minorem fuiſſe quam turrium Spalati (quæ adhuc integræ extant) cenſeri debet, validos tamen, & optime compaginatos ex eisdem veſtigiis muros Iadræ fuiſſe apparet, eorundemque evulſionem claſſiarios nimis faſtigaſſe par eſt credere. Iadrenſem oppugnationem a Cardinali Legato inhiberi tentatam, ejusdemque deſolationem a ſummo Pontifice minime probatam, ac etiam Eccleſiaſticis cenſuris devotam geſtorum ejus ſcriptor Anonymus tradit, & Odoricus Rainaldus ex epiſtolarum ejusdem regeſto confirmat; omnesque illorum temporum Scriptores Venetos incuſant, Iadrenſiumque miſerentur. Verum rem diligentius reputantibus, eo deductas per ea tempora Venetorum rationes fuiſſe conſtabit, ut Iadram aut in ſua poteſtate retinere, aut funditus delere cogerentur; cum enim ibidem in hybernis moram cum Francis traherent, & ex Iadrenſium ſpoliis Venetis nondum ſatisfactum fuiſſet, quoque reliquum erat Franci unde ſolverent non haberent, novisque debitis in dies gravarentur, militesque per Ungaricum Regnum dilaberentur, ut Ramnuſius refert, ob quas anguſtias claſſem ulterius non progreſſuram multi opinati ſunt: ſed opportune ſupervenientibus oblationibus Alexii Pueri, multaque pollicentis, ſi ſe patremque in Imper. Conſtant. reſtituerent: exinde Veneti ſperantes refectionem damnorum ab Emanuele olim promiſſam: ſed nondum ſolutam, Francorum auxilio ſe conſecuturos, ſimulque inopiæ militum ſuppletum iri, quibus in ſuam ſententiam tractis, Conſtantinopolitanam expeditionem alacri animo ſuſceperunt, tantamque pecuniæ copiam pacti ſunt, quanta ſibi a Græcis, & Francis ſimul debebatur, & victualia, quæ ad Hieroſolymitanum iter perficiendum utriſque ſatis eſſent, & ſicuti ſi claſſis ulterius progreſſura non fuiſſet, Venetos Coloniam Iadræ tunc reliquiſſe, pro ut in ſimili caſu poſterius effecerunt credibile eſt, ita cum Claſſis receſſura eſſet, eo factum eſt, ut cum præſidium Iadræ imponere (quod validum eſſe oportebat) Claſſemque ex eo debilitare nollent, eandem *conſilio totius populi Veneti tunc præſentis* ut ait Dandulus, deſolatam relinquere decreverint. Sic Veneti de Iadrenſibus vindicta ſumpta, deſolataque Civitate, deinceps quietum Adriaticum ſe habituros ſperarunt: in qua Iadrenſi deſolatione illa rerum humanarum viciſſitudo, quæ ſæpe auctoribus damna proximis illata rependit, apparet: Nam cum Iadrenſes (ex Veneta protectione a Croatarum, & Narentanorum moleſtiis liberati) infeſtarentur a vicinis Belgradenſibus, eorundem everſionem procuraſſent, inde divites effecti Eccleſiam ſuam Metropoli Spalatinæ ſubeſſe dedignarentur, eorumdem quoque Venetorum ope Archiepiſcopatum conſecuti ſunt, ſed cum eadem de cauſa Patriarchæ Graden. Primatum moleſte ferrent, ſed cum Inſulas recuperare nequirent, Venetos per tot annos moleſtare non deſierunt, hinc Veneti excandeſcentes, quod Iadra (quæ ipſorum ope ad felicem ſtatum pervenerat) tam moleſta eſſet, ideo occaſione oblata, eadem mala pati coegerunt Iadrenſes, quæ ipſorum cauſa Belgradenſibus intulerant; ex quibus ſicuti dignoſcitur moleſtias quas Iadrenſes per tot annos Venetis intulerant, in cauſa fuiſſe, ut eadem deſolaretur, ita occaſionem vindictam ſumendi præbuiſſe Francorum militum inopiam ſimul cum Ungarica diſſenſione, prætextum autem dediſſe Piraticam Iadrenſium, ut Guntherus illorum temporum ſcriptor refert, *ajebant enim (id eſt Veneti) illam (id eſt Iadram) ſemper ſuis utilitatibus fuiſſe contrariam, adeo, ut ſæpe Cives ejusdem urbis Naves illorum mercibus onuſtas piraticis invaſionibus ſpoliarent*, quod etiam Archidiaconus loco relato confirmat, qui maxima damna Venetis illata a Iadrenſibus memorat, & ex dulcedine prædæ fautores habuiſſe participes refert, ſed cum piratæ eorumque fautores pro excommunicatis haberentur, & in excommunicatione perſiſtentes, a fidelibus prout Hæretici vitarentur, hoc eſt, quod Archidiaconus de Iadrenſibus ait, *Catholicæ fidei normam ſpernerent, & hæretica ſe permitterent tabe reſpergi; nam pene omnes*

Infra c. 6

Hiſt. Conſtan.

qui nobiliores, & majores Iadræ censebantur, libenter recipiebant Hæreticos, & fovebant, inferiusque ex eodem clarius patebit de piratis, & eorum fautoribus id intelligi debere; Idem ex epistola Ducis summo Pontifici scripta factum excusantis elicitur quam Reinaldus refert, *Ven. in Christo patri & D. Inno. Dei gratia S. R. E. summo Pontifici, Henricus Dandulus* Venet. *Dalmatiæ atque Croatiæ Dux vester humilis, & devotus cum omni devotione servitium, notum facio Sanctitati Vestræ quod cum Crucem assumpserim pro servitio Iesu Christi, & S. R. E. transmeandi gratia de Venetiis iter arripuimus, necessitate temporis hyemalis ingruente, oportuit me cum stolio meo, & peregrinorum apud Iadram hyemare, quæ cum rebellis mihi, & Venetiis longo tempore injuste per proditionem contra iuramenta præstita de Civitate, & civibus secundum quod moris est, invicem se inimicantium, juste, ut existimavi, sumpsi ultionem; verum quia, ut dicebatur in vestra erat protectione, quod ideo non credebam, quia non existimo vos, nec antecessores vestros illos sub protectione recipere, qui Crucem accipiunt sanctam, ut eam portent, non etiam iter perficiant, propter quod peregrini solent Crucem accipere;* Esset. *Sed & aliena inveniant, & injuste detineant, Paternitati V. contra me, & Venetos sententiam excommunicationis placuit promulgare, quam patienter, & humiliter sustinuimus, usque quo per D. Petrum Tit. S. Marcelli presbyter Card. & S. R. E. L. præstita condigna satisfactione, meruimus absolutionem, secundum ordinationem vestrorum nunciorum, & scriptorum paginam, Vestræ poterit Sanctitati innotescere.* Illa enim verba *aliena inveniant, & injuste detineant* piraticam Iadrensium significare noscuntur, propter quam prout contra inimicos vindictam se juste sumpsisse Dux refert, sed ad vitandam facti invidiam, Pontificisque iram leniendam intrinsecam domorum destructionem casu secutam simulasse conjectari potest; quam facili vero hyberno tempore solaria tectaque domorum a militibus destruantur, etiam invitis Præfectis, exempla hodierna in parvo præsidiariorum numero docent, quid autem numerosa Classis, & tot legiones integra hyeme permittentibus, ne dum jubentibus Ducibus efficere potuerint; quilibet percipere potest: murosque & turres Civitatis destruxerunt, ne restaurata nova incommoda inferret, & ut Cives per terrestria loca jam dispersi, sublata restaurandæ patriæ spe, a mari prorsus alienarentur, prout de Belgradensibus evenerat: Hoc modo, Adriatico, ut rebantur pacato relicto, Veneti Constantinopolitanam expeditionem integris viribus aggressi sunt, in qua eædem fere causæ, occasionesque cum Iadrensi confluxerunt, nam cum milites inopia premerentur; facile Veneti eosdem in sententiam suam traxerunt, speque consequendæ pecuniæ, sibi a Græcis & Francis debitæ, naves & commeatus Francis præbuerunt, prætextus autem fuit Ecclesiam Græcam Romanæ restituere, impedimentaque ab eisdem peregrinis illata removere, sic ex Cruce signatorum inopia, Iadrensis desolatio, & Constantinopolitana expeditio ortum habuere, quam cum summus Pontifex improbaret, Cruce signatosque maximopere urgeret, ut recto itinere ad Alexandriam oppugnandam progrederentur, & ut prætextum inopiæ removeret, eisdem concessisset, quocumque transibant *victualia accipere possent sub satisfactionis (tamen) Proposito,* Legatusque vero omissa etiam satisfactionis mentione indulsisset. *Permittebat enim eis, ut de maritimis locis Romaniæ, quam aluit, id mare cibos inemptos, id est absque pretio moderate tollerent, qui eis ad annum dimidium possent sufficere,* ut Guntherus refert. Franci tamen certiori spe pecuniæ ab Alexio promissæ illecti, Alexandrina omissa, Constantinopolitanam prosequuti sunt; Sic Venetis opportunitatem inopiæ peregrinorum in rem suam vertentibus, civibusque opes proprias publico beneficio exponentibus, res eorum mirum in modum auctæ sunt.

Rain. an. 1203. n. 8.

CAPUT II.

De Iadrensi restauratione.

DEsolata Iadra classem inde solvisse die 7. April. 1203. iterque Constantinopolim versus direxisse, Ramnusius refert: Archidiaconus autem cap. 25. supra relato sequitur.

Tunc Iadrenses Patria exules, cœperunt per mare discurrere, magnas Venetorum cædes ubicunque eos invadere poterant facientes. At Veneti missis galeis & navibus ædificarunt quoddam præsidium in Insula ante Iadram. Ubi plurima consîdens acies, armatorum prohibebant Iadrenses Civitatem ingredi, eos per mare undique insequentes. His diebus advenerunt decem galeæ Cajetanorum ad Dalmatiæ partes. Tunc Bernardus Archiepiscopus Spalat. accedens ad eos loquutus est cum eis, ut darent auxilium Iadrensibus contra Venetos, qui præsidium insidebant; cum ergo Cajetani Archiepiscopo acquiescerent, facta pactione de stipendio percipiendo, abiit Archiepiscopus Uranam, & accepit quandam argenti quantitatem, quam Rex apud templarios deposuerat, & soluto stipendio coadunaverunt se Iadrenses cum Cajetanis, & abeuntes cœperunt pugnare fortiter cum Venetis, qui erant in Castro, & tandem Veneti impares viribus, defecti jam, & languentibus dextris resistere nequirent; tunc Iadrenses cum Cajetanis potita victoria quotquot Venetos in Castro illo invenerunt, omnes gladio peremerunt, destructo totius munitionis illius ædificio, Iadram intraverunt, & tunc ruinas domorum suarum, ut poterant instaurantes, habitaverunt in eis: mise-

miserunt autem Venetias, & fecerunt pacem cum ipsis, jurantes eis subjectionem perpetuam, & fidelitatis constantiam observare. Eodem tempore volentes Veneti de Bernardo Archiepiscopo sumere ultionem, venerunt cum galeis, & destruxerunt turrem cum palatio, quam idem Archiepiscopus construxerat in Insula Hurania quæ est ante Salonam. Dandulus vero *Veris, adveniente tempore Veneti se mari, & ventis committunt, Iadrenses illico Patria exules Venetos navigantes non modicum infestabant. At Ducis natus missis galeis, & navibus ædificarunt quoddam Castellum in Insula Malconsejo ante Iadram; ubi plurima confidens acies armatorum, prohibebant Iadrenses Urbem ingredi, eos per mare undique insequentes; Iadrenses tunc cum stipendio Regis acceptis decem galeis Cajetanorum, præsidium Venetorum impugnant, & obtinent, & in Urbem jam desolatam redeunt, & timentes Stolum, quem Veneti denuo præparaverant, per suos nuncios gratiam implorant, & offerunt perpetuam fidelitatem, obsides, & cantationem laudum exhibere, Comitemque de Venetis eligere, & Archiepiscopum, qui reverentiam & obedientiam Primati debitam exhibebat Patriarchæ Gradensi, & erga hostes Venetorum insurgere, & annuatim* 3000. *pellium cuniculorum tribuere. Qua oblatione benigne accepta, ad gratiam restituti sunt.*

Hæc Dandulum sicuti ab Archidiacono exscripsisse constat, ita reliquos vulgatos ab ipso, sed nemo tempora distinguit; eodem tamen anno 1203. Classem emissam, Castrumque constructum Chroniste Veneti referunt, quod non solum de constructione Castri verum esse debet, sed eodem quoque anno ipsum Castrum a Iadertinis expugnatum fuisse dicendum est cum Archidiacono; cum in principio sequentis anni Iadram habitari cœptam scripturæ doceant. *Capitulum Iadren. Domaldus Comes, & Universitas ipsius Civitatis Reverendissimo Patri Dominico Sanctorum Cosmæ & Damiani, de monte Abbati ejusque Catholicis successoribus Monasticam vitam professis in perpetuum. Quoniam nostræ desolationis, & exilii tempore, vos, & Monasterium vestrum agnovimus nobis* profligantibus *fore Asilum pariter, & auxilium idcirco ad memoriam beneficia vestra nobis benigne exhibita reducentes, vobis, & per vos vestro Monasterio Ecclesiam Sancti Dimitri Martyris in nostra Civitate sitam tradimus, atque concedimus; ita duntaxat ut liceat vobis, & prædicto Monasterio memoratam Ecclesiam cum adjacenti Curia sua libere obtinere, & rationabili jure perpetuis temporibus possidere; obsecramus igitur, & contestamur omnes Dei fideles per Deum Patrem Omnipotentem, & Iesum Christum Filium ejus, nec non & Spiritum Sanctum ab utroque procedentem, ut hæc omnia inviolata custodiant, quatenus in Sanctorum consortio æternæ retributionis bravium habere mereantur. Ego Marinus Plebanus Sancti Stephani huic donationi interfui, & subscribo. Ego Ioannes Plebanus Sancti Michaelis subscribo. Ego Stephanus Plebanus Sancti Petri subscribo; Ego Presbyter Michael subscribo, Ego Presbyter Chrisogonus subscribo.*

Scriptum Iadræ a Camatio Diacono Sanctæ Anastasiæ, & communis Not. Anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. mense Februarii, Indictione 6. feliciter, qui annus ex Indictione prout vulgo sumitur, dignoscitur fuisse a Nativitate 1204. Iadrenses autem cum Venetis convenisse ex reassumptione Ducis, & Comitis Veneti constat.

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo quarto, *mense Iulii vigesima tertia die, astante Indictione septima. Iadræ, temporibus equidem Domini Nostri Henrici Danduli incliti Ducis Venetiarum Dalmatiæ atque Croatiæ, Ecclesia Iadertina proprio carente Pastore, ac Vitalis Danduli prudentis Comitis Iadræ, Ego namque &c.* quinto

Indictio itidem septima hanc quoque scripturam anno sequenti scilicet 1205. confectam declarat, sed sicuti tempus conventionis Iadrensium cum Venetis certiorari nequit, ita mors quoque Emerici, ejusque filii Ladislavi, & perinde Andreæ successio incerta remanet, cum ex Epistolis Innocentii dignoscatur, Ungaricos Scriptores mortem eorundem anticipasse; nam Innocentius Nonis Novembris An. 6. reconciliationem Andreæ cum Rege fratre opera G. Car. L. secutam confirmat, quod in annum 1203. cadit; idcirco tunc temporis Henricum adhuc vixisse dicendum est, & cum in registro ejusdem Innocentii lib. 7. reperiatur Epistola Andreæ, in qua Innocentium certiorem reddit de morte fratris, & tutela pupilli sibi relicta, quæ anno 1204. scripta esse debuit, ad quem Innocentius pupillum commendans rescribit sub data 7. Kal. Maii libro 8. 1208. ex quo dicendum esset Ladislavum puerum tunc vixisse, sed anno præcedenti Andream regnare cœpisse, ex annis Regni in quibusdam privilegiis ejusdem expressis apparet, ideo vitam Ladislavi, non sex mensium, ut Ungarici Scriptores, sed paucorum dierum fuisse, cum Archidiacono dicendum est, & anno 1204. mortem ejusdem, & Emerici patris secutam; sed sicuti pueri mortem ab Archiepiscopo Spalaten. aliquo temporis spacio creditam non fuisse Archidiaconus refert; Ita quoque Innocentium in hac incertitudine pueri tutelam commendasse, quamvis jam tunc mortuus fuerit conjici potest, Andream ergo sicuti anno 1204. regnare cœpisse concludendum est, ita, quo mense, certiorari nequit.

Rain. an. 1203. *n.* 19. *ep.* *lib.* 6. *ep.* 156.

an. 1205. *n.* 52. *l.* 7. *ep.* 226.

lib. 8. *ep.* 36.

Iadrensis igitur desolatio, sicuti Emerico morbo implicito secuta est, ita Veneti Castri expugnatio, Iadræque restauratio, & cum Venetis compositio circa ipsius mortem evenere, tempore, quo Veneti capta Constantinopoli ejus Imperium cum Francis occupabant, ideo in Ægæo impliciti, restaurationem Iadren. impedire non poterant; Iadrenses etenim per Croatiam disperſi statim atque Classis Veneta desolata Iadra discessit in destructam patriam revertentes

tes (cum ibi habitare nequirent) Venetas naves acrius quam prius infestantes, vindictam sumebant: ob id Veneti aliam classem emittere, & Castrum construere coacti fuerunt, ibique valido præsidio relicto, restaurationem Civitatis impediebant, & infestationem compescebant; Iadrenses autem, Classe carentes, neque patriam restaurare neque Castrum Venetorum expugnare poterant; sed conducta pecunia Regis Cajetanorum Classe ejus ope castrum ceperunt inde patriam restaurare aggressi sunt, ut Archidiaconus refert: cujus festinatæ restaurationis signa in relatis antiquorum murorum vestigiis apparent, nam turris quæ ex parte mari obversa solo tenus prostrata fuerat restaurata dignoscitur ad altitudinem proximæ turris ex eisdem lapidibus ulnaribus, absque ordine tamen coaptatis, quadratura in ipsa destructione corrupta; quam restaurationem factam fuisse antequam cum Venetis convenissent Iadrenses censendum est, idem quoque ex Orientali, & Occidentali partibus factum esse debuit, portum autem reliquamque muri diruti partem septemtrionalem, catena restituta clausam fuisse conjici debet, & eo modo quo tempus, & operariorum numerus permisit obseptam fuisse Civitatem, at cum Cajetani recessissent, Venetique novam Classem pararent, inde verentes Iadrenses, ne superveniens Veneta Classis, iterum Civitatem (quam ex murorum imbecillitate ipsi per se defendere non volebant) aggrederetur; Vngaros autem Rege eorum morbo implicito desolatæ Civitatis restaurationem neglexisse (parvo usui futuram cum Classem non haberent) qua de causa Iadrenses cum Venetis convenire coactos fuisse censendum est; Veneti vero cum a Summo Pontifice urgerentur, ut damna illata Iadrensibus reficerent, restaurationemque Civitatis jam factam cernerent, & in Ægæo impediti validam Classem contra Iadrensium molimina mittere non possent, Insulasque retinere absque Iadra quam laboriosum esset experti fuissent, ad illas conventiones animum inclinavere, quibus Civitas obsidum pignore, in fidem rediret, & pro damnorum satisfactione excommunicationisque absolutione consequenda in supra relata Ducis Epistola memorata insulas Iadrensibus restituerunt, levi tantum pellium cuniculorum imposito tributo; sic ad supra descriptum Colomani temperamentum deventum est, & Veneti pacato Adriatico relicto, integris viribus Constantinopolitanum bellum prosequuti sunt, Iadrenses vero Veneto Comite recepto, restaurationem patriæ continuarunt, quam sicuti multo tempore protractam inferius apparebit, ita in supra relatis antiqui muri vestigiis, superstructio, quamvis, ex minoribus lapidibus tamen quadratis, & ad normam dispositis, accuratam structuram indicant, pacato tempore confectam, quæ restauratio in causa fuit, ut exinde Iadra nova nuncupari cœperit, proximi autem Belgradi rudera Iadræ veteris nomen sortita sint. Sic Iadrenses subjectionem Archiepiscopi dedignantes, Venetumque Magistratum fastidientes, dum integram libertatem ex Ungarica protectione consequi affectant, primo Insulas, navigationemque, amiserunt, ex quo inopia premi cœperunt, mox patria pulsi, ejusdem desolationem spectarunt, pro cujus restauratione, ea quæ prius spreverant, subire coacti fuerunt.

CAPUT III.

De Ducatu Dalmatiæ, & Croatiæ, rerumque, & nominum alteratione.

POstquam Iadrensis Ecclesia in Archiepiscopatum erecta Gradensi Patriarchæ subdita fuit, exindeque Patriarcha Primatis Dalmatiæ titulo uti cœpit, nominis quoq; Dalmatici alteratio inducta est, & Iadra tantummodo cum cæteris Occidentalibus Insulis Iadrens. Provinciæ pro Dalmatia sumi cœpit; Spalatensis vero Metropolis, sicuti toti Croatiæ præerat, & unicum tantum Tragurienſem suffraganeum in Dalmatia retinebat, ita obsoleſcente Dalmatico cognomine, pro Croatiæ sive Sclavoniæ Archiepiscopatu sumi cœpit, & quamvis Dalmaticæ Civitates a Croaticis distinctæ in scripturis reperiantur, tamen cum circa eadem tempora Emanuel Imperator Croatiam cum Spalato, & Tragurio consecutus fuisset, Præses ipsius, quamvis titulo Ducis Dalmatiæ & Croatiæ uteretur, tamen vulgari quoque Sclavoniæ subscribebat.

Ego Rogerius Sclavone Dei & Imperialis gratia Dalmatiæ, & Croatiæ Ducas, & prout, ante hæc tempora, Croatiam a vicinis Dalmatis, & Vngaris Sclavoniam nuncupatam infra referetur, ita apud Græcos Dalmatiæ partem ab eisdem cum Croatia, & Servia possessam, tamquam accessorium Slavicarum regionum *Sclavoni* nuncupatam ex relato Emanuelis rescripto apparet, in quo eundem Rogerium, non Dalmatiæ, & Croatiæ Ducis nominibus, sed unico Sclavoniæ appellat *Ligiæ Imperii mei Rogerii Sclavoni* Iadra deinde ad Regem Belam deficiente, diuturnum bellum inter Venetos, & Ungaros exarsit, quod quamvis post octo annos per quadriennales inducias intermissum fuerit, tamen denuo recrudescens, 12. annis continuavit: in quo mutua damna, & clades secutas Dandu-

lib. 6. cap. 4.

lib. 3. cap. 10.

lus

lus memorat, ut relatum est, exinde conjici potest, quanti impendii fuerint Venetis Insularum præsidia, & quanti constiterint classium continuæ inter easdem excubiæ, sed valde majora damna ex Insularum amissione, & maxima ex navigationis prohibitione Iadrenses passos existimandum est, quæ ad reliquos quoque Adriatici accolas, qui cum Ungaris sentiebant extensa fuisse, innui debet, & ex diuturnitate belli littora continentis, pluresque Insulas desolatas, desertas jacuisse, Dalmatasque Vngaris adhærentes ex vetito maris usu irritatos, Venetos navigantes, eorumque socios, vel amicos infestasse: Inde mutua odia exorta sunt, quæ & Venetos ab antiqua Dalmatarum societate alienarunt, & Dalmatas Insulis navigatione, & piscatu amissis, ex consequenti, mare relinquere, terrestrique industriæ incumbere coactos, in maximas angustias incidisse, exindeque mores quoque antiquos ipsorum maritimos immutari cœpisse, & prout cum proximis Croatis, sive Slavis continuo versari, terrasque in solo Croatico colere coacti fuerunt, ita indies nomen Dalmatarum cum Slavis confundebatur, ut Wilhelmus Tyrien. Archiepiscopus illorum temporum Scriptor l. 2. cap. 17. Comitis Tolosani iter describens testatur.

Hi omnes in Italiam descenderunt, transcursaque Longobardia per eam Regionem, quæ Forum julii appellatur, juxta Aquilejam transeuntes Istriam, inde tamen in Dalmatiam descenderunt. Est autem Dalmatia longe patens regio inter Ungariam, & Adriaticum mare sita, quatuor habens Metropoles Iazaram, & Salonam (quæ alio nomine dicitur Spalatum) Antibarim, & Ragusam populo ferocissimo, & rapinis, & cædibus assueto inhabitata, montibus, & sylvis, magnis quoque flumimbus, pascuis etiam longe, lateque diffusis occupata penitus, ita ut raram habeant agrorum culturam, locorum incolis in gregibus, & armentis omnem vivendi habentibus fiduciam, exceptis paucis, qui in oris maritimis habitant, qui ab aliis, & moribus, & lingua dissimiles, latinorum habent idioma, reliquis Sclavonico sermone utentibus, & habitu Barbarorum, & quamvis sub antiquo vocabulo Dalmatiæ, Croatiam & Serviam Sclavonicas regiones, cum ipsa Dalmatia includere dignoscitur Vulielmus, tamen differentia morum, linguæ, & habitus *paucorum maritimam oram habitantium* exprimendo, Dalmatas proprios designare, & a Slavis distinguere dignoscitur, sed cum in primordio hujus belli Iadrensi Comiti indistincte Dalmatici, ac Croatici littoris res bellicæ demandatæ fuissent.

1181. *Maur. Dei, & Regis gratia Comitis, & totius maritimæ Provinciæ studiosi exercitatoris cum castra metatus esset* hinc Provinciæ maritimæ nomen novum emersit, in qua Civitates littorales, tam Dalmaticæ, quam Croaticæ sine discrimine comprehendi cœperunt.

Mortuo deinde Bela, quamvis Andreas Emerici Regis frater Ducatum Dalmatiæ, & Croatiæ antiquis nominibus teneret, tamen cum Chulmiam & Rasciæ quædam loca (quæ sunt in Servia) acquisivisset, eo magis hæc Regionum Slavicarum nomina cum Dalmatia confundi cœperunt, etiamsi in Privilegiis ipse Andreas se Dalmatiæ, Croatiæ, & Chulmiæ Ducem distinctæ subscriberet.

1198. 6. *Maji post felicem, & glorioſum victorioſæ dominationis ingressum Illustrissimi Andreæ tertii Regis Belæ filii Triumphum, quem sibi omnipotens Ducatus sui protector, & auctor de Dalmatia, & Croatia magnifice conferre dignatus est, atque post habitam tam Chulmiæ quam Rasciæ laudabilem victoriam, cum ad Iadertinam Civitatem Victor rediret, Ducatus sui jura disponens*, & prout Hemericum Iadrensibus, quando Insulas amiserant, prædia in Croatico solo indulsisse reperitur, 1197.
ita Andreas quoque Ducatu Dalmatiæ, & Croatiæ fungens, multo plura Dalmatis concessit, quæ deinde Rex effectus confirmavit: exinde Dalmatæ eo magis a mari alienati, terrestri industriæ dediti fuere, ob id eorum mores cum Slavicis confusos fuisse censendum est, deincepsque omnes maritimæ Civitates Dalmatiæ antiquæ, quæ in Ungarorum potestate reperiebantur, Provinciam propriam sortitæ sunt, in qua Croatiæ, & Serviæ Civitates maritimæ simul cum Dalmaticis recentioribus comprehendebantur, propriumque Banum habuerunt, qui maritimus, vel maritimarum dictus fuit, quod cum tempore Archidiaconi evenerit, ipse eadem distinctione usus, maritimas Civitates indistincte pro Dalmatia usurpat, reliquas vero a mari remotas pro Croatia, sive Sclavonia; exteri autem Scriptores, quibus hæc distinctio nota non fuit, vel Romano antiquo more, Croatiam, & Serviam in Dalmatia includunt, vel usuali vocabulo Dalmaticas quoque Civitates Sclavoniæ adscribunt, ut ex Græcis, & Vuil. Tyrio supra relatis apparet, eodem quoque modo Andreas Dandulus cum suo tempore nomina Dalmatiæ, & Sclavoniæ confunderentur, sæpeque unum pro altero sumeretur, ut hanc confusionem vitaret, ad antiquos Romanos Dalmatiæ fines respexit, & Croatiæ partem maritimam in Dalmatia includens eandem *Montanam Dalmatiam* nominavit, Croatiæque tantum reliquit eam Regionem, quæ ultra montes sita, Croatia mediterranea dici potest, deincepsque ut plurimum hodie usque talem distinctionem servant Geographi. *lib. 3. cap. 4.*

CAPUT IV.

De Ducatu Chulmiæ, & piratica Almisanorum.

CHulmitanam Regionem Serviæ a monte Hlumo χλουμου denominatam & Zachulmitas, quasi post montem habitantes, dictos Porph. refert. cap. 33.

Zachulmi dicti sunt a monte Chlumo sic dicto Sclavorum lingua, quasi post montem habitantes, quandoquidem magnus inibi mons est, in cujus summo urbes duæ sunt; Bona, & Chlum: retro montem vero flumen est Bona, quod Græcis καλὸν significat: Venit autem posteritas Proconsulis, & Patritii Michaelis Busebutzæ Zachlumorum Principis filii, a non baptizatis accolis fluminis Bislas, quod & Ditzice cognominatur, habitavitque ad flumen Zachluma; suntque in Zachlumorum territorio urbes habitatæ Stagnum, Mocrisie, Iosle, Galumanic, & Dobrisic antiquum sed obsoletum vocabulum Slavum Chlum, vel potius Hum, & Humac montem quidem significat, sed cum civitatem quoque ejusdem nominis, flumenque Zachluma Porph. ponat, ideo non a monte, vel Civitate Chlum, sed potius ab ipso flumine Zachlumo (quod per vallem Popono dictam circumquaque altis montibus cinctam fluens nullibique exitum habens a terra absorptum per occultos meatus in mare prorumpens flumen Omblam antiquis Arionem efficit) denominatos Zachlumitas, & ex hoc post montano, vel potius intermontano flumine, uti a re insolita regionem nomen sortitam fuisse censendum videtur: sed utcumque Zachluma denominata fuerit, eandem presbyter Diocleas Zaculmiam, Chelmam & Chelmanam vocat, Archidiaconus Spalaten. Chulmiam, & Chelmum: sed sicuti Ducatum Chulmiæ in Regno Dalmatiæ, & Croatiæ perperam includit cap. 13. ita fines ejusdem non distinguit cap. 15. ubi ait: *fuit etiam Episcopalis sedes apud Mucarum, eratque sua Parochia a confinio Crainæ usque stagnum; in stagno nihilominus fuit Episcopatus, suaque Parochia erat in Comitatu Chulmiæ*, capitè vero 33. relatis damnis illatis Tragurinis, & Spalatinis per Tolen. nepotem Petri de Chulmia prædaque inde terrestri itinere abacta, subdit *Spalatenses armato sæpius navali exercitu magnam partem terræ ipsius depopulati sunt.* Ex quo eandem oram maritimam (Slavo vocabulo Crainam id est finitimam regionem dictam) quam Episcopatui Maucarensi tribuit Archidiaconus, Chulmiæ fuisse innuere videtur. Hanc olim eandem Narentanos possedisse constat ex Porphirogenito, quibus deletis in proximæ Zachlumiæ, sive facilioris prolationis gratia Chulmiæ, regionis nomen translisse ex relatis a Diocleate facile suaderi potest, & ut regionibus finitimis evenire solet, fines quoque multoties variasse: tempore autem Archid. cum ab Ungarico magistratu, qui Dalmatiæ & Croatiæ præerat, regeretur, & in ditione Mucarensis Episcopi esset, qui Spalatinæ Ecclesiæ suffraganeus erat, ideo regionem Chlumiam in Croatia fuisse existimavit. Chulmitanum autem Ducatum Andream quando Dalmatiæ, & Croatiæ præerat, acquisivisse tempore, quo cum Venetis bellum gerebat, supra relatum est, & sicuti Chulmiam regionem maritimam inter Cetinam, & Naronem flumina sitam fuisse constat, ita, an regio quoque Chlebna nunc Hliuno (quæ sola ultra Cetinam in Croatia erat) in Chulmia inclusa fuerit, percipi nequit: tamen eandem regionem maritimam ab Archidiacono Crainam dictam, simul cum proximis insulis in Chulmia fuisse, & a Comitibus Croatis rectam mox patebit, cujus caput Almisum Andream uti locum opportunum ad proximarum Insularum dominium retinendum, & ad maris infestationem exercendam elegisse conjici potest, cum deinde Regem effectum Almisanis Privilegium simile Dalmaticis civitatibus indulserit: & sicut donec Iadra in Ungarica protectione fuit, ibidem infestationis sedem Adriatici resedisse par est credere, ita postquam cum Venetis se composuit restaurationi patriæ, & Insularum culturæ Iadrenses incubuisse, navigationemque reassumere procurasse, & exinde simul cum Venetis proximorum Croatarum molestiis occurrisse, littoraque Liburniæ custodisse censendum est, reliqua autem loca littoralia puta Sibenicum, Tragurium, Spalat. & Almisum, simul cum insulis, quæ in Ungarorum potestate reperiebantur, Venetos infestasse, ex eo quia Comes Domaldus, qui uti vir strenuus, tempore, quo, expugnato Venetorum Castro Iada restaurari cœperat Comitatui ejusdem præpositus fuerat, deinde Iadren. cum Venet. compositis, Sibenici, Trag & Spalati Comitatus exerceret, ideo sicut maritimæ provinciæ Præfectum fuisse conjici potest, ita ex omnibus locis sui regiminis Venetos molestasse censendum est, sed cum omnia ex arbitrio gerens molestus Civibus effectus fuisset Tragurien. & Spalaten. eidem Comitatus ademerunt, & a Rege Hierosolymitanam expeditionem tunc moliente exemptionem ab ejusdem jurisdictione obtinuerunt. Andreas deinde Rex collectis Spalati copiis, inde Classe conducta solvit, Hierosolymitanumque iter aggressus est, ut Archidiaconus refert cap. 26.

Bigava. Dubrounich. lib. 2. cap. 3. lib. 3. cap. 13. Privil. 1207. 1204. 1217.

De passagio Andreæ Regis, filii Belæ Tertii Regis Ung.

Per idem tempus Andreas Rex Ung. votum patris exequi cupiens, Crucis susceptо signaculo, ad auxilium terræ Sanctæ iter arripuit profecturus, misit ergo, & conduxit naves magnas a Venetiis ab Ancona, & Iadra, & ab aliis Civitatibus Adriatici sinus, fecitque omnes applicare ad portum Spalatinæ Civitatis, præmisit

autem

autem omnem apparatum armorum & escarum in multitudine curruum, & jumentorum, qui venientes repleverunt omnia per circuitum Civitatis. Præcessit autem Regem, & Ungaros ingens Saxonum multitudo, qui omnes pacifici & mansueti erant cum devotione, ac desiderio, navigationem Regiam præstolantes; omnes enim Cruce signati erant; ad petitionem vero Regis dederunt Spalatenses totum suburbium ad hospitium peregrinorum, exeuntes vero de domibus, illis expeditas hospitibus dimiserunt. Mox autem ita confestim repletæ sunt hominibus, & jumentis, ut non pateret aditus transeundi: sed non eos suburbanæ domus capere potuerunt, licet constricti, & constipati manerent; plurima vero pars totius comitatus Regalis Curiæ morabatur extra, in territoriis per campum diffusa. Cives vero alii pavebant, alii mirabantur inconsuetam multitudinis frequentiam intuentes. Itaque A. Redem. Nostræ MCCXVII. Men. Aug. 23. die advenit Andreas Rex ad Civ. Spal. exierunt autem processionaliter obviam D. Regi universi Cives, omnesque forenses, totaque turba sui exercitus, laudes ei altis vocibus concrepantes. Deinde Clerus omnis holosericis super comptas inducti vestibus, cum Crucibus, & thuribulis procedentes usque posturbium, prout Regiæ magnificentiæ dignum erat, pariter concinebant. Ipse vero Ill. R. viso processionis cœtu solemni, statim descendit de equo, magnaque suorum Principum vallatus caterva, tenentibus eum hinc inde Episcopis qui convenerant pedes usque ad Ecclesiam S. Domnii processit, ubi celebrato Missarum officio, & data oblatione super Altare ad hospitium fecessit. Ea die Communitas exhibuit Regi affluentissimam procurationem in domo, quæ dicitur Mata extra muros Aquilonaris portæ; dicebantur autem tunc fuisse in comitatu Regio plusquam decem millia Equitum, excepta vulgari multitudine, quæ pene innumerabilis erat, tunc Rex cœpit magnam benignitatem erga Spal. Cives ostendere, ita ut ipse ultra provocaret eos, ad petendum a se, quod eis ad publicum cederet commodum, velle quippe Regis erat, ut ad munimen Civ. suæ reciperent Castrum Clissæ, volebat nihilominus eis concedere Comitatum Insularum, sed Spalatenses suo more ad publica nimis tardi, ad privata commoda singuli intendebant, neglectis siquidem Regalibus beneficiis, quæ eis pie, & liberaliter concedebat Rex proprio clementiæ suæ provocatus affectu, noluit Castrum illud committere alicui de proceribus: sciens, quia multa infestatio Spalatensibus ex illo Castro procedat, sed accersito quodam Pontio, qui erat Magister militiæ domus Templi, per Regnum Ungariæ, commisit ad manus ejus custodiam, & tutelam ipsius Castri, præcipiens, ut vicissim fratres suæ religionis ibidem faceret insidere, cum autem Andreas Rex aliquantam moram faceret præparando navigium Ber. Archiepiscopus mortis debitum solvit, sepultus vero est juxta Ecclesiam Sancti Domnii, protinus autem Rex misit ad Canonicos Spalatenses rogans, & consulens, ut eligerent de Clericis, qui circa ipsum erant, maxime quidam instabat pro quodam Alexandro fisico, qui erat vir literatus, & honestus, per quem Ecclesiæ poterant multa commoda provenire, sed non fuit petitio Regis admissa, quoniam aliorsum tendebat intentio seniorum; interea Rex naves ingressus, dispositum arripuit iter, Spal. vero dederunt ei usque Dirrachium duarum galearum conductum, non potuit Rex tantum habere navigium, quod sufficeret ad passagium omnibus Cruce signatis; quamobrem necessitate compulsi, alii redierunt ad propria, alii vero expectaverunt usque ad annum sequentem.

Hac occasione Andream jura, quæ in Iadra habebat Venetis cessisse Dandulus scribit. *Andreas Rex Ungariæ Cruce signatus a Duce Venetiarum suis nuntiis pro passagio navigia petit, & petita obtinuit, annuentibus illis, ut jura quæ Rex in Iadra se asserit habere in Venetos transferrentur*, quod ex relatis Archidiaconi verbis conductum navium, & galearum memorantis certioratur (quamvis Bonfinius, ut hanc cessionem negare posset, Andream terrestri itinere Constantinopolim progressum nullo tamen Scriptoris fultus testimonio asserat;) tuncque Adriatici accolas Ungarici juris ab infestatione maris supersedisse censendum est, sed prout absente Rege in Regno Ungariæ magnas dissensiones secutas, ipse Andreas reversus Summo Pontifici significavit, ita mutuas maritimarum Civitatum simultates, & cum Comitibus Croatiæ jurgia Archidiaconus refert, exinde piraticam quoque renovatam fuisse dicendum est, qua de causa Trag. & Spalat. cum Clissanis convenientes Sibenicenses quoque a cursu se abstinere promittentes in ligam receperunt, piraticæque pro ipsorum posse se opposuerunt; at, cum tutum receptum piratæ Almisi haberent, ibidem sedes figentes multoties mare vexarunt; Quotusquisque enim ab altera partium expulsus fuisset, vel pace composita arma tractandi cessabat occasio, ad proximum quæstum se recipiebant, & cum Veneti tunc in Ægæo impediti essent, ex numerose perditissimorum hominum colluvie armis assueta, Almisanorum piratica invaluit, cujus situs describendus est, ut clariora evadant ea, quæ de eisdem sæpe repetenda erunt.

Epistola in vol. Gesta Dei per Francos.

Almisum situm est ad ostium fluminis Tilluri, nunc Cetina, quod in mare exit inter duo prealta, continuataque montium juga, aspera, & importuosa, ex Orientali parte Narone fluminis ostia contingentia, ex Occidentali vero Spalatum usque protensa: Flumen autem ipsum, quamvis inter altos & arduos montes restrictum fluat, tamen navigabile est per tria milliaria, sed antequam in mare exeat, montibus hinc inde recedentibus, quasi in lacum dilatatum, Insulam efficit, ripasque hinc inde tenues, & ad fabricanda navigia aptas, habet, deinde coarctatum inter duas altas, & inaccessibiles rupes, quæ crepidinibus montium junguntur in littus vadosum erumpens, commodam stationem navibus præbet, cum vero mare ipsum circa ostium fluminis brevibus & syrtis cateat: quæ etiam æstu maris variantur, ideo solis in-

colis notum ingressum permittunt, ex cujus Orientali parte in Chulmitana Regione annexa est majori, minor rupes supra quam Almisum sedet, quod subjacens fluminis ingressum, cuicunque generi navium facillime prohibere potest: hanc eandem oram antiquitus Ardieos possedisse, & ob piraticam a Romanis longe a mari abactos memorat Strabo; ideo nil mirum, si in hoc tuto a natura parato receptaculo Croatæ, & Culmitæ convenientes, piraticamque sæpe renovantes, Almisanorum nomen famosum effecerint, & prout infestationem maris usque quo bellum cum Venetis gerebatur jussione Regia exercuisse censendum est, ita Rege cum Venetis componente, piraticam per se continuasse: at cum universos navigantes vexantes, peregrinos quoque in terram sanctam procedentes spoliarent, hac de causa Honorius summus Pontifex Aconcium Legatum mittere coactus fuit, ut ex ejusdem Epistola Spalatensibus scripta apparet.

Honorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Comiti, & populo Spalati, Sal. & Apostolicam benedictionem: Tacti sumus dolore cordis intrinsecus, quod sicut audivimus novi contra Christum hostes proditorie insurgentes, tempus faciendi legem ejus dissipare nituntur; quia quidam Sclavi, & Dalmatiani quamvis censeantur nomine Christiano Cruce signatos, transfretantes in terræ sanctæ subsidium, ad obsequium Iesu Christi; & alios Christianos, piratica rabie spoliant, capiunt, & occidunt, & velut vulpes, habentes proprias foveas, interdum latitant capta præda, ut quasi ex intervallo securitate promissa subsequenter alios incautos invadant, & iterum Christianorum ditentur spoliis, & sanguine satientur, iidem quoque, & alii latentes in insidiis, & speluncis Christianorum iter observant, ut deprædentur eosdem; & quod est gravius, immunitate perimant inhumana. Quis ergo a tanto nefandæ proditionis auditu, & a voce tam peculiaris malitiæ non stupescat; quis tantam Christi contumeliam non zeletur, & horrore perculsus non exsurgat, ad tantam atrocem Redemptoris injuriam vindicandum, dum ministri ejus, qui fundat, & regit Cœlum, & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt, in arida vel in aquis, nequeunt ab hujusmodi latrunculis esse tuti. Ne igitur nefandissimi hostes Christi in sua prævaleant pravitate, sed qui oderunt Dominum, confundantur, Universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur, per aspersionem sanguinis Iesu Christi, vobis nihilominus in remissionem peccatorum injungentes, quatenus ad disperdendum eos exsurgentes in manu valida, & potenti, studeatis ipsos de vestris finibus profligare, ita, quod cum desinere, cum possitis perturbare perversos, nihil sit aliud quam fovere; nos contra vos procedere non cogamur, sed potius vos tanquam persecutores inimicorum Christi possimus merito commendare. Ut autem quantum nos hujusmodi factum urget ex nuntii qualitate vobis plenius innotescat: ecce dilectum filium Magistrum Aconcium Subdiaconum, & Capellanum nostrum, quem pro suæ probitatis meritis nos, & fratres nostri, charum habemus admodum, & acceptum propter hoc ad partes vestras providimus destinandum, cui volumus ut in his, & in aliis modis omnibus intendatis efficaciter, alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, seu etiam contemptores ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat Laterani Id. Aprilis Pont. nostri anno 5. 1221.

Quid autem Aconcius egerit, Archidiaconus refert cap. 27. *His temporibus misit Summus Pontifex quemdam Apocrisariùm suum nomine Aconcium, natione Viterbiensem, Curiæ Capellanum, virum valde discretum, & bonum, misit inquam eum pro quibusdam arduis negotiis, ad totum Ungariæ Regnum, dans sibi mandatum, ut ad Dalmatiæ partes descenderet, piratasque Almisanos a latrociniis cohiberet, sed cum non haberet plenam legationem, nimioque succenderetur zelo, multas enormitates in Clero, & populo corrigendi Spalati positus misit nuncios suos ad D. PP. curiam, postulans, ut perfectæ sibi Legationis auctoritas præberetur profectis ergo nunciis, Aconcius in Spalatensi urbe permansit, donec redirent expectans; videns vero Archiepiscopi temeritatem, & imperitiam, multum compatiebatur Ecclesiæ Spalatinæ, quod tam insolentem fuerat sortita pastorem, arguebat autem eum frequenter, sed ipse sicut Onager assuetus in eremo, & ipsum Aconcium, & ejus monita contemnebat, interea nuncii redierunt de Curia, Legationis officium eidem Aconcio plenissime perferentes: tunc Aconcius Sedis Apostolicæ auctoritate suffultus, cœpit multa circa Clerum populumque corrigere, Ecclesiam novis studiis informando, fecit enim a Clero cunctas expelli focarias, de quibus Archiepiscopo nulla suberat emendationis cura; Convocavit autem totam Dalmatiam & Croatiam in adjutorium suum contra hæreticos, & piratas, faciens indulgentias omnibus, quicunque zelo divino succensi in personis, vel expensis ad eorum interitum laborarent, tunc congregato multo navali exercitu, & equestri, cœpit eos undique impugnare; in tantum enim Almisanos in mari, & terra insequendo contrivit, ut defecti viribus, desperarent ulterius se posse resistere; Venerunt ergo, & corruentes ad pedes Legati, pacem & misericordiam humiliter implorabant, promittentes omnem emendationem, & obedientiam ad ejus beneplacita & mandata. Quos legatus suscipiens, fecit eos piraticas naves exurere, promittentes interposito juramento, ut a Christiana jam infestatione cessarent,* & sicut ab eodem Aconcio convocatum consilium Ragusii contra hæreticos Dolmi Iacobus Luccari memorat, ita Cazethos Almisanorum protectores eidem Legato Iadram progredienti insidiatos constat. *Annali di Ragusa.*

Aconcius D. Papæ Subdiaconus, & Capellanus Dei gratia Apostolicæ sedis Legatus, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Noveritis nos propter instantem necessitatem guerræ nephandorum Cazethorum qui pro ipsorum posse parabant nobis insidias ad nocendum a Capitulo, & Clero toto Civ. Spalati exegisse ut ligna nobis pararent, cum quibus secure possemus Iadram pervenire, quod tam devote quam hilariter facere procurarunt, postulantes a nobis, ut id illis, qui non consueverunt su-

per-

pervectione legatorum auxilium exhibere, ad præjudicium proveniret. Nos autem nolentes, ut quod nobis fit voluntate ſpontanea, debeat aliquibus præjudicium generare, præſentibus literis declaramus, ne præjudicium aliquod ex hoc nobis auxilio præſtito alicui generetur, ſuper quo auxilio neminem duximus eximendum. Cazethos autem ſive Caciclos fuiſſe unam ex XII. tribubus Croatarum, & in Zupania Paratalaſſia ſive maritima potentem B. Rainerium lapidaſſe ſupra relatum eſt, piraticamque exercuiſſe ſcripturæ teſtantur: Comites etiam Cacichios cum aliis Comitibus Croatiæ multas ſimultates exercuiſſe, Archidiaconus refert, idcirco foventes homines armis aſſuetos eiſdem latrocinia, & piraticam permittebant; ob id a Rege objurgati fuere.

lib. 3. c. X. Script. Albonen. in Sanctuario Arb.

And. R. Hung. Malduco Duci Kachetorum totique ſuæ cognationi . . . jubet quod a Latrociniis in inſulis duabus maritimis, & Zernouniza ſe abſtineant piratas, & Patarinos eiiciant, aliter cum robore Regni, & filiis duobus, B. & C. in perſona caſtigabit. Sed quamvis Almiſanos exuſtis eorum navibus juramentoque adactis, aliquandiu a piratica abſtinuiſſe cenſendum ſit, tamen cum in Regno Ungariæ multæ ſimultates interceſſerint, & in Croatia diſſidia continuaverint, maritimæque civitates a Slavis multoties vexatæ fuerint, earumdemque Civitatum cives in partes diviſi, mutuis odiis ſe invicem infectarentur, ut Archid. refert, & latius in Patriæ Chronico explicatur, inde latrones, & Piratæ invaleſcentes, itinerantes deprædabantur; Tunc Spalatenſes feſſi diſcordiarum civilium, Slavorum Comitum regimine reprobato, Garganum Anconitanum virum prudentem in Poteſtatem elegerunt, qui reformato Civitatis ſtatu, cum Tragurienſibus diſcordiis compoſitis, fœdus cum eiſdem ſtatuit, deinde latrones & Piratas aggreſſus eſt, Brachienſibusque ad deditionem coactis, capto ibi Oſor Malduci filio uno, ex Comitibus Almiſi ejuſdem Inſulæ Comite, cæteros fratres pacem facere, & a Piratica ſe abſtinere coegit, conditionibus ab Archidiacono relatis cap. 36.

a cap. 30. uſq. c. 36.

1239.

1240.

Tandem vero videntes fratres comitis cum cæteris, quod nullo modo de Poteſtatis manibus evadere poterant eorum captivi, niſi ligna Spalatenſibus traderent, & curſum penitus reſignarent. Tunc acquieverunt ad omnia, & miſerunt Spalatum ſex ligna, quæ habebant majora, & alia quædam, quæ ceperant minora. Pacti ſunt autem quod nunquam ad latrocinandum exirent, juramenti ſe vinculo aſtringentes, & obligantes, quod ſi quando in contrarium facerent, tenerentur ſolvere Spalat. M. M. iperperorum, & quod ab offenſione iſtorum præcipue abſtinerent vid. Spalat. Venet. Ancon Imperatori namque obſides dederant, ut nullam in toto Regno Apuliæ læſionem inferrent. Iuraverunt etiam, ut omnibus amicis, & juratis Spalat. eadem pacis fœdera obſervarent, & ſic eorum captivi relaxati ſunt omnes.

Hoc modo Almiſani obſidibus traditis, pœnaque promiſſa a Piratica ſe abſtinere coacti fuerunt: deinde tamen alios protectores nacti ſimilibus ex cauſis occaſionibusque multoties Piraticam, & validiorem exercuerunt, ut ſuis locis referetur.

CAPUT V.

De ſecunda Iadrenſi defectione.

Archid. cap. 37. 38. 39. 40.

NOndum Dalmatia a Piratarum moleſtiis quieverat, cum terrores Tartarorum ſupervenere, qui profligato Rege Bela, ejuſque fratre Colomano Dalmatiæ, & Croatiæ Duce, ac univerſa Ungaria deſolata uſque ad mare Dalmaticum pervenerunt, ipſeque Rex primo Clyſſi cum uxore, filiis, & Theſauro ſe incluſit, mox Spalatum, deinde Tragurium aufugit; Sed cum neque ibi tutum ſe exiſtimaret, ut Archidiaconus refert, ad proximas inſulas ſeceſſit, quarum una hac de cauſa Regis nomen ſortita eſt, ut in patriæ chronico latius: Iadram tunc a Venetis defeciſſe eorum Scriptores referunt, cauſam autem defectionis non tradunt: Archidiaconus vero Spalat: illorum temporum Scriptor eandem defectionem deſcribit.

De ſecunda captione Iadræ cap. 43.

Hoc tempore Iadrenſes cives lætis ſucceſſibus ſublevati, cœperunt animos ad inſolentias retorquere, & contemnentes vetera, quibus optimo ſtatu florebant, voluere nova, & incerta moliri, etenim Venetico dominatui rebellantes, cupiebant ſe ab ipſius jugo prorſus ſubtrahere. Cum enim inter cæteros comprovinciales ſuos terra, marique forent potentia, & divitiis ſublimati, faſtidio habere cœperunt nauticis lucris incumbere, voluerunt militiæ pompas inaniter experiri, conſtructis nempe villis, & oppidis gaudebant militari equitatu volare, quamobrem rupto fœdere dominationis antiquæ, juramenti religione contempta, manifeſtos ſe hoſtes Venetis oſtenderunt. Dandulus autem in Annal. *Iadratini ſub dominio Venetorum honoribus, & divitiis elati, nunc quinto rebelles effecti; Ioannem Michaelem Comitem expellunt, & reliquos Venetos cum bonis ſuis detinent, & denegato ſibi a Friderico Aug. ſubſidio cum Colomano fratre Belæ IV. Regis Hungariæ componunt. & Regis vexilla erigunt, & ejus auxilio Urbem muniunt, & a Duce requiſiti reſipiſcere renuunt, ſed Venetos captivos abire permittunt,* & relata deſolatione Ungariæ per Tartaros facta, Regiſque fuga ſubdit. *Rex autem primo in Auſtriam, poſtea in Sagabriam cum familia ſeceſſit, & Mariam Reginam cum parvulo Stephano nato, reliquiis & Theſauris regalibus in Cliſſam Dalmatiæ venire fecit. Colomanus frater obiit hoc anno tranſacta hyeme, Tartari Budam, Strigonium, & alias Regni urbes proſternunt,*

munt, & homines occidunt; Rex autem in Cliſſam ſimiliter venit, & Iadertinis ſupplicantibus Privilegia indulſit, & pecuniam pro muris marinis reficiendis illis tribuit, & appropinquantibus Tartaris in Tragurium ivit, & illorum metu, qui ad maritimam jam deſcenderant, cum familia & theſauro in navibus quas conduxerat, ſe transvexit, cui Veneti Divino intuitu cum multa erga eum agere potuiſſent, nihil injuriæ illi intuleruut, & tandem abeuntibus Tartaris Rex in Hung. rediit, dimiſſo Bano Dionyſio pro tutela Iadræ. Hæc Dandulus quamvis partim ex Archidiacono, partim vero a Chroniſtis Venetis ſumpſerit, tamen de tempore defectionis, cum eisdem non concordat, nam Chroniſtæ anno 1242. Iadram defeciſſe, anno vero ſequenti recuperatam concordes ſcribunt, & prout recuperationis tempus infra verificabitur, ita Colomanum fratrem Regis, cum quo Iadrenſes compoſuiſſe Dandulus refert mortuum anno 1241. & antequam Tartari Danubium tranſiiſſent in Coſmen Monaſterio fratrum Prædicatorum ſepultum Ioannes Longinus in hiſtoria Polon. cum Archidiacono Spalat concordat, additque Archidiaconus; *ſepultus eſt autem latenti Mauſoleo infoſſus, etenim gens nefandiſſima Tartarorum ſepulchra Chriſtianorum, & maximè Principum ſceleratis manibus violantes confringebant, oſſaque ſpargebant,* ſed cum Dandulus innuere videatur, Iadrenſes ſpe Friderici (quem infeſtiſſimum nomini Veneto tam ob auxilia ſedi Apoſtolicæ, ſuisque inimicis contra ipſum præſtita, quam ob damna ſibi in Apulia illata cognoſcebant) defeciſſe, & cum ab ipſo ſubſidia conſequi non poſſent, cum Colomano deinde compoſuiſſe; Colomanum autem Dalmatiæ, & Croatiæ Ducem a Patre conſtitutum multa Privilegia Dalmatis, & Croatis conceſſiſſe conſtat, rebus vero Iadrenſibus ſe immiſcuiſſe nulla memoria reperitur: imo menſe Decembri 1241. poſt mortem Colomani adhuc Iadrenſes Venetorum Nomen coluiſſe ſcripturæ docent, & ſicuti Fridericum contra Tartaros Ungaris auxilium promiſiſſe Auctores referunt, ita quoque Dalmaticas Civitates devincere ſtuduiſſe, ex ſequenti diplomate Tragurinis conceſſo apparet.

Fridericus D. G. Rom. Imp. ſemper Aug. Ieruſalem, & Siciliæ R. univerſis in Regno Siciliæ conſtitutis, quibus præſentes litteræ fuerint oſtenſæ, fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Noverit univerſitas veſtra quod nos benignius attendentes grata ſervitia, quæ univerſi homines Trag. de partibus Dal. ultra mare fideles amici noſtri nobis ad mandatum noſtrum exhibere devotione ſolita ſtuduerunt, conceſſimus eis ut ubique per Regnum noſtrum ſalvi, & ſecuri incedant, in perſonis, & rebus eorum. Quocirca fidelitati veſtræ mandamus, atque præcipimus, quatenus ubicunque, & apud quemcunqu veſtrorum aliquis hominum prædictorum pervenerit, nullus veſtrum præſumat de eo . . . ipſum tam in perſona quam rebus ſuis offendere, quod qui præſumpſerit indignationem meam noverit incurſurus.

Datum apud ſanctum Sal . . L . . XXIX. Decembris XIV. Indictionis.

Annus ex indictione reſtitui debet ſic MCCXLI. Spalatenſibus quoque ſimile indulſiſſe Manfredus ejus filius teſtatur, eodem quoque modo Iadrenſium animos ſolicitaſſe coniici poteſt; Sed cum eodem anno 1241. de Ianuenſibus ſplendidam victoriam conſecutus fuiſſet, & anno ſequenti ingentem Claſſem parari juſſiſſe Chronicon Riccardi de S Germano referat, 1142. *menſe Februarii. Riccardus de monte Nigro a Iuſtitiariatu terræ laboris amovetur, & Giſulphus de Mannia ſubſtituitur illi, turres Civitatis Bari, quæ erant in Civitate Imperator dirui jubet. Biſcottum fieri jubet per loca maritima, & loca alia pro ſodro 150. galearum & 20. Navium, quas armari mandat ſuper Piſanos, & Venetos ad Romanam Curiam Magiſtrum domus Theutonicorum creatum noviter Archiepiſcopum Barenſem, & Magiſtrum Porcarſtrellum pro pace Legatos mittit. Patriarcha Aquilejenſis pro facto Tartarorum ad eum venit,* eodemque tempore validam Claſſem Venetos pro Ianuenſibus emiſiſſe Dandulus ſcribat; Ideo Fridericum, ut eorundem Claſſem ab unione cum Ianuenſibus averteret, ſplendore potitæ victoriæ, & oſtenſione apparatus ingentis Claſſis ſubditos Venetorum ad defectionem ſolicitaſſe conjectari poteſt, cum Polenſes quoque tunc auxilia ſolita Venetis denegaſſe referat Dandulus, hacque inani ſpe deluſos Iadrenſes defeciſſe innui poteſt; Belamque Regem, quamvis ipſe Regnumque ſuum deſolatum protectione indigeret; Friderici tamen auxilia implorantem, ejusdem intuitu Iadrenſium protectionem ſuſcepiſſe Privilegiaque eisdem indulſiſſe, ut Dandulus refert, quæ qualia fuerint cum non reperiantur, diſtingui nequit, extat tamen ejusdem Privilegium Monachis Sancti Chriſogoni Iadræ conceſſum, in quo antiqua Regum Privilegia confirmavit, eodem modo Civitati quoque Avi Belæ confirmaſſe, argui poteſt, ſed cum dictum Privilegium Sancti Chriſogoni *Datum Anno ab Incar. Domini MCCXLIII. Regni autem noſtri VII* reperiatur, ſimili modo aliud Pharenſibus conceſſum datum Tragurii *In nomine ſanctæ Trinitat. & individuæ unitatis. Bela D. G. Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæque Rex. Univerſis præſentes literas inſpecturis Salutem in vero Salvatore. Ex antiqua patrum traditione didicit poſteritas, ut ea quæ per Reges, & Principes ſtatuuntur, ſcripturarum perpetuæ cuſtodiæ commendentur, ne proceſſu temporis oblivione novercante e memoria elabantur, ut quæ ſanata fuerant, dubietatis intrante ſcrupulo irritum valeat revocari, hinc eſt igitur quod cum fideles noſtri Nobiles de Inſula Fariæ plurima nobis ſervitia fidelitatis opportuno tempore emiſſis altius noſtris tam obſequiis vigilanter, & fideliter inhærentes exhibuerunt propter quæ noſtræ magnitudinis celſitudo ad recompenſationem præmii fidelitatis ipſo-*

rum

rum solerter superintendens, volens tam ipsos, quam alios præmiorum digna retributione tam ad ipsius, quam Coronæ servitia efficacius provocare habita deliberatione; justis ipsorum & specialiter Ven. patris Nicolai Episcopi, & Zepregnæ tunc temporis Iuppani Faren. & Bracen. precibus inclinati, proinde statuit, ut cum secundum tempora Ecclesia de Faria vacare contigerit, libere eligant electores, ad quos de jure spectat electio, de fidelibus ad Regnum Hungariæ spectantibus sibi Præsulem, qui eis præsit verbo proficuum, & exemplo, electus tamen Regiæ Majestati præsentetur, ut ab ipso jura Episcopalia recipiat, concedimus etiam ut Episcopus una cum Iuppano cum N. N. de genere Givich libera potiantur facultate eligendi, & assumendi sibi Comitem de Hungaria, & ad Regem Hung. pertinentem, quem sibi utiliorem circumspexerint, dummodo Regi, & Coronæ fidelis etiam mandatis ipsius in omnibus obsequendo, Comes autem præficiendus Regi Hung. præsentabitur confirmandus, dictus vero Comes constituet sibi Iudicem pro suo arbitrio voluntatis. Item statuimus quod Iuppanus semper de genere Givich eligatur, & electus Comiti præsentetur confirmandus, & quod sit Iuppanus ambarum insularum tam Fari, quam Braze. Iuppanus autem antedictus in Insulis supra dictis perpetuo præsidebit, nisi forte ex causa legitima fuerit removendus. Item concedimus, quod nulla unquam collecta vel exactio a nobilibus in eadem Insula habitantibus requiratur, imo ipsorum libertas in omnibus inconcussa conservetur, nisi voluerint honorare. Cum autem Regi Hungariæ exercitum facere placuerit, nobiles de genere Givich cum duabus barchis quas habere poterunt de suis impensis præparatis, & armatis secundum quod Regiam condecet Majestatem, una cum Nautis, & remigatoribus servire teneantur: Mercatores autem vel negotiatores ipsorum per universum Regnum Regis Ungariæ in terra, marique negotia, vel mercimonia exercentes, immunes a solutione tributi penitus habeantur, attendentes etiam ipsorum fidelitatem, concedimus, quod nullus dictorum Nobilium in eadem insula commorantium extra Civitatem comparere, vel respondere coram aliquo Iudice teneantur, nisi forte Regiam Majestatem Dalmatiam contingeret advenire, si vero aliquis ex ipsis forte gravatus justa de causa ad alias partes se transferre voluerit, secure cum uxore, filiis, & familia, & omni sua possessione recedere valeat quocunque sibi placuerit, nullum impedimentum ex nostra parte vel alicujus alterius habiturus. Præfati autem N. N. de genere Givich eadem gaudeant libertate, qua N. N. de Spalato, & Trag. perfruuntur; ut autem hujus nostri statuti series, & decreti sanctio futuris temporibus illibata conservetur, & libertas eorumdem perpetuo permaneat inconcussa, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus Ven. Patris Stephani Episcopi Vac. Anno ab Incarnatione Domini 1243. sexto Idus 1248.
May, Anno autem Regni nostri septimo Ven. Patre Barth. Quinquec. Episcopo, Ven. Patre Bened. Episcopo Varad Bened. Præ Alben. Aulæ Regiæ Cancell. & postulato Colocen. Dionysio Bano, & Duce totius Sclavoniæ, Arnoldo Comite Palat. Paulo Comite Albanen. Matthæo Magistro Tavarnicorum, Rollando Magistro Dapiferorum existentibus, est autem datum apud Tragurium anno præcedenti ex relatis ab Archidiacono & Privil. tunc Trag. concessis, Belam autem Tragurii moram traxisse anno 1242. Regni ejusdem septimo (quorum originalia extant) constat; Ideo errorem annorum Domini in utriusque Privilegii transcriptione irrepsisse, & tam Pharensibus, quam Monachis Sancti Chrisogoni anno 1242. septimo Regni Belæ concessa fuisse Privilegia dicendum est.

Hæc fuit secunda Iadrensium defectio, quam Veneti Scriptores quintam dicunt, quæ sicuti inconsideratior priori fuit, ita ejusdem recuperatio celerior evasit.

CAPUT VI.

De Iadrensi recuperatione, Coloniaque ibi deducta.

IAdra amissa, quid Veneti egerint, Archidiaconus loco relato sequitur. *Sed Veneti, uti circumspecti, & solertes viri a principio dissimulantes injurias, & damna æquanimiter supportantes, traxerunt prius cunctos captivos, & pecunias quas Iadræ habuerant, receperunt; Deinde paulatim præparaverunt navalem exercitum fortem, & magnum, & multis machinis fabricatis, pluribus instrumentis bellicis adaptatis, circa Festum B. Petri in magna Classium multitudine, Iadræ applicuerunt, quam undique impugnantes machinis, & balistis acre certamen eis jugiter inferebant; fecerunt etiam Iadrenses machinas contra machinas Venetorum, habebantque magnas oppugnantium copias Sclavorum, & Ung. cum quibus quantum poterant hostili violentiæ resistebant, octo autem sive decem diebus elapsis contigit Banum Dionysium sagittæ ictu paululum vulnerari: hunc Rex ad auxilium Iadrensibus miserat, ut esset Dux, & Signifer exercitui militari. Quo vulnere pavefactus, fecit se extra Civitatem a militibus deportari, quo viso Iadrenses timor & hebetudo mentis cecidit super eos, putantes Banum esse mortuum, nec sperabant absque Ungarorum adminiculo posse resistli violentiæ Venetorum, qua de re statim relinquentes pugnam, terga verterunt, & quidquid poterant, de domibus rapientes, cucurrerunt ad portam, & infringentes januas exierunt, & quia magna erat oppressio multitudinis fugientium, cœperunt alii murum scandere, & religatis ad propugnacula funibus dimittebant se certatim ex mœnibus, & abibant: at vero Veneti videntes suos hostes in fugam versos, continuo armati de ratibus descenderunt, & incedentes pedetentim, nullamque cædem facientes ex eis, permiserunt omnes abire, & sic tota Civitas capta est ferme absque ulla strage alterutrius partis* Dandulus vero.

Dux igitur Iadratinos in rebellione pertinaces domitare anhelans, galeas 26. & naves 20. cum cunctis ædificiis ad impugnationem opportunis parari jubet, & Rainerium Zeno Capitaneum fecit. Hic cum Ioanne Michaele quondam Comite Iadræ egressus de mense Maii Iadram applicuit, & illos ut ad solitam subjectionem redeant requirit, & cum renuerunt machinis Urbem impugnant, & Civibus Urbem tuentibus, alia navigia Venetorum Catenam mirabiliter constructam, Portus ingressum prohibentem viriliter frangunt, & audacius circumquaque bellum innovant, tandem Dionysius Ung. Banus in pugna graviter vulneratus & insultus continuos perhorrescens extra Urbem se fecit deferri, tunc Veneti scalas apponunt, & Ungari primo, postea Cives timore attriti, unus post alium Urbem exeunt, & Veneti absque notabili cæde die 2. Iunii eam potenter habuerunt, quod cum Duci nunciatum foret, gaudio repletus Michaelem Mauroceno Comitem fecit, & multis nobilibus, & popularibus Venetis, divisis inter illos Civium bonis, Iadram custodiendam tradit, Ioannes autem Michael, qui in recuperatione Iadræ viriliter se gesserat, pro recompensatione Iadræ Comitatus, Potestas Clugiæ est effectus, postea ætate confectus in Trocello translatus vitæ cessit. Hæc Dandulus, sed sicuti ab Archidiacono omissam catenæ fracturam refert, ita ipse murorum debilitatem ex parte septentrionali referre omisit, quos post fractam Catenam oppugnatos Chronistæ asserunt, Venetique populi ex septem unum simul cum mille equitibus Lombardis interfuisse memorant; & cum Apostolica sede vacante tunc temporis Fridericum de Pontificis electione ditioneque ejusdem subigenda solicitum Ricardus memoret, Ianuensesque Classem reparassent, Tyrrenum incustoditum relinquere noluisse, ut Iadrensibus subsidia mitteret, dicendum est; Ideo Venetis qui ex firmato in Ægæo dominio vires auxerant, & in bellis Longobardicis exercitati, expugnandarum urbium modum callebant, Fridericumque in Tyrreno occupatum nullo impedimento futurum scirent, Classa valida parata, machinisque muralibus instructa, spreto Ungarorum in experto defensionis præsidio, fractaque catena, debiliorem murorum partem oppugnasse, & ex fuga Bani superasse: Iadrenses vero qui fiii. *Catenæ mirabiliter constructæ* muros ex ea parte restaurare neglexerant, cum ex levi vulnere Banum præter expectationem recedere vidissent, nullaque alia subsidia sperarent, confusos, & pavidos patriam deseruisse concludendum est. Sic Iadra anno 1243. die 2. mensis Iunii recuperata fuit; Sed cum præcipui Cives cum Bano aufugissent, Veneti occasione oblata prudenter usi, bona eorum propriis Civibus tradentes Coloniam Venetam inibi deduxerunt, sperantes inde proprios Cives sufficientes custodes Iadræ futuros; Sed cum profugi undique res novorum colonorum infestarent, eodem anno cum proximis insulis Arbi, Cherfi, & Vegliæ ad arbitrium Comitis Iadræ fœdere triennali subsidia pacti sunt, ut ex eisdem tabulis apparet

Anno Dominicæ Incarnationis 1243. *Indictione 2. mense Novemb die 3. exeunte Arbi temporibus equidem Domini nostri Iacobi Teopol. incliti Ducis Venet. Dal. atque Chroat. & Pauli Ven. Arben. Episcopi ac Rogerii Mauroceni egregii Comitis. Cum dominus noster Iacobus Teopol. D. G. Venet. Dal. atque Croat. Dux quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ Dominator potentissimus, viros, Nobiles D. Henricum Pasqualigum, & D. Marinum superantium Ambasciatores suos Arbum misisset super delegatione eis commissa ab eis diligenter, & benigne sic fuit processum, quod suprascripti Ambasciatores cum Viro nobili D. Rainerio Mauroceno Comite dictæ Civitatis Arbi & cum beneplacito, & voluntate ejusdem terræ Communitatis, suprascriptus D. Comes cum tota Communitate suprascriptæ suæ Civitatis Arbi ad honorem suprascripti D Nostri Ducis, & totius Communis Venet. firmiter per sacramentum stipulando promisit, a modo usque ad tres annos proxime firmam, & stabilem societatem habere & tenere cum omnibus hominibus, qui sunt ad præsens vel erunt in Iadra pro suprascripto D. Nostro Duce & Comite Ven. & cum omnibus hominibus totius Insulæ Veglien. & totius Insulæ Apsaren. Et super his omnibus debeant habere, & tenere usque ad dictum terminum suum rectorem illum qui est, vel erit, sive fuerit per suprascriptum D. Ducem, & Commune Ven. rector in Iadra, & hæc societas debet esse, & tenere in hunc modum, ita videlicet, quod a modo usque ad dictum terminum debent, & tenentur sub debito juramenti facere vivam guerram de sanguine, & foco omnibus Kazætis, & deprædatoribus maris, & specialiter omnibus Iadertinis, qui sunt, vel extiterunt, vel a modo fuerunt rebelles contra honorem, & voluntatem suprascripti D. Nostri Ducis, & Communis Ven. & omnibus hominibus, & terris qui voluerint offendere, vel offendent dictis communitatibus vel hominibus Venet. in terra, vel in mari. Præterea quandocunque fuerit de voluntate rectoris Iadræ, & per suum nuncium, vel litteras suprascripto D. Comiti, & Communi Arbi significaverit ut cum suis lignis armatis debeant exire ad offendendum suos inimicos, vel ad præbendum sibi succursum cum 300. hominibus debent exire, & ejus mandatum facere, & cum minori numero dictorum virorum si eis præceperit, & hoc totum debet, & teneatur Communitas Arbi observare sub pœna M.M. lib. denar. Venet. parvulorum, medietas quarum si mandatum suprascriptum non observaverit fiat Commun. Venet. & alia medietas fiat Communitatibus, quæ mandatum adimpleverint. Item si infradictum terminum sæpedictus Dominus noster Dux super his suas litteras, vel nuncium Arbum transmiserit, & aliud ordinamentum facere voluerit per dictum sacramentum ejus mandata adimplere bona fide, & suo posse teneatur Communitas Arbi. Acta sunt hæc in Communi Curia Arben. & ibi interfuerunt testes Abundius Dabrauze, Victor Esiane, Madius Tolchus, Madius Bartaldi, Duimus Diacobo, Magister Dobre & alii quam plures.*

Ego

Ego Vital. ſubdiaco. ex me ſubo.

Ego Lanfran. Arbi Not. his interfui, & de præcepto ſupraſcript. D. Comitis Iudicum, & Conſilii, & rogatu Comitis hanc cartam ut audivi, & vidi, ſcripſi, complevi, & roboravi.

ex quibus ſicuti Iadrenſium extorres mare infeſtaſſe conſtat; Ita quoque inter Comites Croatiæ variæ diſſenſiones ſecutæ ſunt, & inter Civitates maritimas, præſertim inter Spalatum, & Tragurium acre bellum exarſit, in quo Banum Boſnæ, & Comitem Chulmiæ cum Polizanis Spalatenſibus opem tuliſſe. Tragurinis autem Comites Breberienſes cum Iadrenſium profugis, ut Archidiaconus memorat cap. 46. *& erat eis lignum quoddam magnum ex bonis juvenibus ſtipendiariis, & profugis Iadren.* Tragurienſesque multoties terra marique victores fuiſſe fatetur, tandem Banum Dionyſium (qui Iadræ vulneratus fuerat) Spalatenſibus, mandatis ejus parere detrectantibas, juſſu Regio ſuburbia exuſſiſſe, pœnaque pecuniaria mulctaſſe, obſidesque tradere coegiſſe, ut latius in Chronico patriæ. Exinde conjici poteſt, quod ſicut Croati & Dalmatæ ſpreto Regio obſequio in partes diviſi, aperto Marte congredi auſi ſunt, ita multo magis eorundem plurimos cum Iadrenſium extorribus mare infeſtaſſe. Inde illa mutua damna, quæ inter Ungaros, & Venetos in prima defectione Iadrenſi Dandulus eveniſſe memorat, renovata fuiſſe, cenſendum eſt.

CAPUT VII.

De Civibus Iadrenſibus in Civitate reſtitutis.

VEneti deducta Iadram Colonia quieti Adriatici more ſolito invigilabant. Sed cum tunc ſummus Pontifex poſt celebratum Lugduni Concil. univerſos Chriſtianos ad Pacem urgeret, & ad ſubſidia in Orientem, mittenda hortaretur, Imperiumque Conſtantinopolitanum, cujus Veneti participes erant, a Græcis magis in die premeretur, ideo Legatos ad Regem Belam pro pace componenda miſere, ut Dandulus refert. *Dux per Legatos ſuos Petrum Dandulo, & Stephanum Iuſtiniano cum Bela Rege Ungariæ Iadræ remiſſo litigio perpetuam pacem juramento firmavit, viciſſim promittentes, ne unius rebelles, vel incommodantes alterutrum, ab altero recipere debeant*, & quamvis Dandulus quid in Iadrenſi letigio remiſſum fuerit, non exprimat, tamen cum viciſſim promiſſum refert, *ne rebelles, vel incommodantes alterutrum ob altero reciperentur* innuere videtur, non ſolum Iadrenſes profugos, qui uſque tunc ab Ungaris protecti, Nonæ ut plurimum habitantes, Venetos incommodaverant, amplius ab eiſdem non reciperentur; Sed cum etiam inter Comites Croatiæ diſſenſiones maximæ vigerent, (horumque aliquos Regia mandata ſpernentes Comitatibus deinde privatos patebit) eosdem quoque tunc a Venetis, vicem Ungaris rependentibus, contra Regem protectos fuiſſe conjiciendum eſt, prout poſterioribus temporibus in ſimilibus idem eveniſſe ſuo loco patebit; Venetos ergo, ut quietem, quam in Adriatico deſiderabant inducerent, protectioni ſubditorum Regis Ungariæ renunciaſſe, & vice verſa Regem nulli piraticam permiſſurum ſpopondiſſe cenſendum eſt, & quamvis, an aliquid de Iadrenſium extorribus concluſum fuerit non exprimat Dandulus, tamen ſubdit

Anno 19. (Ducis) Iadrenſium profuga multitudo Nonæ commorantium ad cor ducti per ſuos nuncios Ducis gratiam humiliatis cervicibus miſericorditer implorant. Dux procerum, & populi deliberatione ſumpta more pii patris benigne illos ad gratiam ſuſcepit, & revocatis Venetis, qui ad Iadræ tutelam miſſi fuerunt, retento ſibi dominio, & mero, & mixto Imperio, & omni libera poteſtate eos in Iadram cum omnibus pertinentiis plene reſtituit, & Stephanum Iuſtiniano Comitem conſtituit, & diruptis muris maritimis Caſtrum in Iadra fundavit, ſed etiamſi Iadrenſes ex ſola humiliatione in patria bonisque reintegratos referat, tamen non videtur veriſimile Venetos tanti feciſſe profugos, ut Iadram propriis Civibus eriperent, eisdemque reſtituerent, ſed potius in gratiam Regis (qui eorundem protectionem ſuſceperat) in bonis, & patria reſtituiſſe: modum autem eosdem recipiendi ſtatuiſſe, quem Dandulus refert, ut ex capitulis, quæ apud aliquos Chroniſtas vulgari idiomate reperiuntur clarius conſtat.

1. Che Zaratini ciedono, & danno liberamente la Citta e territorio di Zara al Doſe, & al Comun di Venetia & promettono perpetua fidelita & obedienſa.

1. Iadren. cedunt, Civitatem & territorium Iadræ Duci & Communi Venet. & promittunt perpetuam fidelitatem & obedientiam.

2. Che i Zarattini habbiano l'elettion del'Arciveſcovo di Zara, il qual deba eſſer preſentado al Patriarcha de Grado, & confirmando, & conſagrado da lui.

2. Iadren. habeant electionem Archiepiſcopi Iadræ, qui præſentari debeat Patriarchæ Graden. & ab eo confirmari, & conſecrari.

3. Che al detto Arciveſcovo ſiano preſervade tutte le jurisdition, & privilegii conſueti poſſeſſi da i Archiveſcovi predeceſſori.

4. Che Chierizi debiano ogni anno in la feſta della Nativita, & della Reſſurettione del Noſtro Signor, cantar le laude della ſolennita del Doſe di Venetia, & Patriarcha, e Conte, & Arciveſcovo per il che recevano la beneditton conſueta nella meſſa ſolenne della Chieſa Cathedral pregando Dio per la conſervatione del Commun di Venetia promettendo eſſi prima, & poi i ſuddi-ti della Citta per nome di tutto il popolo perpetua fede & obedienſa.

5. Che i Zarattini accettino per ſuo governo un Conte mandato, & eletto dal Conſe jo de Venetia, il qual ſtia in quel rezimento quanto tempo ghe ſara limitado dal Doſe, el qual Conte habbia il governo libero di quella Citta in ogni negotio amminiſtrando Giuſtitia coſi nella roba come nelle perſone, & in tutte le coſe occorrenti per ſalute di quella Citta, & per honor, & conſervation del Comun di Venetia; Reſervando pero i patti compreſi in quelli capitoli, dovendo quella Citta haver li ſuo i affitiali conſueti ſenza pregiuditio de alcuna forte del ditto Conte.

6. Che mandino i Venetiani appreſſo il Conte doi Conſigleri per governo di quella Citta.

7. Che per ſalario del detto rezimento debano dare ogni anno li Zarattini lire do mille Venetiane.

8. Che il Conte debba haver tutte le ſue ragione, & honoranze conſuete come li altri Conti ſolevano havere.

9. Che il Conte debia haver per ſua habitatione la caſa che fu de quond. Damian Varicaſſi con tutte le ſue habentiæ & pertinentiæ, & ſia aſſegna da af Angelo Moreſini eletto Conte di quella Citta.

10. Che ſe accadeſſe che il Doſe per qual che occorrenza andaſſe a Zara, poſſa volendo abitar nell' Arciveſcovado, overo ſiano obligadi de darghe una caſa honorevole, e conveniente alla Dogal dignita.

11. Che accadendo a Venetiani de far armada che debba paſſar il numero de trenta galie, le quali paſſino Raguſi, debano i Zarattini dar un homo per caſa, che ſtiano di continuo a ſervir ſu la detta armata fin che ella ſtara fuora per li occorrenti biſogni di Venetia.

12. Che fazando eſercito li Venetiani non poſſino i Zarattini dar ne ajuto ne favor, ne in paleſe, ne occulto a i nemi ci de i detti.

13. Che a ogni richieſta del Doſe debano li Zarattini mandar a Venetia 90. homini a Zurar fedelta, & a renovar il ſagramento a i quai ſia fatto le ſpeſe del Comun di Venetia.

3. Dicto Archiepiſcopo præſerventur omnes jurisdictiones, & Privilegia conſueta, quæ habuerunt Archiepiſcopi prædeceſſores.

4. Clerici ſingulis annis diebus feſtis Nativitatis, & Reſurrectionis Domini noſtri canere debeant laudes Duci Venet. Patriarchæ, Comiti, & Archiepiſcopo propter quod accipiant conſuetam oblationem in Miſſa ſolemni Eccleſiæ Cathedralis rogando Deum pro conſervatione Communis Venetiarum, promittendo primo ipſi, & poſtea Cives nomine totius populi perpetuam fidem, & obedientiam.

5. Iadren. recipient Comitem electum a Conſilio Venet. qui ſtet in illo regimine, quanto tempore ipſi præſcriptum fuerit a Duce, qui Comes habeat liberum Regimen illius Civitatis, juſtitiam adminiſtrando tam in res, quam in perſonas, & in omnia quæ ſpectant ad ſalutem illius Civitatis, & honorem & conſervationem Communis Ven. reſervatis tamen pactis comprehenſis in illis capitulis; habereque debeat illa Civitas officiales conſuetos ſine aliquo præjudicio dicti Comitis.

6. Veneti præter Comitem mittant duos conſiliarios pro regimine illius Civitatis.

7. Iadren. pro ſalario dicti Regiminis dare debeant ſingulo anno lib. 2000. Venet.

8. Comes habeat omnia jura & honorantias conſuetas prout alii Comites habere ſolebant.

9. Comes habere debeat pro ſua habitatione domum quæ fuit quondam Damiani de Varicaſſis cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, & aſſignetur D. Angelo Mauroceno Comiti electo illius Civitatis.

10. Si accideret Ducem aliqua occaſione Iadram venire poſſit ſi velit habitare in Archiepiſcopali Palatio, vel Iadren. teneantur dare domum convenientem Ducali dignitati.

11. Si contingat Venetos Claſſem inſtruere excedentem 30. triremes, ultra Raguſium navigaturam, præſtare teneantur Iadr. ex ſingulis domibus ſingulos homines, qui continuo ſtare debeant in prædicta Claſſe quod in expeditione erit.

12. Si Veneti exercitum conſcriberent Iadrenſes non poſſint præſtare favorem, vel auxilium palam, vel occulto hoſtibus ipſorum.

13. Iadrenſes ad omnem requiſitionem Ducis mittere debeant Venet. 90. Cives ad jurandam fidelitatem, & renovandum ſacramentum quibus fiant expenſæ a Communi Ven.

14. Che

14. Che non paſſano i Zarattini reſar le mura della Citta, ne refabricar le coſe rovinate nella preſente guerra ſenza licenza eſpreſſa del Doſe.

15. Che per il Comun di Venetia ſia mandado un Caſtellan a Zara il quale habiti nel Caſtello e lo cuſtodiſca & habia in guardia anche tutta la munition.

16. Che quindeci Zarattini, che ſono ſta capi, & autori de queſta ultima rebellion debbano perſolnamente vegnir ad habitar a Venetia, e ſtarghe cinque anni continui a i quali ſia fatto ſalvo condotto, eſſendo pero obligadi tegnir le ſue famete dentro della Citta de Zara.

17. Che per honor, & reverenza del' altezza Dogal debbano li Zarattini mandar 200. homini armadi 100. de i quali ſiano eletti a volonta del Doſe, li quali per nome de tutta la Citta genu fleſſi, & proſtrati in terra dimandino perdonanza dell' error commeſſo.

18. Che a Zuanne Michiel ultimo Conte de Zara, & deſcazzado da quella per la rebellion ſiano dadi per la ſodisfation dell' in Zuria ogni anno dal Comun di Zara, fin che il detto vivera lire 200. Venetiane.

19. Che al detto Zuanne ſiano reſtituidi tutti li ſuo beni, & poſſeſſioni che l' haveva vel territorio de Zara.

20. Che li Zarattini de bano dar in quattro anni ri heredi del quondam Zuanne Erizzo che foammazato in Zara lire 4250. Venetiane.

21. Che i Zarattini, che condurranno legne da Nona a Zara debbano tegnirle, & venderle a volunta del Doſe i vero del Comun de Zara.

22. Che li Zarattini predetti, che intraranno in la Citta de Zara ogni volta che ſaranno rechieſti dal Doſe, e dal Commun de Venetia, e li Nontii de tutta Zara a mazor conformita, & a piu piena deliberation come in la predetta publica convention, patti, promiſion, obligation, & condition approveranno, & prometteranno per eſſi, & ſuoi heredi, & ſucceſſori col Zuramento per ciaſchedun de tutte, & cadaune coſe fare, & conſervare in perpetuo & non controvegnir per alcun modo.

Et coſi tutte le ſopradette coſe noi Papo de Petroni, e Griſogono de Mauro Nontii, ſinici, procuratori, & Auditori delli predetti Zaratini promettemo a voi Doſe noſtro, & noſtri ſucceſſori per el Commun de Venetia, & hiuramo per li Santi Evangelii de attender, adempir, & oſſervar fermamente in perpetuo, & in niun tempo controvenir in alcun modo & cauſa.

E coſi in obſervantia delli ſopradetti capitoli cento homeni dequelli de Zara vennero a dimandar perdono al Doſe ſecondo le conventioni ſopraſcritte.

14. Non poſſint Iadren. reſtaurare muros Civitatis, nec reædificare res deſtructas in præſenti bello absque expreſſa licentia Ducis.

15. Commune Ven. mittat Iadram Arcis Præfectum, qui in ea maneat, & cuſtodiat illam ſimul cum inſtrumento bellico.

16. Quindecim Iadren. qui fuerunt auctores ultimæ defectionis perſonaliter accedere debeant Venet. ibique quinquennium habitare fide publica inviolati: teneantur tamen ſuas familias tenere in dicta Civitate Iadræ.

17. Pro honore, & reverentia Celſitudinis Ducalis Iadren. debeant mittere 200. armatos; quorum centum eligi debeant ad voluntatem Ducis, qui nomine totius Civitatis genuflexi & proni in terram petant veniam erroris commiſſi.

18. Ioanni Michaeli ultimo Comiti Iadræ expulſo propter defectionem quotannis pro ſatisfactione injuriæ dentur a Communi Iadræ quoad vixerit lib. 200. Ven.

19. Dicto Ioanni reſtituantur omnia ſua bona, & poſſeſſiones quas habebat in territorio Iadræ.

20. Intra quadriennium numerare teneantur Iadren. hæredibus quondam Ioannis Erizzo qui occiſus fuit Iadræ lib. 4250. Ven.

21. Iadren. qui conducent ligna e Nona Iadram debent ipſa tenere vel vendere ad arbitrium Ducis, vel Communis Iadræ.

22. Iadren. prædicti qui ingredientur Iadram, quotiescunque requiſiti fuerint a Duce, & Communi Ven. & nuntii Iadren. pro majori firmitate, & pleniori deliberatione, ut in prædicta publica conventione, pactis promiſſionibus, obligationibus, & conventionibus approbabunt, & promittent pro ſe & ſuis hæredibus & ſucceſſoribus cum juramento omnia, & ſingula facere & ſervare in perpetuo, & non contravenire aliquo modo.

Et ita omnia ſupradicta nos Papus de Petroni, & Griſogonus de Mauro Nuntii, ſindici, Procur. & Auditores prædictorum Iadren. promittimus vobis Duci noſtro, & veſtris ſucceſſoribus pro Communi Venet. & juramus per ſancta Evangelia attendere, adimplere, & firmiter in perpetuum obſervare, & nullo tempore contravenire aliquo modo, & cauſa.

Et ita pro obſervantia dictorum capitulorum Centum viri Iadren. venerunt petere veniam a Domino Duce juxta ſupraſcriptas conventiones.

Li cento Zarattini, che eletti dal Doſe vennero a domandar perdonanza del error fatto li primi quindeſi de i quali furno quei che remaſeno adhabitar in Venetia.

Stephano de Pizua Iudice & Rettor de Zara.
Pietro Dalbor Conſigliator Camerario.
Berte de Matafarra.
Petrizo de fortis.
Pelegrin de Gemona.
Piero de Nicola.
Nicho de Lunoſco.
Andrea de Cotopagna.
Paulo de Impreſo.
Velluna de Matafarra.
Vitta de Leonardo.
Nicolizza Roſa.
Belgendario de ſiglia Zudeſi.
Pietro Dotre.
Micca de Paſcil.
Damia Vigazzo.
Marin de Gromegna Liſſizza.
Andrea de Petro.
Coſa de Petrognia.
Deſigna de Belfo.
Mazzo de Vitto.
Vincontro de Scandarella.
Petro de Raccolla.
Preſte de Bocaſſe.
Vita de Spinſola.
Mattio Serbizo.
Paulo de Silbo.
Zorzo Predetin.
Todaro de Stephano.
Stephano de Sorda.
Zorzi de Genzola.
Platum de Rollin.
Iacobo de Linizo.
Nicola de Doſilla.
Zuan de Pelegrin.
Micha de Petra.
Damian de Sorda.
Zan Franco. de Andrea de Petrichia.
Stefano de Fornus.
Micha de Zanonelli.
Micha de Carduſſa.
Mazo de Vitazzo.
Biaſio de Paſtaja.
Marin de Drobetaja.
Biaſio de Sope.
Vitazzo de Scolature.
Vitta de Morbiza.
Primo de Griſogono.
Marin Manaſſer.
Moro de Morgia.
Soppe de Grangio.
Marco de Strocalia.
Volmade Mataguizo.
Baldo de Stefano.
Marco Scuzbezzi.
Iſnello de Bleſi.
Draſci de Maltafora.
Leondardo Doria.
Andrea Gortagugna.
Marin de Scimiogallo.
Genimani de Pelegrino.

Centum Iadren. qui electi a Duce venerunt petere veniam erroris perpetrati, quorum primi quindecim remanſerunt Venet. ad habitandum.

Mica de Bajamonte.
Naſo de Rivaldo.
Plato Signorella.
Padromo de Domitorich.
Ciprian de Anaſtaſio.
Dobre de Nicola.
Dobreſſio Starlichi.
Mattio de Gaſtalda.
Damian de Piero Leonardo.
Vitta de Zuan Dolbia.
Nenzo Morina.
Piero de Zan de Liſſa.
Nicola Gever.
Zorzi Satella.
Prodo de Seriglia.
Carde de Zuanne Zugna.
Vitta Figaſolo.
Renzigna de Gulier.
Zuanne de Danello.
Mattio Gritaſſa.
Zuan Zuttomaja.
Draſci de Valle.
Damian de Varicaſſo.
Stefano de Lorenzo.
Stefano Palimarco.
Gregorio de Borria.
Marin de Zorzi de Petra.
Geremia de Tubarich.
Zepputta Beſca.
Merreda.
Petrigna.
Damian.
Egidio.
Figaſtrello.
Petro de Sinigia.

Hæc Capitula poſtquam perfecta fuerunt ea quæ continent, & centum Iadrenſes in eisdem nominati Venetiis coram Duce ſe præſentarunt, ex actis latino idiomate ſcriptis excerpta fuiſſe oportet, Chroniſtam autem capitula tantum in ſuo opere vulgari inſeruiſſe, tempus vero, reique geſtæ narrationem (quæ in ſimilibus præponi ſolet) omiſiſſe, inde incertum eſt, quo anno confecta fuerint; tamen cum Angelus Maurocenus Comes Iadræ electus cap. 9. nominetur, eundem autem Comitem Iadræ fuiſſe 1247. 1. Februarii conſtet. ideo Capitula ante Mauroceni Regimen confecta fuiſſe dicendum eſt, & hanc cum Iadrenſibus compoſitionem ante eadem Capitula alias agitatam ex verbis quinto Capitulo expreſſis *reſervando pacta comprehenſa in illis Capitulis* dignoſcitur; ideo priora hæc Capitula cum ipſo Rege Ungariæ concluſa ſcilicet anno 1244. die 3. Iunii, ut quidem Chroniſta refert, deinde per Legatos Venetos a Dandulo nominatos cum Iadertinis compoſita argui poteſt, cum in epiſtola Ambaſciatoribus pro executione

ne

ne capitulorum Iadram progressis Dux scribat, tractatusque præcedentes simul cum omnibus eorundem nunciis Iadertinorum, qui Capitulis subscripserunt memoret. *Iacobus Theupulus D. G. Ven. Dal. atque Croat. Dux D. 4. patris & dimidiæ totius Imperii Romaniæ Nobilibus & sapientibus viris Angelo Mauroceno, & ejus Consiliariis Marino Mauroceno, Stephano Iustiniano Raynerio Geno, & Ioanni de Canali Ambasciatoribus suis dilectis fidelibus sal. & dil. aff. ex parte conventus fratrum Prædicatorum de Iadra fuit coram nobis expositum conquerendo, quod concessione quarundam possessionum de Iadra, quas Nobilis vir Leonardus Quirinus tunc Comes Iadræ de nostro mandato fecit conventui supradicto, & nos postmodum simili modo eidem concessimus per nostras patentes litteras confirmantes, quidam Iadertini, quibus dictæ possessiones olim spectabant, impediunt toto posse, petentes tunc sibi restitui memoratas, verum quia nobilis vir Ioannes Bado varius fidelis noster dilectus, qui nobiscum Rayneri Geno interfuit in tractatu concordiæ Iadertinorum, & Gabriel Cancellarius Curiæ nostræ qui præsens fuit, interrogati a nobis dicunt, & asserunt, quod in tractatu concordiæ antedictæ mentio facta fuit de possessionibus nominatis. ut ipsas habere & tenere debuissent fratres Prædicatores, secundum concessiones sibi factas a nobis, & a Comite memorato, & quod super hoc responsum fuit a Magistro fratrum Minorum, qui erat tractator pro Nuntiis Iadertinorum; quod pro ipsis possessionibus restitutio fieret personis quibus spectabant ab universitate Iadertinorum, prudentiam vestram Rayneri Geno requirimus attentius, & rogamus quatenus si prædicta sunt in memoria vestra, nobis vestris literis hoc quam cito poteritis, significetis, etiam si vobis videbitur viros Nobiles Papum de Petrogna, & Grisogonum de Mauro nuntios Iadertinorum interrogare, & inquirere debeatis, scientes dictum Magistrum fratrum Minorum abesse, unde ipsum super his interrogare minime potuimus. Data in nostro Ducali Palatio die 7. intrante Novembris, Indictione 6.* Inde corrigendus est textus Danduli, & pro Stephano Iustiniano Comite, Silvester Iustiniano reponendus, cum is Comes fuerit 1248. 8. Aprilis & 5. Novembris. Stephanum autem simul cum Angelo Mauroceno, qui prius Comes fuerat, Ambasciatores, sive Sindicos constitutos fuisse ad componendas res Iadrensium restitutorum, nisi post hæc in Comitatu Iadræ Stephanus relictus fuerit, quod ex penuria scripturarum illorum temporum certiorari nequit.

In hisce duabus defectionibus, ex diversitate eventuum elici possunt ea, quæ a Scriptoribus prætermissa sunt, nam sicuti in prima, florente Vngarico Regno, Iadram in suo integro statu existentem a viribus Venetis tunc afflictis facile fuit defendere, ita vice versa in secunda, rebus Venetorum florentibus, Ungariaque desolata, nondum restauratam Civitatem facile captam fuisse, & sicut prima vice Iadrenses, ut patriam desolatam restaurarent, Insulasque recuperarent, Comitem quem dedignabantur recipere, coacti fuerunt, ita secunda, ut in patriam restituerentur, non solum unius Comitis, sed etiam duorum Consiliariorum absolutum dominium subierunt, arceque constructa, præsidio obnoxii fuerunt, propriis tamen legibus, & administratione rerum communis frui permissi fuerunt; exinde partibus, quæ Civitatem in sui perniciem divisam aberrare fecerant, cessantibus, sub temperato Venetorum dominio Iadrenses diu quieti vixere.

CAPUT VIII.

De Civitatum Maritimarum Comitibus Venetis, & Croatis.

Plures Cives Venetos Iadræ, Arbi, Auseri, Comites fuisse ex dictis constat; horum aliquos ab eisdem Civitatibus, aliquos vero a Venetis electos ex relatis a Dandulo, & scripturis elicitur. Quanti autem Comitatus Dalmaticos Veneti fecerint, dignoscitur ex eo, quod ut plurimum filios Ducum Dandulus nominet, & Petrum
1205. Ziani Ducem electum fuisse eo tempore, quo Comes Arbi existebat, & alios magistratus gerebat; cum Consiliarium quoque fuisse, quando in Ducem fuit
1174. electus, referat: Leonardum etiam Mi-
1206. chaelem ad Emanuelem, deinde vero Rogerium Maurocenum Ausererenses Comites Legatos Constantinopolim missos, idem Dandulus scribit, & de Marino Dandulo. *Marinus Dandulo Comes Iadræ, & nunc etiam potestas Tar, visii contra quosdam, Comitem, statum turbare nitentes, capitalem sententiam promulgavit. Quem Venetias redeuntem malefactorum propinqui nequiter occiderunt, magnaque inter Venetos ex hoc, & illos discordia exoritur. Comes vero Iadræ Io-* 1230. *annes Michael effectus est.* Regiminis autem eorum tempus non fuit uniforme; nam aliquos brevi tempore, aliquos vero longo præfuisse scripturæ docent: Dominicum enim Maurocenum Ducis filium anno quarto Ducatus patris Co- 1152. mitem Iadræ effectum Dandulus refert, eundemque Comitatui præfuisse usque ad 1180. ex scripturis supra relatis con- *lib. 3. c.* stat; ejus autem filium Rogerium Ab- 12. sarensem Comitatum ex successione uxoris habuisse, posterisque reliquisse, ex sequentibus conjici potest.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, anno Domini 1174. mense Augusti. Ind. 7. Rivoalto Quoniam ad nostri Ducatus regimina, quæ Deo propitio susscepimus, pertinent ut omni cura, & instantia quæ inor-

dinata ſunt proviſione congrua diſponamus. Ideo nos Sebaſtianus Ziani D. G. Venet. Dal. atque Croatiæ Dux, cum noſtris ſucceſſoribus per hanc præſentem conceſſionis cartam damus, atque concedimus tibi Rogerio filio Comitis Iadræ Caſtrum Keſſe cum omnibus ſuis habentiis, & pertinentiis intus, & foris uſque ad campum Lonis quod eſt verſus Arbes, quod quidem Caſtrum poſitum eſt in Inſula Pagi, quod eſt de jure, & pertinentia noſtra, noſtrique Ducatus ſicut te inveſtimus in præſentia plurimorum bonorum hominum, ideoque prædictum caſtrum cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis intus, & foris ſicut ſupraſcriptum eſt a die præſenti in antea tibi ſupraſcripta Rogerii Mauroceni pleniſſima poteſtate damus cum omni diſtrictu, & honore, ſicut nobis pertinet habendi, tenendi, faciendi, & inſuper omnes reditus habendi, tenendi, fruendi; atque omnes tuas utilitates faciendi, & hæc conceſſionis carta in ſua firmitate permaneat.

† *Ego Sebaſtianus Ziani D. G. Dux m. miſi.*
† *Ego Stephanus Baroci tt. ſſ.*
† *Ego Marcus Tanoligo tt. ſſ.*
† *Ego Marcus Maurec. qui interfui & tt. ſſ. rogatus ſum.*
† *Ego Ioannes Dandulo tt. ſſ.*
† *Ego Vitalis Faletro tt. ſſ.*
† *Ego Iacobus Baſilao tt. ſſ.*
† *Ego Mauritius Maureceni tt. ſſ.*
† *Ego Ioannes, Encio tt. ſſ.*
† *Ego Otto Ruſticus Presbyter, & Notarius, & Eccleſiæ Sancti Gervaſii plebanus complevi, & roboravi.*

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti anno 1203. *menſe Aprilis, Indi. ſexta Iadræ. Plenam & irrevocabilem ſecuritatem facimus nos quidem Henricus Dandulo D. G. Ven. Dal. atque Croatiæ Dux cum noſtris ſucceſſoribus. Tibi namque Rogerio Mauroceno Abſarenſi Comiti, & tuis hæredibus de toto hoc quod tu nobis dare, & ſolvere debuiſti, uſque nunc pro caſtro Keſſæ annuatim a modo igitur in antea inde ſemper ſecurus, & quietus permaneas. Igitur ſi contra hanc ſecuritatis cartam ire temptaverimus, componere promittimus cum noſtris ſucceſſoribus tibi, & tuis hæredibus auri libras quinque, & hæc ſecuritatis carta maneat in ſua firmitate. Signum ſupraſcripti Domini Ducis qui hoc præcepit fieri † Ego Marcus Dandulo tt. ſſ. Ego Leilovillo tt. ſſ. Ego Andreas Conrado presbyter, & Not. atque plebanus complevi, & roboravi.*

Eſſendo in tanto vegnudo a morte il Conte d' Oſſaro che era Bezeda Moreſin che havuto come all' hora ſe coſtumava quel contado per ſucceſſion l' haveva poſſeduto in vita ſua, li populi di quel Iſola comparſero davanti il Doſe e ſupplicorno che per il mazor Conſejo ghefoſſe manda un Conte che ſteſſe do anni, che poi finidi ſe ne elezeſſe un altro, & coſi ſe feſſe de tempo in tempo, fu grata alla Citta de Venetia la propoſta de Oſſereſi, onde poi fo eletto per il mazor Conſejo Andrea Doro che fu il primo che mandado dal conſejo andaſſe Conte in quel luogo; correva alora l' anno 1304.

Ego Ioannes Eccleſiæ Sancti Sylveſtri presbyter, & Not. ut vidi in matre teſtis in filia.

Petrus Ziani D. G Venet Dal. atque Croat. Dux Dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ. Venerunt ante noſtram præſentiam hæredes quondam viri Nobilis Rogerii Mauroceni, & conqueſti ſunt ſuper virum Nob. Ioannem Siſindolum de noſtro mandato Comitem Arbi, & ejusdem Communitatem, oſtendentes unum Privilegium continens in feudum eis conceſſum caſtrum Chiſſæ cum ſuis pertinentiis, quod violenter moleſtatur ab Arben unde prædictus Comes Arben. pro Communitate prædicta ante noſtram præſentiam ſuam oſtendit rationem vid. Privilegia antiqua, quæ facta fuerunt in tempore Creſimiri Regis Croatiæ; Audita, & intellecta utriuſque ſcript. cum noſtro Conſilio antiqua Privilegia Arben. confirmamus, alia vero Privilegia repudiamus, prædicta Privilegia Arben. firma, & inviolata in perpetuum maneant. Datum in noſtro Ducali Palatio Anno Domini 1205. *die* 3. *intrante men. Aprilis Indictione* 8.

1202. *die* 15. *Martii aſtante Ind.* 15.

Inſtrumentum per quod Daria D. G. Abſaren Comitiſſa una cum filiis ſuis Roberto & Petro Comitibus univerſæ Arben. Civitati promittit pro ſe & ſuis omnibus filiis, quod ſi Arben. filium ſuum Robertum Arben. Comitem facerent, omnia jura, & rationes, quas ipſa habet in Keſſa veterana, cum omnibus ad eam pertinentibus eis concedit, quod S. Communitas eam teneat, poſſideat, & utilitatem ſuam faciat quouſque prædictus R. Comes in eodem exiſteret comitatu, & ſi præfatus Robertus Comes cum præfato Communi illuc aliquos vellent conducere ad habitandum, qui ibidem habitaverint, reditus, quos ipſe Comes cum jam dicto Communi diſpoſuerint reddere debeant, & inſuper cum Comes ibi venerit prandium unum ipſi, & eis qui cum eo erunt, dare teneantur; hoc autem prandium ordinatum eſt pro recordatione tenutæ ejusdem pertinentiæ, conceſſæ dicto vero Co. Ro decedente, vel deficiente, ſi filius ejus vel frater Comes fuerit, prædictum locum Keſſæ prædicto modo teneat, ſin minus jura Comitiſſæ ad ipſam redeant, & Arben apud Arben. remaneant; Actum hoc eſt in Apſaro in Pallatio ejusdem Comitiſſæ.

1236. *tertia Iulii.*


Rogerius, & Leonardus filii quondam Petri Mauroceni Comitis Abſaren renuntiant Comiti Arbi Caſtrum Keſſe & Novaliam, quibus addenda ſunt verba Chroniſtæ Veneti.

Interea cum obiiſſet Bazeda Maurocenus Comes Abſari, qui comitatum habuerat per ſucceſſionem, & ut tunc moris erat poſſederat quoad vixit. Abſarenſes petierunt ut a majori Conſilio daretur eis Comes in biennium, & ſic fieret de tempore in tempus, quod gratum accidit Venetis, & a majori Conſilio electus fuit primus Andreas Dauro anno 1304.

Eun-

Eundem Bazedam Istrico bello præfuisse Dandulus memorat.

Marinus Beceda tunc Capitaneus, sed ut hæc Maurocenorum in Comitatu Absarensi succesſio melius conjiciatur, subdetur sequens succesſio nominatorum.



Comitatum quoque Curzulæ, & Mælitæ familiam Georgiam possediſſe Chroniſtæ Veneti asserunt, de quo quo Dandulus *Ducis (Rainerii Zeno) anno secundo Marsilius Georgio pro Venetis Comes Raguſii Curzolanus absque regimine fluctuantes cum aliquibus conventionibus sub suam protectionem suscepit, non sine Ducalis honoris dispendio, quem illi post biennium expulerunt, & postea cum navigiis armatis illuc accedentem susceperunt*, cujus controversiæ meminit Epistola Tragurinis scripta.

Rainerius Geno Ven. Dal. atque Croat. Dux, Dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, Nobilibus viris Rectoribus Tragurii, & ejusdem terræ Comiti amicis dilectis salutem, & dilectionis affectum. Cum de Comitatu Curzuli, & Mellet olim multæ quæstiones coram nobis, & Consilio nostro minori, & majori extiterint, & statutum, & ordinatum sit per nos, & nostrum Consilium minus, & majus, ut Nobili viro Marsilio - - - Comiti suo, & ejus, qui ad præsens mittitur ad dicti regiminis Comitatum vid. Nobili V. Iacobo Grimani, seu alii qui loco ejusdem Comes pro tempore fuerit obedire, tanquam Comiti suo in omnibus, & per omnia debeant, ipsum recipientes honorifice & benigne, banna, & præcepta, & ordinamenta ipsius, & sententias per eum latas, & ferendas in omnibus, & per omnia observando; Iura ad ipsum spectantia secundum consuetudinem terræ sibi omnia integre tribuendo; prudentiam vestram requirendam duximus, & rogandam, quatenus eidem Comiti, vel Iacobo Grimani, seu al. qui pro tempore ibidem fuerit, pro ejusdem Comite Consilium, auxilium, & favorem cum oportuerit ad manutenimentum ipsius regiminis præbeatis, nos quod inde feceritis gratum habentes vestra teneamur precamina libentius exaudire; Scientes quod Sclavis, & Latinis dictæ Insulæ mandavimus, ut dictum est quod eidem in omnibus tamquam suo Comiti debeant obedire. Datum in nostro Ducali Palatio die penultimo exeunte men. Novembris Indi. 5. (id est anno 1262) ex qua dignoscitur Iacobum Grimani loco Marsilii Georgio substitutum, ipsumque Marsilium absentem. Comitis Curzulæ, & Melitæ jus habuisse dicendum est, extat etiam alia ejusdem tenoris Epistola Ducis Ven.

Laurentius Teupulo D. G. Ven. & N. N. V. V. Rectoribus Tragu & ejusdem terræ Universitati, dilectis sibi salutem, & dilectionis affectum. Cum Nobilem nostrum dilectum in Comitem Curzulæ & Melletæ præsentialiter dirigamus. Prudentiam vestram requirendam duximus, & rogandam per nos & nostrum Consilium quatenus eundem Nobilem, & homines dicti Comitatus recommendatos habentes in his, quæ pro ipsius regimine facienda habuerit favorem vestrum, & auxilium taliter impendatis, quod preces nostras penes vos sibi sentiant fructuosas, & nos reputemus ad gratiam Datum in nostro Ducali Palat. die nono exeunte mens. Februarii Indi. 15. (id est 1272.)

Comitatum Curzulæ familiam Georgiam possediſſe usque quo cum cæteris insulis Regi Ungariæ tradita fuit 1358. ex Caroldo elicitur, qui Oratores Venetos post bellum Clodiense in Ungariam pro pace confirmanda missos 1381. . . . Septembris apud Regem de hac re verba feciſſe refert.

Dapoi li Oratori li espoſero come il Nobil homo Gio. Zorzi figlio del quond. M. Piero Zorzi che fu figlio de M. Gio. Zorzi Conte de Corzola de molto tempo in qua che non era memoria in contrario haveva tenuto, & posſeduto la iſo-

Deinde Legati ei expoſuerunt qualiter Nobilis Vir Ioannes Georgio filius quondam Petri filii Ioannis Georgii Comitis Curzulæ multo abinde tempore cujus non erat memoria in contrarium

la di Corzula, & che la Ducal ſignoria era ſtata contenta per ſotis fare a ſua Maeſta renunciar & ceder quella Iſola, & far commandamento ad eſſi de Ca Zorzi che ſi levaſſiro dal poſeſſo di quella, & per che era ſtata poſſeduta dalli detti Nobili pero pregavano ſua Maeſta che per reverentia del ſignor Idio lipiaceſſe haver per raccomandati detti de Ca Zorzi ; detta Maeſta a queſta parte riſpoſe con parole generali ſenza alcuna reſolutione, ma ben ſi conoſceva l' animo di quella non eſſer inclinato a ſodii far in cio la Ducal ſignoria.

tenuerat, & poſſederat Inſulam Curzulæ, & Ducalis dominatio ut morem gereret ſuæ Majeſtati renuntiaverat, & ceſſerat illi Inſulæ præceperatque ipſis Georgiis ut abſcederent ab illa, & quia poſſeſſa fuerat a prædictis nobilibus, rogabant ſuam Majeſtatem ut commendatos haberet dictos Georgios. Rex huic parti reſpondit verbis generalibus abſque aliqua concluſione, ita ut cognoſceretur ejus animus alienus a ſatisfaciendo in hoc Ducali Dominio.

Veglienſes quoque Comites inter Venetos reponi poſſunt, cum Venetorum ope Comitatum poſſederint, donec Ungaris adhærentes eundem amiſerunt, ut Dandulus refert. *Bartholomæus Comes Vegliæ cum Conſortibus ſuis, qui juramento fidelitatis Comitatum a Venetis recognoſcebat, recepto feudo a Rege Hungariæ ei totaliter adhæſerunt. Dux autem illos ut rebelles ab omni honore, & jurisdictione privavit, & Laurentius Teupolo ejus genitus illius ſurrogatus eſt, & Ioannes Teupolo alter filius Auſeri Comes efficitur*, quomodo autem feudum Vegliæ a Rege Ung. acceperint nulla memoria reperitur, ſed cum Regi Belæ, quando a Tartaris fugatus ad maritima deſcenderat, ingentem pecuniæ quantitatem, & ſupellectilia pretioſa dono dediſſent, & tunc inter Venetos, & Ungaros ob Iadram bellum interceſſiſſet, hac de cauſa ſuſpicionem Venetis præbuiſſe Comitatuque privatos argui poteſt, ut ex Privilegio ejusdem Belæ Comitatum Segniæ concedentis elicitur.

Bela D G. Ung. Dal. Cro. Ramæ, ſer. Gal. Lodom. Cumaniæque Rex omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in eo per quem Reges regnant, & Principes terrarum Regibus ſubjecti, convenit omnium nationum, & linguarum ſibi devote obſequentium taliter providere, ut alii ſupervenientes eorum exempla imitari ad fidelitatis opera ardentius, & ferventius evocentur. Proinde ad univerſorum tam præſentium, quam futurorum notitiam harum ſerie volumus pervenire quod cum propter ſcelera omnium hominum in Regno noſtro degentium, inſtigante antiquo humani generis inimico abundaverant, & plusquam arena maris multiplicaverant, nolens Deus eorum malitiam impune ulterius pertranſire, rabiem Tartaricæ gentis excitavit, per quos potentiam ſuæ Deitatis genti pro fide oſtenderet, & eos de terra deleret, propter quorum etiam peccata a nobis ſuam miſericordiam elongaverat, adeo quod per ipſos Tartaros in Campeſtri prælio convicti fugæ præſidio maritimas adiremus partes, & aquarum latibula quæreremus, quia eorum ſolatio eramus. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione & nobis fontem animæ aperire dignatus eſt, & ad conſolandum nos Fridericum, & Bart. Illuſtres, & ſtrenuos Viros Nobiles de Veglia quaſi de Cælo projecit, qui nobis in omni eorum parentela adhærentes inter promiſcuos actus fideliter exhibuerunt famulatus, & non modicam eorum pecuniam, quæ ultra viginti millia marcarum tranſcendit in ciphis aureis, & argenteis, & cum aliis rebus pretioſis nobis de bonis eorum præſentaverunt, & præſentando donaverunt, recompenſantes eorum ſervitia, & dona, de conſilio Dominæ Mariæ Chariſſimæ Conſortis noſtræ, & Baronum noſtrorum fidelium quamdam Civitatem noſtram circa littus maris exiſtentem Segniam vocatam cum omnibus ſuis utilitatibus, & pertinentiis univerſis ſimul cum tributo ſeu thelonio, & aliis circumſtantiis, & in eadem libertate, ſicut nobis ſervire conſueverat dedimus, donavimus, & contulimus ipſi Friderico, & Bart. infiliis filiorum perpetuo, & irrevocabiliter poſſidendam. Hoc etiam ſpecificando quod ſi quis hærede careret, hæres alterius finaliter valeat poſſidere. Ut igitur hujus noſtræ collationis ſeries propterea firmitate ſolidetur, præſentes eisdem conceſſimus duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus diſcreti viri Franquerii electi Arbeni Aulæ noſtræ V. Cancell. dilecti & fidelis noſtri Anno Domini MCCLX. Regni autem noſtri XX. eosdem tamen in Comitatu deinde a Venetis reſtitutos Dandulus refert. 1255.

Cæterum Schinella, & nati quondam Guidonis Vegliæ, qui Regi Ungariæ adhæſerunt a Duce de Comitatu privati, nunc Venetorum gratiam implorantes ſunt reſtituti benigne in Comitatu, & cæteris honorificentiis, quod ex ipſa inveſtitura clarius apparet.

In Chriſti Nomine Amen. Decet cuilibet Dominationis arbitrium amplecti liberaliter petitiones rationibus devotorum, eos præcipue ad exauditionis gratiam admittendaque non minus regnantium laudes, & quæ eorum commoda, & honores dignoſcuntur ; hinc eſt quod Raynerius Geno D. G Venet. Dal. atque Croatiæ Dux Dominus quartæ partis, & Dimidiæ totius Imperii Romaniæ cum noſtris Iudicibus, & ſapientibus noſtris de majori, & minori noſtro Conſilio, & collaudatione populi in publica concione attendentes puram fidem, & rectam devotionem, quam egregii viri Ioannes, Guido, & Henricus olim Comites Vegliæ ac ipſorum prædeceſſores ad nos, & præceſſores noſtros a Commune Venet. hactenus habuerunt ipſorum Comitum merita inſpiciendo, & benevolentiam quam erga ipſorum nobiles noſtri prædeceſſores per tempus præteritum habuerunt diſponentes eorum hæredes oſtendere opera per effectum, concedimus & confirmamus Viris Nobb. Schinellæ nato q. egregii Viri Comitis Bartholomæi Vegliæ ac ejus filiis Petro Schinellæ, Bartholomæo, & Friderico, Bartholomæo, & Guidoni filiis q Comitis Guidonis de Veglia, & eorum hæredibus maſculis in perpetuum, ita quod unus alteri ſuccedat univerſum Comitatum

Vegliæ

Vegliæ & Insulæ & Pervichii cum omnibus reditibus, juribusque, rationibus, honorificentiis, collectis, & regaliis suis ad eundem Comitatum, & Insulam sive Insulas spectantibus, ut ea omnia de cætero habeant, teneant, & possideant sine aliqua contrarietate, sicut ipsi Comites, & eorum prædecessores per tempus præteritum . . . habuerunt, & tenuerunt habendo sicut dictum est dictus D. Schinella Comes, & filii, & eorum hæredes medietatem totius dicti Comitatus, & prædicti Fridericus, & Barth. & Guido ac eorum hæredes aliam medietatem. propterea omnes dictum Comitatum regere & gubernare debeant secundum bonas, & antiquas consuetudines ipsius Comitatus, ac Comitatum manu tenere, & defensare bona fide ad nostrum, nostrique Comitis Ven. honorem, excepta coronata persona, & ipsius exercitu manifesto, nuncios autem nostros & Comitis Ven. ac Galeas & ligna currentia, quæ illuc per tempora adire contigerit, debeant recipere honorifice, & tractare benigne, inimicos autem Venet. Comitis ut inimicos reputabunt, amicos vero pro amicis habebunt, & dilectione mutua honorabunt, & non facient compagniam cum ullo Corsario, vel Societatem cum aliquibus ex eis contrahent, qui derobationem, piraticamque exercentes homines offendunt, vel offendere niterentur, sive alios undecunque, sive Venetiis venientes, & de Venetiis redeuntes, & est sciendum quod per dictam concessionem ipsius Comitatus solvi, & dari debeat Communi Venet. libræ nongentæ Venet. par. de quibus lib. 900. medietatem soluere, & dare debeant D. Comes Schinellus & filii, ac eorum hæredes quibus concessa est medietas dicti Comitatus, & aliam medietatem solvere, & dare debeant prædicti Frid. & Bart. & Guido, & eorum hæredes, quibus alia medietas dicti Comitatus concessa est; De quibus habere debemus nos Dux pro salario nobis concesso libras DCC. Ven. par. & libras CC. habere debeant N. T. Laurentius Teupulo donec vixerit, & eo decedente di lib. CC. in Comite Venet. debeant libere devenire; Præterea quandocunque pro Comite Venet. armabuntur galeæ, vel a triginta superius amari debeat una Galea per homines ipsius Comitatus eorum expensis, & si magnitudo Venet. ibit per partitionem, quod unus ex Comitibus de domo Vegliæ ibit personaliter in dicto exercitu, & stabit donec alii Nobiles de Venetia morabuntur eorum Comitum sumptibus, ac expensis. Item quod infra decem annos proxime venturos debeant, & teneantur dicti Comites tam Comes Schin. & filii, & eorum hæredes, quam prædicti Frider. Barth. & Guido, & eorum hæredes ponere in Venet. in possessionibus librarum decem millia Ven. par. ponendo videlicet a quatuor annis proximis in antea quolibet anno, tantum, quantum sufficit pretii pro rata in depósito pro ipsis possessionibus comparandis, de quibus medietatem prædicti Fridericus Bar. & G. & eorum hæredes, aliam medietatem prædictus Schinella, & filii, & eorum hæredes ponere debeant, & si acciderit quod Comitatus ipse in nobis remaneat per defectum masculinorum, qui non essent in Domo Vegliæ, dictæ possessiones ipsis remaneant libere, & eorum hæredibus ad faciendum ex eis pro anima, & corpore quidquid voluerunt ordinare: Item quandocunque nobis, & nostris successoribus, & Comiti Venet. necesse fuerit habere gentem pro Comiti Ven. usque C. vel CC. homines pro tali soldo qualiter dabitur Ven. & quandocunque frumentum valebit in Ven. in triginta solidos par. superius pro quolibet staro, dabunt operam dicti Comites bona fide dum vixerint æqualiter quod de Comitatu prædicto, & aliis terris circum adjacentibus in majori quantitate, quam poterunt conducatur Venetias ad vendendum, & est sciendum quod decedentibus omnibus Comitibus supradictis, & hæredibus masculinis ita quod nullus masculus supervivat, dictus Comitatus cum omnibus supra concessis in nos, & Comite Ven. debeat libere devenire, quem regi, & tenere facere debemus secundum bonas & antiquas consuetudines in ipso Comitatu obtentas; Nobis quoque Duci, nostrisque successoribus, & Comiti Ven. tam ipsi Comites qui nunc sunt quam eorum hæredes, qui pro tempore fuerint infra unum annum postquam pervenerint ad ætatem fideles erunt sacramento astricti in perpetuum, & omnia quæ continentur superius cum eorum hæredibus ipsi Comites nobis supradicto Duci, & successoribus nostris & Comiti Ven. sacramento astricti se observaturos promiserunt, nisi remanserit per nos aut successores nostros vel majorem partem nostri Consilii ita tamen quod non possint, nec debeant esse ex dictis Comitibus, nisi duo rectores, quibus de honorificentiis Comitatus debeant respondere & si aliquis ex dictis Comitibus terram exierit, vel casu absens fuerit, unus alius debeat esse Rector de Colonello illo, de quo fuerit, qui absens erit, & si omnes dicti Comites erunt extra terram, constituant unum vel duos Rectores, sicut eis utilius apparebit, & si omnia sicut continetur superius observata non fuerint, pars Comitatus illius, qui contrafecerit amittatur cum omnibus supra concessis, & in alios deveniat, de cujus Colonello fuerit observatum. Quæ superius dicta sunt, donec ille, qui contrafecerit ad nostram, & Comitis Ven. fuerit gratiam restitutus: si vero omnes prædicti Comites, vel eorum hæredes contra prædicta fecerint, prædictus in nos & Comite Ven. cum omnibus supra concessis devenire debeat cum omni plenitudine rationis ad faciendum exinde quicquid nostræ nostrique Consilii voluntatis fuerit secundum bonas & antiquas consuetudines in ipso Comitatu obtentas, ipsum regi, & teneri facere debemus, & sciendum quod prædicti Comites sunt, & esse debeant de nostro majori Consilio, sacramento astricti quando per tempora Venetiis erunt, & ad majorem hujus rei firmitatem, & evidentiam pleniorem, præsens Privilegium fieri jussimus, & per manum Corradi Cur. nostræ Cancell. roborari. Currente anno Domini MCCLX.

Ego Rainerio Geno D. G. Dux Ven. &c.
Ego Ioannes Quirinus Iudex.
Ego Ioannes Cradenicus Iudex.
Ego Gibertus Dandolus Iudex.
Ego Marcus Tolulus Consiliator.
Ego Marsilius Georgii Consiliator.
Ego Marcus Aurio Conciliator.
Ego Tomasius Mauroceno Consiliator.
Ego Nicolaus Quirinus Consiliator.

Ego Corradus Ducalis Aulæ Venet. Cancellarius his omnibus interfui, & de mandato ipsius D. Ducis scripsi, complevi, & roboravi &c.

Ita Comites Veglienſes Nobiles Veneti effecti inter Comites Venetos pro Veglia, inter Comites vero Croatos pro Segnia cenſebantur, hacque de cauſa in inveſtitura Vegliæ excepta fuit *coronata perſona* ſcilicet Rex Ungariæ cujus feudum Segniam poſſidebant: Patriciatumque Venetum ſervarunt etiam eo tempore quo Veglia ſub dominio Ludovici Regis Ungariæ reperiebatur uſque ad annum 1381. nam cum adhuc Segniæ ex antiquo inſtituto Conſul Venetus moraretur, vexillumque Divi Marci erigi ſoleret, utrumque Rex vetuit, in tractatu itaque pacis Veneti Regis arbitrio permiſerunt, ut vel antiqua ipſorum jura Segniæ ſervarentur, vel his ablatis Comites Vegliæ, & Segniæ honoribus, & privilegiis quæ Venetiis habebant privarentur, ut Caroldus refert.

Comites autem Croatas maritimis civitatibus præfuiſſe Archidiaconus, & ſcripturæ teſtantur, horum autem Caciclos cæteris præpoluiſſe ex dictis patet, & cum Domaldus filius Saraceni Comes Sibenici terram in Cetina beneficio Regis conſequutus, Comitatibus quoque Trag. Spalati, & Cliſſi præfuiſſet, in ſuperbiam elatus infeſtus omnibus evaſiſſet, Regiaque mandata ſperneret juſſu ejusdem a Breberienſibus debellatus fuit.

Hinc ſuſpicari licet hunc Domaldum eundem fuiſſe cum Molduco Duce Cacitorum, cui Andreas Rex minatus eſt ob damna inſulis, & Spalatenſi agro illata, ejusdemque filios Almiſi Piraticam exercuiſſe, eaque ſedata, cum Tragurienſibus paternas controverſias proſequendo contentionem de agris uſurpatis habuiſſe, ut latius in patriæ Chronico expenditur, quibus debellatis Caciclorum potentia ſimul cum relata Almiſanorum Piratica evanuit. Exinde in Croatia maritima duæ familiæ eminere cœperunt, jurisdictioneque beneficio Regum dilatata a Comitatibus Corbaviæ, & Vreberii Cognomen ſumpſerunt, de quibus, præſertim de Breberienſibus, ſæpe mentio facienda eſt.

CAPUT IX.

De Comitibus Breberienſibus, & Piratica Almiſanorum renovata.

NObiles de genere Subich ob ſervitia Regibus præſtita Comitatu Breberienſi donati, ab eodem Cognomen ſortiti ſunt, ut ex confirmatione Regis Belæ conſtat.

In nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ unitatis Amen. Bela D. G. Hung. Dal. Cro. Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæque Rex in perpetuum. Regum celſitudo regit, & ſublimiori debetur dignitati, ut intuitus ſui oculos tanto jucundius in ſuos fideles iniiciant, quanto ipſa fidelitas, per quam Regum, Regnorumque omnium potentia roboratur, cæteris virtutibus poſitis eſt merito præferenda, & amplioribus præmiis attollenda, præſertim cum hominibus infectis corruptela ſæculi ſeneſcentis quo rarior, reperitur, eo charior ſit habenda, & ardentius amplectenda. Hac igitur conſideratione inducti, tenore præſentium ſcire volumus univerſos, quod, cum fideles noſtri Stipcho Comes, & Iacou filii Comitis Stephani, Gregorius, & Daniel Comes filii Bribigne Comitis, & Obrad, nec non & nepotes ejus filii videlicet Co. Budislavi Nobiles de Berberio a primævis ipſorum temporibus paternis veſtigiis inhærentes tam grata ſemper fidelitatis obſequia, & ubique attollenda coram noſtræ Majeſtatis oculis ſtudioſius impendiſſent, ut expugnatis, & effugatis Damaldo, & Boyzin, ac cognatis eorundem quia a fidelitate debita aberrarant, contra multos etiam alios adverſus Regiam Majeſtatem reſultantes in prælio navali, & terreſtri ſæpe ac ſæpiſſime . . . & laudabilem victoriam obtinuiſſent, & triumphum per omne ſpatium temporis in omni ſervitio noſtro immobiles præſtiterint, ad hæc, cum tempus perſecutionis Tartarorum qualitas temporis, & negotii ad partes maritimas nos expuliſſet . . noſque fideles noſtri ut devoti ſedulo receptantes, univerſa quæ habebant ad noſtrum expoſuerunt præceptum, & mandatum, ſuas perſonas contra inſultus Tartaricos, & alios diverſos fortunæ caſus multipliciter exponendo, quoſdam qui in ipſo eventu ſe erigere, & extollere contra nos intendebant, commendabiliter repreſſerunt. Nos igitur quibus ex officio Regiæ dignitatis incumbit metiri merita ſingulorum, & ſingulis . . . devota eximia bonorum actuum prorogationem memoriter retinentes Comitatum Breberien. cum omnibus utilitatibus ac pertinentiis ſuis a progenitoribus noſtris eis liberaliter datum eſt, collatum, ac inclitæ recordationis patris noſtri Privilegio roboratum, quod tamen caſu dicitur amiſſum plene, & pacifice eiſdem duximus confirmandum, ut tam ipſi, quam ipſorum hæredes, hæredumque ſucceſſores in perpetuum poſſideant pleno jure. In cujus confirmationis, & collationis memoriam, & perpetuam firmitatem præſentes conceſſimus noſtras impreſſione aureæ bullæ noſtræ roboratas. Datum per manus Ven. Patris Benedicti Archiepiſcopi Colocen. Aulæ noſtræ Cancell. Reverendo Stephano Archiepiſcopo Strigon. Raſcho Cenadien . . . . Ultraſilvano Zaland Veſprim, Goymone Vuacien. Philippo Zagrab. Iacobo Agrien. Achille Quinque eccleſienſ. Archidapifer Iaurien. Vincentio Varadien. Epiſcopis Eccleſias ſalubriter gubernantibus, Magcis . . . . . Præpoſito Alben. Aulæ noſtræ Vice Cancell. Rollando Palatino, & Comite Poſonien. Stephano Bano totius Sclavoniæ. Chach Magiſtro Tavarnicorum noſtrorum & Comite ſuper. Laurentio Vaivoda Ultraſiluan. Comite de Dolcon. Paulo Iudice Curiæ noſtræ, & Comite Zaladien, Dionyſio Zouguexan Stenico Sumigien. Nicola Magiſtro Dapifernorum noſtrorum, Bagon Magiſtro Pincernarum noſtrorum, & Comite de Bacca Emoys Mareſchalo

schalo, Benedicto Marunienſi Nicolao Ferrei Caſtri, Dominico Zavaien. Hon. Varoſdien. & aliis quam plurimis Magiſtratus, & Comitatus tenentibus . . . . Anno Domini Mill. CCLI. nono Kal. Decembris, Regni autem noſtri ſextodecimo.

Iidem Breberienſes Comites ſicuti Comitatus quoque Trag. Spalati, & Sibenici pluries rexerunt, ita Stephanus Banatum totius Slavoniæ conſecutus eſt; Rex namque Bela, poſtquam cum Venetis convenit, & Iadrenſes in patriam reſtituti fuere, res maritimas componere intentus, hunc virum elegit, quem quanti faceret Epiſtola ejuſdem Tragurinis ſcripta teſtatur.

Bela Dei Gratia Rex Hun. dilectis & fidelibus ſuis Iudici & univerſis Civibus Civ. Trag. ſal. & gratiam. Quando diuturna in vobis fidelitas per ſucceſſiones temporum continuum circa nos ſuſcipit incrementum, ſicut per opera veſtra patuit, & nunc claret; dignum ducit Excellentia Regia vobis gratiarum actionibus ſimul, & operibus occurſare. Super moleſtiis, ſi quidem vobis, ut ex quærimoniis veſtris ſuſcepimus irrogatis, quamque mentem quietudinis noſtræ quædam turbatio immutarit ad præſens, tam propter ſucceſſus diverſos proſperos, & jucundos quibus pius Deus animum Regium egregiis ſuæ benignitatis muneribus illuſtravit, celſitudinis Regiæ dexteram multiformiter roborando: Non putavimus vobis aliquid juvaminis impertiri, reputantes vos quantotius rep. . . . . ſi propter inſignia noſtra, & ardua veſtri minores articuli retardentur, quod noſtra ſolemnitas, cujus adminiculo veſtris & aliorum ſubditorum noſtrorum utilitatibus, potentius proſpiciemus. Foret propter quævis modica ſibi dilata. Verum ſuper his & aliis, quæ noſtris incumbunt humeris reformandæ. Ecce prædilectum, & fidelem noſtrum Stephanum Banum totius Slavoniæ, quem profecto virum, ſecundum cor noſtrum invenimus ad partes maritimas tranſmiſimus, dantes ei plenam auctoritatem reædificandi, & plantandi honeſtos, & probos, ac etiam reprobos deſtruendi, qui profecto non deſtructor, ſed potius conſtructor non diſperſor, ſed congregator, nec raptor erit, ſed magis innatæ fidelitatis, & prudentiæ ſtudio magnificus conſervator, cui tamquam nobis in omnibus pareatis eidem diſcretionis veſtræ conſiliis, viriumque veſtrarum auxiliis occurſando ſtudioſiſſime ut ſoletis, cui etiam ſpecialiter præcepimus, ut vos diligat ſpecialius conſovendo. Nos quoque circa partes conſinii hujus moram concedente Domino trahemus, & eidem Sanct. Bano qui jam nunc eſt in veſtra, & vobis proximus, & expedierit nos per grata ſubſidia exhibere. Datum in Vuaska 11. Nonas Aprilis.

Et quamvis, quo anno data fuerit, & per conſequens quando Banatum Stephanus cœperit, diſtingui nequeat, tamen poſt annum 1245. (quo Ladislauus erat Banus Slavoniæ) datam fuiſſe oportet, Stephanum mentem Regiam optime exequtum ex pluribus conſtat, nam tunc mutuas offenſiones inter Spalatenſes, Tragurien. Sibenicen. Iadren. & Arben. ſublatæ, commerciaque reſtituta fuerunt, nec leve fuit ejus providentiæ argumentum, littus continentis deſertum, habitationi deſtinare, locum enim opportunum novæ Civitatis condendæ eligens proximis Arbenſibus in Coloniam dedit, conditionibus, quæ tam ſuo Regi quam Venetis conducerent, ut ex eadem conceſſione patet.

Nos Stephanus Banus totius Sclavoniæ, volumus ſcire univerſos quod nos conſiderata fortitudine montis Iablanich, & inſpecta utilitate ejuſdem, collocare volumus novam Civitatem ad honorem Domini Regis Ung. ſuper eodem. Populi autem Arben. Inſulæ miſſis ſolemnibus nunciis ſuis, videlicet Iudice Andrea de Cotopagna, & Domigna Gambetta a nobis locum in eadem Civitate Iablanichiis qui ex ipſis ſe ibi collocare voluerunt clare poſtularunt, promittentes, quod in ipſum, & in ipſam Civitatem populos congregarent, & utilem facerent illum locum amœnum cum noſtro adjutorio ad commodum D. Regis, & honorem, quorum condignas petitiones admittentes nos, locum eis, qui ex ipſis illuc conveniunt ibi moraturi duximus concedendum, ita videlicet, quod unum Caſtellum in vertice ipſius montis omni expenſa noſtra pro D. Rege ædificetur circumquaque autem pro utilitate populi ibi commorantis, eandem libertatem, qua utuntur Tragurien. & Sibenicen. & aliæ Civitates Regis in maritimis juxta mare conſtitutæ; Hoc autem expreſſe conſituimus, quod Comitem ſibi habeant eligere de regno D. Regis, & de fidelibus ejus quemcunque voluerint, Iudices vero & Conſiliarios eligant ex populis Arben. in eadem Civitate commorantibus; ſic autem iidem populi Arben. illum locum Iablanich utilem, & amœnum, ac forum in eadem facere potuerint cum noſtro adjutorio, ut promiſerunt, quarta pars totius lucri, & tributi, quæ pro D. Rege, & pro D. Bano tam de foro, quam aliunde in eadem Civitate exiguntur, ad uſum populorum Arben. cum tota familia domus ſuæ ad honorem Regis in eadem Civitate commorantium miniſtretur, tres vero partes ad uſum Regis, & Bani recipiantur. Si quis ex populis Arben. cauſa negotiationis per Regnum Domini Regis ire voluerint liberam eundi, & redeundi facultatem habeant; Nullus quidem præſumat illum impedire, vel aliquatenus moleſtare; Sin autem illum contingat in Regno Regis amittere bona ſua, nos puro corde, & vera fide conabimur, requirere ablata fideliter una cum eodem. Adverſarii quippe, & inimici Arben. morari in eadem Civ. volentes, non ſuſcipiantur ullo modo. Mercatores autem Arben. in eadem Civitate Iablanich nullum tributum ſolvere teneantur. Terras autem ad Iablanich pertinentes vid. a Scroniza uſque ad Scriſam habitatoribus Iablanich relinquimus pacifice poſſidendas, nec animalia extraneorum illas a modo depaſcantur ſine illorum voluntate, neque colantur ab extraneis ullo modo. Vt autem hujus ordinationis ſeries factæ ſalva conſiſtat, præſentem paginam noſtram munimine ſigilli noſtri conceſſimus, quam Illuſtris D. Rex Ungariæ ſuis Regalibus litteris ſi ad ipſum pervenerint, ſi hæc præmiſſa provide ordinata eſſe ſibi digноſcentur, Dat. in Breſan. Anno Domini 1251.

Cum deinde Segnienſes quoque Comites in ſuo antiquo Comitatu Vegliæ

a Venetis reſtituti fuiſſent, & ex concordi Venetorum & Ungarorum voluntate Dalmaticarum Inſularum cum proximo continentis littore commercia reſtituerentur, quieta navigatio inter Occidentales Dalmatas, & Croatas continuavit; in Orientali autem parte, ſicuti Banus præteritas diſſenſiones ſedare ſtudebat, ita quoque uſurpationes Comitum Caciclorum (qui adhuc Almiſi dominabantur) repræſſit, & Tragurienſibus terras
1256. ab eiſdem uſurpatas adjudicavit. Iadren-
1258. ſes quoque cum Anconitanis compoſuerunt, inde terra marique res quietæ in univerſa Dalmatia, & Croatia ipſo vivente, fuerunt. Sed eo mortuo diſſenſiones inter maritimas Civitates, & inter ipſos Comites Croatiæ controverſiæ multæ memorantur, cum deinde Regi Belæ Stephanus filius ſucceſſiſſet anno
1270. 3. 1270 (ut tabulæ Cancel. Trag. & ejuſ-
Iunii dem Privilegia teſtantur, quidquid ſcri-
1270. bant Thu. & Bonfinius) quem tertio an-
26. *Iulii.* no Regni ſui mortuum manuſcripti annales Thu. & Bonfinius conveniunt; eidemque filium Ladislaum ſucceſſiſſe manuſcrip. anno 1273. Bonfinius vero 1276. aſſerunt; qui ex tabulis ejuſdem Cancel. corrigendi ſunt, referunt enim hæc.

1272. *die ultimo Auguſti ab hic in antea voluntate Conſilii debet ſcribi Regno Ungariæ vacante*, & infra.

In Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti Amen; Anno ejus a Nativitate 1272. *Indictione* 15. *temporibus D. Ladislavi Sereniſſimi Regis Ung. & D. Columbani Epiſcopi Trag. & N. V. D. Pauli Poteſtatis, & Dominorum Valentini de Kaſariza, Duymi de Cega, & Deſe Petri Iudicum Civ. Trag. die dominico* 13. *exeunte Septembris venit dictus Poteſtas, & venerunt litteræ dicti D. Regis quatenus erat coronatus Rex.*

Litteræ quoque eædem in Archivo Communitatis extant.

Ladislaus D. G. Rex Hung. fidelibus ſuis judicibus Conſiliariis totique Communitati de Tragurio ſalutem, & gratiam. Veſtra noſcat fidelitas, quod nos ſimus Regni noſtri diademate inſigniti, & coronati gratiam per Divinam Regesque & Principes Regnorum circumquaque adjacentium ſunt nobiſcum in bona pacis unione, quare vobis firmiter præcipientes mandamus, quatenus circa ea quæ nos, & Ioachimum noſtrum Banum dilectum contingunt tali fidelitate procedatis, ut vos omni bono proſequamur; ſciatis enim quod quamvis ſimus ad præſens puerili in ætate, tamen Domino propitio habemus poteſtatem nobis inſurgentes potenter coercendi. Unde ſi aliquid infidelitatis in Corda veſtra aſcendet, nec ſuper aquis, nec in terris evadetis manus noſtras, volumus igitur quod majores ex vobis veniant ad nos, ſicut ad Dominum ſuum naturalem feſtinanter, ac ſine timore, & aliud facere non præſumant. Datum Albæ in quindenis Sancti Stephani Regis.

Ex qua Epiſtola apparet Ladislaum in puerili ætate ſucceſſiſſe, quod Ungarici Scriptores referre omiſerunt, Coronationemque ejuſdem in quindenis Sancti Stephani Regis ſecutam, id eſt die 30. Auguſti 1272. quod in tertium Stephani patris annum cœptum, ſed non completum cadit, prout manuſcriptus refert, & ex ipſo cæteri; quo Ladislavo puero pueriliter regnante ſicut in Ungaria maximas commotione ſequtass hiſtorici memorant, ita in Croatia Comites Breberienſes a paternis veſtigiis aberrantes, omniaque ex arbitrio diſponentes, Civitatibus maritimis graves eſſe cœperunt; inde turbata communi quiete diſſenſiones in Civitatibus maritimis, & piratica Almiſanorum renovatæ fuerunt.

Almiſani enim ſteriles montes incolentes, quotiescunque res in Croatia maritima turbabantur, ex opportunitate ſitus Piraticam renovabant, primæque moleſtiæ Venetis illatæ in epiſtola Ducis Spalaten. ſcripta memorantur.

Rainerius Geno D. G. Ven. & Nobilibus viris Rectoribus Spalati, & ejuſdem terræ, Communi ſalutem & omne bonum. Cum Draganus de Almiſo cum uno ligno armato providum virum Nicolaum Blondum fidelem noſtrum in aquis Sclavoniæ cum bonis, & rebus ſuis ceperit his diebus, prudentiam veſtram per præſentes requirimus, & rogamus quatenus ſi contigerit, viros de Almiſio ad partes veſtras accedere, deliberationem D. Nicolai, & reſtitutionem bonorum ſibi ablatorum, opem & operam noſtris precibus taliter exhibere velitis, quod idem Nicolaus preces noſtras ſibi fructuoſas ſentiret, ac per executionem veſtri operis ſe libertati priſtinæ gaudere reſtitutum, nos ue perinde veſtram poſſimus prudentiam de laudabili opere, ſicut cupimus commendare. Datum in noſtro Ducali Palatio 5. *intrante Ianuarii Indictione X.* id eſt 1268. Piraticam exinde continuatam, ex ſcriptura reſtitutionis ablatorum Tragurii facta Epiſcopo Zefaloniæ, & Mathæo Sanuto Civi Veneto conſtat, quæ pro rei dilucidatione integra prout in noſtris Cancell. reperitur, ponitur.

1273. *die* 15. *intrante Decembris D. Henricus natione Paduanus Epiſcopus Zefaloniæ, & Iacenti, poſitus in Civitate Trag. libere & abſolute non coactus, ſed ſua plena, & ſpontanea voluntate per ſuum ſacramentum, & officium confeſſus fuit, & dixit quod omnia quæ Banus Stanoy & Saracenus Curſarii de Almiſio cum ſuis ſociis ſibi abſtulerunt, ſua bona primo fuerunt, abſque rebus acceptis ibidem Alberigo not. Veneto Nuntio D. Mathei Sanuto Veneti, quæ eidem Alberto reſtitutæ fuere, & exceptis tribus - - f groſſorum, qui fuerunt naucherio ligni, cætera omnia ſua fuerunt, & non alterius hominis. Qui D. Henricus Epiſcopus prædictos omnes quietavit, & abſolvit de omnibus rebus ſibi ablatis, promittens per ſuum ſacramentum per ſe, nec per aliquam perſonam ulterius de rebus ſibi acceptis aliquid nec petere, nec exigere aliquo tempore jure aliquo, & eis ulterius litem nec moleſtiam non inferre, nec inferri facere, & ipſi Curſarii aliquo tempore de prædictis non teneantur aliter reſpondere, qui D. Epiſcopus prædicta juravit obſervare ut ipſe aſſerebat. Actum Tragurii in Eccleſia Monaſterii Sancti Ioannis,*

præſen-

præsentibus D. Gervasio Archidiacono Martino Canonico D. D. Valentino de Casarizza; Nicola Iacobi Vodovari, & Lompre ejus fratre, Duymo Domiche, Nicola Cosizze, Marino Mathei, & D. Iacobo Andreæ Nuntio Zadræ Testibus, & Stephano Maximi Puge examinatore.

Piraticam tamen Almisanorum magis invaluisse dignoscitur, eo quia Carolus primus utriusque Siciliæ Rex fœdus contra eosdem cum Spalat. & Sibenicensibus percussit, cujus tabulæ in utraque Civitate extant.

In nomine Domini Anno ab Incarnatione ejus 1274. *Regnante Illustrissimo D. N. Carolo Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ ac Principatus Capuæ, Almæ Urbis Senatore, Andegaviæ, Provinciæ, ac Folcolquerii Comite, ac Romani Imperii per Sanctam Rom. Ecclesiam in Tuscia Generali Vicario, anno Regni ejus X. die Martis quarto mensis Septembris, tertiæ Indictionis apud lacum Pensilos. Nos Bartholomeus de Straffis de Regio, & Iacobus de Varduno de Alba magnæ Regiæ Curiæ Iudices, & Mattheus Barabolus de Gajeta ejusdem magnæ Curiæ Actori Notarius, & subscripti testes ad hoc specialiter vocati, & rogati, præsentis scripti publici serie declaramus, quod inter dictum D. Regem ex parte una, & Iudicem Dobrenum, & Iudicem Heliam Sindicos actores, & Nuntios speciales terræ Sibenici, & D. Vulcimam Streze, & D. Privolaum Datche Sindicos Ambasciatores, & nuntios speciales Civitatis Spaleti nomine, ac pro parte Universitatum ipsarum terrarum ex altera consentientes in nos expressim tamquam in suos Iudices & Notarium, quem scirent dicti Sindici se non esse jurisdictionis omnia infrascripta pacta, & conventiones tractata concorditer, & firmata fuerunt solemni stipulatione, & omni juris solemnitate vallata.*

In primis de facienda una guerra per ipsum D. Regem, & Universitates prædictas terræ Dalmasii, & omnibus singulis ejusdem terræ, ac fautoribus, coadjutoribus suis.

Item quod aliqua ipsarum Universitatum non facient pactum, finem, & treguam, seu guerram recentem cum Dalmasibus, seu fautoribus suis sine consensu, & voluntate dicti D. Regis, & si contigerit ipsum Regem facere pacta, vel treguam cum prædicta terra Dalmisii, Universitates prædictas in dicta pace, & tregua ponere teneatur.

Item quod dictus D. Rex habebit pro ipsa guerra facienda usque ad finem ipsius Guerræ duas galeas bene armatas, hominibus armis, & aliis necessariis annis singulis, quibus dicta guerra durabit a Kal. Aprilis usque ad festum omnium Sanctorum in aliis locis, in quibus prædicta guerra facienda Capitaneo, & Comiti galearum ipsarum melius videbitur expedire.

Item quod dictus D. Rex commodabit dictæ Universitati Spalati duas galeas cum offesis, & corredis suis sine hominibus usque ad finem dictæ guerræ.

Item quod idem D. Rex commodabit Universitati Sibenici unam galeam munitam offesis, & corredis ad navigandum sine hominibus usque ad finem dictæ guerræ.

Item quod dictæ Universitates dictas tres galeas sibi commodatas a d. D. Rege tenebunt, & habebunt armatas usque ad finem ipsius guerræ, ad faciendam ipsam guerram simul cum prædictis galeis ipsius D. Regis quod perstabunt in mari cum aliis galeis, & erunt continue armatæ, & munitæ, donec prædictæ galeæ D. Regis erunt ibidem.

Item quod prædictæ Universitates finita dicta guerra restituent dictas galeas cum offesis, & corredis, & aliis guernimentis æque bonis, sicut receperint, & accommodati a prædicto D. Rege ad hoc obligaverunt se dicti Sindici nomine dictarum Universitatum, & res ipsarum, quas galeas restituere teneantur ibidem vid. in Portubus prædictarum Universitatum, ad requisitionem ipsius D. Regis promiserunt, & obligaverunt se dicti Sindici nomine ipsarum Universitatum, & ipsas Universitates guerram ipsam facere bona fide, & sine aliqua fraude prædictæ terræ Dalmasii cum aliis lignis suis prout melius poterunt, & etiam per terram.

Item quod si contigerit aliquod lucrum facere per dictas galeas de prædicta terra Dalmasii & coadjutoribus suis dividetur illud lucrum æqualiter inter eos, ita quod Comiti galearum ipsius D. Regis accipiant nomine ipsius D. Regis partem ipsam contingentem pro ipsis galeis, & de ipso lucro disponant dicti Comites secundum voluntatem ipsius D. Regis, & quod omnes captivi qui capientur per prædictas partes de hominibus Dalmasii, vel coadjutoribus ipsorum perveniant fortiam, & baliam ipsius D. Regis, & de ipsis faciet voluntatem suam, vel tenendo ipsos in carcere, vel ultimo trahendo supplicio, & si contigerit aliquem ex prædictis captivis ad redemptionem poni, & ipsum redimi, quod illud quod reciperetur pro redemptione ipsa sit totum dictarum Universitatum, tenetur tamen d. D. Rex de captivis prædictis dare ipsis Universitatibus si aliquem, vel aliquos capi ex ipsis contigerit a dictis Dalmasibus, & cambio competenti.

Item quod ordinabitur per D. Regem prædictum unus Capitaneus qui præsit dictis galeis 5. & omnes qui erunt in dictis galeis obedient ipsi Cap. qui erit, vel mutabitur & aliis subornabitur ad voluntatem ipsius Domini Regis.

Item quod si aliqui ex Dalmasibus velint venire sponte ad habitandum cum familia sua ad terras Universitatum prædictarum, homines prædictarum Universitatum possint ipsos recipere dum modo non sint contra voluntatem D. Regis Hungariæ, recepta tamen prius ab eis idonea, & sufficienti cautela quod non offendent D Regem Siciliæ, vel gentem suam, & quod facient guerram dictis Dalmasibus, ita tamen quod si per dictos qui venissent ad habitandum ad dictas terras aliquod damnum daretur ipsi D. Regi, vel genti suæ seu alicui sic per Piratas dictæ Universitates de dicto damno teneantur dicto Domino Regi. Hoc pacto expresso inter prædictas partes quod dictæ Universitates de dictis pactis non teneantur, si prædicto D. Regi Hung displicerent, & quam cito per ipsum Dominum Regem Hung. prædictis Universitatibus constiterit, quod ei prædicta displiceant, teneantur prædicto D. Regi Siciliæ distincte prout ab eodem D. Rege Hung. præsenserint annuntiare, & ex tunc d. D. Rex Siciliæ dictis Universitatibus de prædictis in nihilo sit adstrictus, sed ipso jure sit ab

omnibus prædictis obligationibus liberatus, & prædictæ Universitates in continenti ad requisitionem dicti D. Regis prædictas galeas eis accommodatas eidem restituere teneantur; quæ omnia, & singula prædicti Sindici nomine ac vice dictarum Universitatum promiserunt solemni stipulatione interveniente dicto D. Regi Siciliæ attendere, & observare, & se facturos & curaturos quod quælibet dictarum Universitatum omnia & singula ratificabunt, & approbabunt, jurantes dicti Sindici corporaliter præstitis sacramentis nomine Universitatum ipsarum, & in animabus hominum ipsarum Universitatum ex potestate concessa eis a dictis Universitatibus omnia, & singula supra. attendere & observare, & non contravenire de jure, vel de facto, sub obligatione bonorum omnium Universitatum ipsarum, in cujus rei testimonium, & prædicti D. Regis Siciliæ ac prædictorum Sindicorum nomine, & pro parte dictarum Universitatum cautelam præsens scriptum exinde confectum est per manus mei Notarii prædicti Mathei Barabelli de Gajeta, ejusdem Curiæ actualis Notarii, meo signo signatum, & manu qui supra Iudicum & infrascriptorum testium subscriptionibus roboratum. Matheus

Ego Bartholomeus de Staffis de Regio Magnæ Regiæ Curiæ Iudex.

Ego Iacobus de Udando Magnæ Regiæ Curiæ Iudex.

Ego Ioannes de Alvello Vic. Mag. Ius.

Ego Thomas de Porta Iuris Civilis D. Regis Consiliarius in fidem subsc.

Ego Ioannes de Bragida testis.

Hæ memoriæ de renovata Almisanorum piratica reperiuntur. Ex quibus anno 1268. cœpta dici deberet, sed ante id tempus mare ab eisdem infestatum arguit Spalaten. & Tragurien. guerra cum Pollizanis, & sacramentum Bani maritimi.

In Christi nomine Amen. Anno ejusdem 1259. Ind. 2. die Mercurii 13. exeunte Martii Regnante D. Bela D. G. Sermo. R. Hung. & temporibus etiam D. Rugerii V. Archiep. Spalat. & existente N. V. D. Vuidone Veglien Comite Vinodolii & Midorussiæ ejusdem Civitatis Potestate. Cum prædictus D. Vuido Comes Potestas una cum Iudicibus Consil. & Communitate Spalat. & similiter cum Iud. Consiliariis, & Communitate Trag. in guerra maxima pro honore Coronæ Regiæ, & fidelitate observanda permanerent cum Infidelibus Pollizanis dictæ Coronæ, Comes Butteco Dei, & Regia G. Maritimus Banus promisit, & firmavit sacramento, & se voluntate propria obligavit, in eadem guerra juxta dictam Potestatem, & Communitates prædictas esse & perseverare contra prædictos infideles, & eisdem infidelibus vivam guerram facere, remoto omni ingenio, atque fraude, nec treguam, vel pacem aliquam faciat cum infidelibus antedictis, nisi voluntate, consensu, & consilio prædicti D. Pot. & super memoratarum Communitatum, & si contra a prædicta fuerit, vel venerit, occulte, vel palam notam infidelitatis Regiæ Majest. incursurum se confitetur, promittens etiam, & se obligans facere omnes fideles Coronæ sibi subditos, intrare in guerram prædictam, & si aliquis de fidelibus D. Regis sibi subditus intrare nollet, contra ipsum, vel ipsos erit viribus, atque posse, & similiter ex adverso prædictus D. Potestas una cum Iudicibus Consiliariis, & Communitatibus prædictarum Civitatum promiserunt, & se obligaverunt sub eodem modo atque forma, & sub pœna fidelitatis in dicta guerra permanere totis viribus, atque posse, nec treguam vel pacem facere absque consilio, & consensu dicti Comitis Butheconis, nec in dicta guerra aliquo modo relinquere prædictum Comitem Butheconem. Et hæc omnia fuerunt coram fratre Sebastiano priore fratrum Prædicatorum de Spaleto, & fratre Gessæ & aliorum fratrum affirmata, ut neutra pars a prædicto pacto ipsorum testimonio exire non auderet, & ad majorem firmitatem hujus contractus, & pacti litteras præsentes per alfabetum divisas ejusdem tenoris quarum una servabitur penes Comitem Butheconem, alia penes Comitem Spalat. tertia penes Comitem Trag. Sigill. penden. prædictorum fratrum Prædicatorum, prædictorum Comitis Butheconis, & dicti D. Potestatis, & Civit. prædictar. fecimus communiri.

Polizanos etenim habitatores montis Massari (qui usque ad ostia fluminis Cetinæ pertingens ab eodem circumfluitur) cum vicinis Almisanis Piraticam exercuisse argui potest, tam ex fratrum Prædicatorum præsentia, qui, tanquam contra excommunicatos, interesse voluerunt, conventioni Bani cum Spalat. & Trag. quam ex detentione eorundem Policensium Tragurii facta 1268. die 9. Madii paulo postquam a Duce Veneto Spalat. requisiti fuerunt, si Almisani venerint liberationem Civis Veneti, & ablatorum restitutionem procurarent, Polizanosque Tragurii detentos fuisse, usque quo Almisani requisita a Venetis restituerent, innui potest; qua de causa autem Spalat. & Siber. sine Trag. cum Rege Carolo contra Almisanos fœdus fecerint, dispesci nequit, nam sicuti effectus ejusdem nulla memoria reperitur, ita eodem anno Tragurienses quoque emendas, vel conducendas duas galeas decreverunt; quod Almisanorum causa decretum fuisse censendum est, sed cum eadem pacta exprimant Spal. & Sib. non teneri de pactis *si Regi Ungariæ displiceret, quod quam cito ipsis constiterit Regi Carolo significare deberent* id inscio Rege Ungariæ concluſum fuisse, & exinde nullum effectum pacta habuisse dicendum videtur, sed sicuti Almisanos tunc subditis Caroli Regis infestos fuisse ex pactis dignoscitur, ita Spalatenses eorum vicinos cum alias insimulati fuissent complicitatis, ut ex declaratione Manfredi olim Regis argui potest, quæ talis est.

Manfredus D. G. Rex Siciliæ. Notum facimus universis præsentibus, & futuris, quod licet totius Dalmat. homines dati in sensum reprobum & in actum perversum olim contra divæ memoriæ D. Patrem nostrum, & fideles nostros multa enormia commiserint, & intulerint damna plurima, piraticam exercendo, & homines Regni nostri Siciliæ specialiter offendendo;

do; quoniam tamen Sindici Universitatis Spaleti fideles nostri venientes ad præsentiam nostram solemniter promiserunt, & tam pro parte eorum, quam aliorum Civium dictæ terræ super Sancta Dei Evangelia juraverunt, quod contra Regnicolas Regni nostri piraticam nullatenus exercebunt, nec alias eos nitentur offendere, vel offendent, de plenitudine gratiæ nostræ ipsis concedimus, & licentiam favorabiliter indulgemus, ut in dictum Regnum nostrum Siciliæ cum navibus suis sub nostræ securitatis tutela salvi veniant, & securi, mandantes, & districte præcipientes omnibus fidelibus nostris, ut nullus omnino sit, qui auctoritate propria eos in eundo, morando, & redeundo per Regnum in personis, mercimoniis, & aliis rebus suis offendere, vel molestare, seu impedire præsumat, dum in fidelitate nostra constantes permaneant, & devote consistant, & de extractis licite, vectigal debitum Curiæ nostræ exsolvant, & in Regno in ea conditione esse debeant, in qua alii fideles Imperii, & ipsi tempore felicis memoriæ Domini Patris nostri, & usque nunc esse consueverunt, ad hujus autem gratiæ nostræ memoriam, & stabilem firmitatem præsens scriptum exinde fieri fecimus, & sigillo Majestatis nostræ muniri. Datum apud Ortam per manus Gualterii de Orta Regnorum Ierusal. & Siciliæ Cancell.. Anno Dominicæ Incarnationis 1259. *mense Martii secunda Indictione.*

Similis ejusdem diei ad verbum Tragurinis quoque concessa fuit declaratio ab eodem Manfredo quæ extat: ex quibus observandum est, quamvis Spalatenses & Trag. tempore Friderici Imperat. Patris Manfredi in simul ligam contra Almisanos fecerint, eosdemque a Piratica abstinere coegerint, ut supra relatum est, tamen uti vicinos cum eisdem sensisse præsumptos fuisse, qua de causa Spalaten. & Sibenicen. pro sui justificatione nuncios Regi Carolo misisse, fœdusque inscio Rege Ungariæ contra Almisanos obtulisse innui potest; eo quia, sicuti illos de Almiso pronuntiatione Italica *d' Almisa* Dalmasios nuncupatos in pactis patet, & Dalmatinos in relata Honorii bulla, ita Almisios pro universis Dalmatis æquivoce sumptos fuisse argui debet, prout etiam ex Dalmasii vocabulo aliqui Delminii antiqui nomen Almiso astruunt, quod longe a mari dissitum fuit, ut dictum est; hoc autem maritimum oppidum in Privilegiis Almisum dicitur Slave *Omise* hanc Almisanorum piraticam a principio Venetos parvipendisse, dicendum est, nam sicut naves ipsorum majores extra Culsum navigantes recto itinere longe ab eorum finibus procedentes, imbecillitatem piratarum spernebant, ita si quæ minora ligna intercipiebantur a proximis eorum Spalatensibus recuperationem amicabiliter ex pactis quæ cum Rege Ungariæ statuta esse debuerunt, (quæ quamvis non reperiantur, tamen ex posterioribus conventionibus suo loco referendis extitisse conjici debet) requisivisse, & recepisse, sed cum piratæ in dies invalescentes majora quoque ligna aggressi fuissent, a Venetis compesciti fuerunt, ut Dandulus refert. (1276.) *Contra Almisium Urbem Dalmatiæ, quæ Taridam unam Venetorum, & alia forensium navigia in mari ceperat, Dux Pancratium Maripetro quatuor galearum Capitaneum mittit, qui Urbem obsidens Venetos, & bonorum ablatorum partem obtinuit, & nihilominus idem Capitaneus, & Ioannes Mauroceno immediate successor illos strictius obsessos retinuerunt,* sed cum anno sequenti bellum cum Anconitanis inchoatum scribat, variosque Venetorum in prosperos successus referat, ex quibus difficultas portum Anconæ obsidendi apparet, eodem modo Almisi obsidionem prosequens ait *contra Almisum nunc Philippus Gisa Capitaneus mittitur, qui in re bellica inscius obsessos exire, & damna navigantibus inferre permisit. Veneti autem hoc grave habentes, illum revocant, & Ioannem Contareno substituunt; qui illis damna inferens ad mittendum Duci nuncios induxit; sed tamen in scelere obstinati Ducali requisitioni parere totaliter contempserunt;* quo tempore Tragurien. cum Spalaten. & Siben. guerram habuisse Scripturæ docent, in qua Comites Breberien. auxilia Trag. promiserant, sed ex interpositione Iacobi Teupuli (Iadræ Laurentii Ducis filii pro Sibenicensibus, & Petri Comitis Pharæ & Brachiæ nomine Regis Caroli pro Spalat. tregua, deinde per Arbitros pax concluſa fuit, & inter Comites Breberienses discordiæ sedatæ, sublataque inter Iader. & Trag. repræssalia, ut in Patriæ Chronico, Almisi tamen, & Anconæ obsidionem Veneti prosequebantur ut Dandulus refert. 1277.

Ioannes Contareno Almisium obsidens naturali morte obiit, & huic Diodorus Vitalis surrogatus ab obsessis captus est, tunc Petrus Mocenigo Capitaneus pro custodia Veneti Culphi deputatus, cum Iacobum Teupulo, Andream Dandulo, & Marcum Quirino Legatos ad Regem Carolum in Apuliam deposuisset, sentiens captionem Capitanei viriliter Burgum Almisii debellando obtinuit, & igne cremavit, & dum ad devastationem vinearum animose procederet, restitutionem Heliodori & aliorum captivorum habuit. Burgum quidem sive inferiorem partem Almisi in potestate Venetorum fuisse scriptura testatur, sed sequentis Ducis tempore, ut infra referetur: occasione cujus tam diuturnæ obsidionis Almisi Veneti insularum proximarum Phari, & Brachiæ dominium consecuti sunt, ut idem tradit Dandulus *Episcopus Farræ & Brazæ ab incolis illarum Insularum. Syndicus constitutus Venetias accedens Ducem, & Dominum Dalmatiæ & Croatiæ recognovit, & Insulas illas, quæ diu erraverant, sub Ducali protectione posuit,* eodemque tempore Istrienses Venetos irretitos bellis cernentes defuisse refert, relataque Iustinopolis recuperatione sequitur *interea Iacobus Teupulo & Cocho propter Anconitanos, & Almisanos, qui navigantes derobabant,* 1279.

bant, Capitaneus missus, & successive Marcus Dandulo & Faro Piratarum nequitiam compescunt, & mare securum reddunt, hucusque Dandulus de Almiso, sed quid ejus annales prosequuti sunt Anconitani belli exitum pacemque sub Ducatu Ioannis Danduli sequtam referunt, Almisanos tamen piraticam continuasse constat; quam difficile enim sit ostium fluminis Cetinæ, & per consequens portum Almisi obsidere, & quam incommoda, & periculosa sit navium circa ipsum statio, præsertim tempore hyemali, qui situm ejusdem exploratum habent sciunt, Venetis tamen se dedidisse aliqui Chroniste referunt, idque scriptura testatur. 1282. *die* 10. *Ianuarii Almisi in platea ante Ecclesiam S Michaelis tempore Ioannis Danduli Ducis Ven. D. Marini Venerii Egregii Capitanei Almisi.* Piraticam autem renovatam constat, & ex participatione predæ Comites Breberienses fautores habuisse arguunt ea, quæ ex scripturis eliciuntur, nam cum Paulus Breberiensis Banus guerram indixiset Spalatinis 1285. Tragurienses coegisset sibi contra eosdem opitulari, Veneti tunc Ambasciatores Tragurium miserunt.

Ioannes Dandulo D. G. V. & &c. D. Prudentibus viris Rectori, & Universitati Trag. dilectis suis salutem, & dilectionis affectum. Ecce Viros Nobiles, & prudentes Marcum Trevisan, & Iacobum Michael dilectos fideles & Ambasciatores nostros ad vos personaliter destinamus, prudentiam vestram rogantes, & hortantes, attente, quatenus ea quæ iidem ex parte nostra dixerint indubitanter credatis, & curetis effectui demandare. Dat. in nostro Duc. Pal. 12 *Aug.* 13. *Ind. id est* 1285. hi autem Ambasciatores, qua de causa missi fuerint, nulla memoria reperitur; tamen cum Trag. cum Spalat. & Sibenicen. simultates habuissent, & Tragurienssem agrum & mare ab eisdem damnificatum fuerit, 1283. eodemque anno Franciscus Faletrus Potestas fuerit Tragurienssium, qui deinde decreverunt elligere sibi potestatem de Firmo, pro cujus transfretatione securitatem de Dalmisanis, a C. Gregorio Breberiensi eorum
1287. & Almisi Comite obtinuissent; nihilo-
25. *Mart.* minus idem Potestas ab Almisanis captus, diuque detentus, vix Comitis
1289. ejusdem jussu liberatus fuit, ut in Patriæ Chronico, idcirco Venetos Almisanorum potissima de causa hos Ambasciatores misisse dicendum videtur, & eo magis, quia Banum Paulum, ejusque fratres cum Venetis convenisse, & Tragurienses pro ejusdem fide jussisse
1288. reperitur *se soluturos partem sexcentarum librarum, eo anno, quo contigerit Almisum exire de potestate Comitum Breberien.* ex quo Almisanorum Piraticam tunc a Comitibus Breberiensibus protectam apparet, quod deinde clarius patebit. Ideo Veneti quieti Adriatici semper intenti, sicuti Almisanos e manibus Breberien. eripere studebant, ut protectione destitutos reprimerent, ita si quæ controversiæ cum Croatis intercedebant, per Arbitros compescere curabant, ut per sententiam arbitrariam inter Arben. & Nonen. prolatam apparet.

In Christi nomine Amen. Anno Incar. ejusdem 1284. *Ind.* 13. *die* 11. *intrante mense Xbris Iadræ temporibus equidem D. Ioannis Danduli Inclyti Ducis Venet. & Mag. Lauren. Ven. Iadrens. Archiepiscopi, ac D. Ioannis Contaren. egregii Comitis. Nos quidem Pasqua de Varicassa Civis Iad. Iudex arbiter arbitrator, & amicabilis compositor inter egregium V. D. Marcum Michaelem C. Arbi & Commune ejusdem Civ. Arben. ex una parte, & N. V. D. Volcetam Potestatem Nonæ & Commune ejusdem Civ. Nonæ ex altera parte, ut constat per publicum Instrumentum compromissi facti manu Homodei filii quond. Ioannis Denarii Imperiali auctoritate Not. & nunc Arben. jurati Not. in anno Nativitatis Christi* 1284. *Ind.* 12. *die ultimo Novembris, auditis, & intellectis & diligenter examinatis personaliter in utraque Civitate cum solemnibus nunciis & Ambasciatoribus utriusque terræ omnibus litibus, & quæstionibus, & controversiis, ac discordiis, quæ vertebantur inter utramque Civitatem vid. Arbum, & Nonam tam pro diviso quam pro Communi coram omnibus propositis & allegatis per utramque partem, & super his habita deliberatione, & consilio diligenti plurium Sapientum tam secularium, quam religiosorum, & cum diligenti studio investigata, & cognita veritate, vocatis etiam dictis partibus, & citatis coram nobis, & conductis hinc in Civitate Iadræ per legitimos nuntios & Ambasciatores utriusque Civitatis, & utriusque Communis astantes præsentes ad hæc tam pro Communi quam pro diviso suarum Civitatum secundum formam, & potestatem nobis datam per utramque partem in dicto compromisso. Dei nomine invocato pro bono pacis, & concordiæ dicimus, pronunciamus, laudamus, sententiamus, arbitramur, & confirmamus & laudum arbitrium, concordiam, & per firmam sententiam arbitralem, & P. quod sententia quam Illustris D. Marcus Michael C. Arben. protulit in Dobressan Civen. Nonen., quem fecit suspendi propter opera sua mala. fuit digna, ac sancta & justa, & quoniam prædictus Dobrissa iverat furatum ad Insulas prædicti D. Comitis Arben, & inventus, ac captus in furto manifesto, fuit dignus, & meritus prædictam suspensionem; & illud quod prædictus D. Comes Marcus Michael fecit in ipsum Dobressam bene fecit, & dignum & justum fuit: unde hominibus Nonæ tam pro diviso quam pro Communi imponimus perpetuum silentium super hoc liberantes, & absolventes prædictum D. C. Arben, & successores suos, & Commune Arben & omnes ac singulos homines de Arbo, & ejus districtu tam pro diviso quam pro Communi ab ipsa quæstione, & morte ejusdem Dobressæ, sub pœna M. lib. den. par. Ven. secundum formam dicti compromissi. Item quia una barcha Arben capta fuit tempore treguæ per homines Nonæ & conducta Nonam, dicimus, & sententiamus quod Commune & homines Nonæ solvere debeant, & teneantur in manibus supra-*

scripti

ſcripti D. Marci Michael Comitis Arben 20. lib. den. Ven. par. uſque ad carnis privium prox. in Civ. Arben ſub pœna dicti compromiſſi, qui vero D. C. Arben. dividat & diſtribuat ipſas 20. lib. denar. inter ſuos cives, & homines ſicut ei placuerit & melius apparebit. Item de morte Cernote Nobilis civis Arben, qui tempore guerræ interfectus fuit in prælio per homines Nonæ, venientibus Arben ſuper Nonen, debellante una parte cum alia ſuper territorium Nonæ dicimus, ſententiamus per laudum, ſententiam, & arbitrium quod homines & Commune Arben. & propinqui ipſius Cernote omnes & ſinguli tam pro diviſo, quam pro Communi Arben. habeant ſilentium perpetuum ſub prædicta pœna compromiſſi abſolventes Commune, & homines Nonæ omnes ſuper hoc, quia hoc factum fuit in guerra, & prælio manifeſto, & in prœliis talia fieri conſueverunt & evitari non queunt.

Item pro omnibus damnis factis per homines Arben hominibus Nonæ tam pro diviſo, quam pro Communi in tota dicta guerra dicimus, & ſententiamus quod Commune & homines Arben. ſolvere debeant, & teneantur in manibus ſupraſcripti D. Volcete Poteſtatis Nonæ 40, lib. den. Ven. par. in Civ. Nonæ usque ad carniſprivium proximum ſub prædicta pœna compromiſſi, qui vero Poteſtas Nonæ dividat ipſas 40. lib. den. par. inter ſuos Cives & homines Nonæ ſicut ei placuerit & melius apparebit.

Idem dicimus, & ſententiamus per ſententiam arbitralem quod omnia & ſingula damna facta, & data tam in tregua, quam in guerra poſt ſuſpenſionem prædicti Dobroſſæ per utramque Civit. tam pro diviſo, quam pro Communi ſint caſſa, vana & nullius valoris ex utraque parte ſub pœna dicti compromiſſi, & ſuper his per utrumque Commune, & diviſum ipſarum Civitatum perpetuum ſilentium habeant, ſalvis tamen rationibus utriuſque partis ante dictam guerram, & ante ſuſpenſionem dicti Dobreſſæ, quas una Civitas haberet petere ſuper alteram, tam pro diviſo, quam pro Communi, in quibus volumus quod utraque pars poſſit uti ſuis rationibus ante dictum tempus, ſecundum jura, & antiqua pacta, quæ ſunt inter ipſas duas Civitates. Pronunciamus inſuper, & confirmamus plenam & firmam pacem & concordiam inter utrumque Commune, & diviſum ipſarum Civitatum, ſicut in ſuis antiquis inſtrumentis, & pactis veteribus legitur, & plenius continetur, & pro majori Cautela & nexu firmitatis fecimus jurare duodecim bonos, & Nobiles viros de Arbo, & duodecim de Nona prædictam pacem, pacta antiqua, & prædictam ſententiam noſtram, & omnia & ſingula ſupraſcripta ſemper attendere, & obſervare ſe, & Communia ſua, & diviſim. Hi autem ſunt Cives Arben. qui juraverunt prædicta Stephanus de Firma, Philip. Genani, Matheus de Hermolao, Nicola de Pribe. Stephanus de Galzigna, Martinuſſius de Rovigna, Madius de Clemente, Oreſte de Foſcho, Epube de Zane, Stephanus de Demine, Martinus, et Marinus de Machna. Iſti vero ſunt Cives Nonen. qui juraverunt prædicta. Migoſtus Iudex, Moyſſa Chrance Iamomethi, Paulus filius Borislavi, Iacobus Dragchis, Rodovanus Stringi, Tolislaus Budislavig, Rodoslavus frater Archipresbyteri, Deſenus Daryſig, Volcina Druſigi, Voychna Dreſevig: & Stepha. Danchovig, qui omnes & ſinguli Sancti tam Arben. quam Nonen. coram nobis prænominato Paſqua de Varicaſſe Iudice Arbitro, Sacramento juraverunt ad Sancta Dei Evangelia ſuper librum prædictum, pacem & concordiam, ac ſententiam noſtram, & omnia, & ſingula Sacramenta & pacta antiqua plene attendere & obſervare, & facere obſervari & attendi per ſuas Civitates, & Communia & diviſum & in nullo contravenire ſub pœna M lib. ſecundum formam dicti compromiſſi; ſuper cujus noſtræ Arbitralis diffinitione N. V. Guidonem de Varicaſſa Civem Iad. conſtituimus, & dedimus in Preſtaldum ad omnia ſupraſcripta taliter percomplendi, & Ego prænominatus Guidotus de Varicaſſe Preſtaldus ſuper hoc conſtitutus, omnia quæ ſuperius ſunt expreſſa vera eſſe teſtificor in ſalute animæ meæ coram his Nobiliquibus viris Iadræ vocatis, & rogatis teſtibus ſcilicet Deſſa de Faſogna, Friderico quondam Griſogoni de Mauro, & Paulo de Borache Thomaſio Penazo, Damiano de Slorado, Prodde de Coſa, Barthe quondam Griſogoni de Mauro Iadren. Civibus, & aliis.

Ego Pasquade Varicaſſe ſupraſcriptus Iudex Arbiter inter Arben & Nouen manuum miſi.

Ego Stane de Varicaſſe examinator manum meam miſi.

Ege Henricus Imp. auct. Not. & Iud. juratus his interfui & rogatus ſcripſi & roboravi.

Sed cum Breberienſium nimia potentia Venetis jam ſuſpecta eſſe cepiſſet, maritimas Bivitates ab eorundem jurisdictione eximere ſtuduerunt, ut de Spalato & Tragurio ſequens fragmentum teſtatur.

1290. . . . 8. *Novembris* . .
. . . . . .
. . . *Iadrenſes* . . .

Declaramus bonam, & firmam . . Communitari Spalati & Trag. & erimus una cum eis amici hinc ad annos quinbue ſi Spalaten. habebunt Poteſtatem, vel Comitem qui noo fuerit de Sclavonia . . . . . omnibus hominibus qui vellent eos offendere, & non recipiemus inimicos eorum in noſtra Civitate, neque cum illis mercatum faciemrs ſalvo honore D. D. Venetiarum. Communitas autem Spalati & Trag. eodem modo facient nobis, & juvabunt nos ab omnibus hominibus qui vellent nos offendere, & nec recipiant inimicos noſtros in ſua Civitate, neque cum illis mercatum facient, ſalvo honore D. Regis Ung. Item ſi nos fecerimus exercitum per mare nos dabimus tres homines, Spalat. duos, & Trag. unum . . . . quod in dicto exercitu nos Commune Iadræ, vel ille qui pro nobis fuerit, ſemper debeat antecedere totum exercitum, quæ omnia & ſingula faciet, tringiuta boni homines Iadræ ad voluntatem dictorum Nuntiorum electi ſuo ſacramento corporaliter affirmarunt ſequuntur nomina lurantium.

Hic tacite perſtringuntur Breberienſes, cum tunc Mladinus eſſet Comes Spalati, & Gregorius Tragurii Pauli

Bani fratres, ideo Tragurienſes, primo a Spalaten. & Sibenicen. moleſtatos, deinde etiam eosdem Spalatenſes a Comitibus Breberien. preſſos, cum a Rege, male Regnum adminiſtrante, auxilium non ſperarent, ad antiquam Venetorum protectionem mediantibus Iadrenſibus recurriſſe dicendum eſt; qua de cauſa Breberien. quoque Venetorum amicitiam affectaſſe cum pro Almiſanis C. Georgium cum Comite Iadræ treguam annuam concluſiſſe reperiatur.

In Chriſti nomine Anno Incarnationis 1292. *men. Febr. die* 6. *intrante Indictione* 5. *Iadræ temporibus D. Petri Gradonici Incliti Ducis Ven. & D. fratris Ioannis de Anan. Ven. Iadren. Archiepiſcopi, ac D. Ioannis Contareni Egregii Comitis præſentibus Nobb. Viris Dominis Marco Vitur, & Martino Bembo Conſiliar. Iadræ D. Marco de Marſilio ſocio D. Ioannis Contareni Comitis Iadren. & aliis pluribus teſtibus ad hæc vocatis ſpecialiter & rogatis. Actum in Curia Sancti Iacobi ultra portum Iadræ: D. Gregorius Comes Breberienſis ſolemniter inivit, fecit, & firmavit pro ſe ipſo, & gente ſua, ac ſuis ſubditis, & nomine Communis & hominum Almiſii meram, puram, & firmam treguam uſque ad unum annum completum cum Egregio Viro D. Ioanne Contareno bonæ memoriæ, D. Iacobi Contareni Ducis Venet. filio, Iadren. Comite recipiente, & ſtipulante nomine, & vice Illuſtris D. Ducis Ven. Communis, & hominum Civit. ejusdem, nec non habitatorum, ſubjectorum & diſtrictualium ſuorum, promittens prædictus Dominus Comes Geor. prædicto Domino Ioanni Contareno Iadren. Comiti recipienti, & ſtipuanti nomine prædicti Domini Ducis Communis & hominum Venetiarum, ut prædictum eſt, quod ipſe per ſe, & ſuos, ac homines Almiſi non offendet, nec offendi faciet, vel permittet in rebus, vel perſonis Commune & homines Venet. habitatores, fideles, diſtrictuales, ſeu ſubditos dicti Domini Ducis, ſed eos omnes, & ſingulos eorum habebunt, ſalvos, & ſecuros ubique. Idem eodem modo promiſit quod ſi ipſe tam per ſe, & ſuos, quam per homines Almiſii attemptaſſent aliquid contra honorem dicti Domini Ducis & Communis Ven. de terra Pharæ & Braze, vel aliqua alia terra, vel loco habente rectorem pro dicto Domino Duce in terris ſuis, vel ſibi ſubjectis, removebit ſe de hujusmodi attemptamento, & de cætero contra honorem ejus non attemptabit amplius de terris, & locis prædictis. Item quod prædicti homines de Almiſio, ſeu per ullos eorum, vel alicujus eorum, ſeu per homines qui ſe receptarent pro eis, vel eſſent ſub eorum dominio, non accoſtabunt ſe cum eorum lignis alicui, vel aliquibus ligno, vel lignis Venet. vel habitatorum Venet. fidelium, vel ſubditorum, ac diſtrictualium dicti Domini Ducis, nec inferent eis, vel alicui eorum, nec alii, vel aliquis qui foret, vel forent in dicto ligno, vel lignis injuriam, moleſtiam, damnum, offenſionem, vel gravamen in perſonis, vel rebus eorum qui eſſent in dicto ligno, vel lignis, et etiam prædictos Venetos, habitatores Venetiarum, fideles ſubditos, et diſtrictuales d. D. Ducis exiſtentes in ligno, vel lignis forinſecorum cum perſonis, vel rebus non offendent, nec eis inferent nec facient injuriam, moleſtiam, damnum, offenſionem, vel gravamen in perſonis, vel rebus eorum. Sed eos omnes, et ſingulos eorum cum perſonis bonis omnibus, et rebus eorum tam in ſuis, quam in forinſecorum ligno, vel lignis habebunt ſalvos, et ſecuros, nec venient ab Ancona ultra verſus Venet. nec a Hyaverſus Venet. niſi eſſet propter fortunam ſeu auſteritatem temporis, in quo quidem neminem offendent, tam Venetum, quam forenſem ſed redibunt infra dictos confines quam citius poterunt. Cæterum ſi contingeret aliquo caſu, quod per dictum D. Comitem Georgium, vel per aliquem hominem Almiſii, ſeu ſubjectorum ſuorum daretur damnum alicui Veneto, ſubjecto, fideli, ſeu diſtrictuali dicti D. Ducis, et Comitis Venet. quod ipſe Dominus Comes Geor. teneatur totum damnum emendare, vel dare illos, qui damnum dederunt in manibus dicti D. Ducis Ven. infra* 30. *dies proximos, poſtquam et ſicut per D. Ducem Venet. prædictum fuerit, requiſitus, redeunte ligno quod dederit damnum in Almiſium, vel hominibus ipſius, aut diſcaricatis, vel miſſis rebus acceptis in Almiſium, vel in terris fide juſſorum vel Communium infra ſcriptorum, vel in terris allis ſubjectis prædicto D. Comiti Georgio quocumque modo, alioquin ab ultimo die ipſorum* 30. *dierum in antea cadat ad pœnam infraſcriptam, et nihilominus teneatur damnum integre emendare, et reſtituere, et ſi accideret quod illi qui commiſerint, vel dederint damnum non poſſent ſolvere, vel reſtituere, quod acceperunt, datis ipſis hominibus in manus dicti D. Ducis, liberetur prædictus D. Comes Georgius a damno dato et pœna. Inſuper prædictus D. Georgius Comes per ſe, et ſuos, et nomine hominum et Comitis Almiſii, ut prædictum eſt juravit ad ſancta Dei Evangelia corporaliter tacto libro in animam ſuam, et ſuorum, et hominum prædictorum Almiſi, attendere, obſervare, et adimplere, ac attendi et obſervari, et adimpleri facere omnia et ſingula ſupraſcripta, et non contrafacere, vel venire per ſe, vel per alios, aliqua ratione, ingenio, ſive cauſa ſub pœna lib.* 15. *Millium denariorum Venetorum parvorum, qua ſoluta fidejuſſores infraſcripti ſint abſoluti. Et hoc dum terra prædicta Almiſi eſſet in manibus dicti D. Comitis Georgii, et fratrum ſuorum, vel alterius pro eo uſque ad terminum ſupradictum, et in horum fidem, et evidentiam pleniorem dictus D. Comes Georgius præſens publicum inſtrumentum ſua bulla ac ſigillo cereo communiri mandavit.*

Verſa vice prædictus D. Ioannes Contareno Iadren. Comes nomine et vice prædicti D. Ducis, et hominum Venet. habitatorum, ſubjectorum, fidelium, diſtrictualium ſuorum inivit, fecit, et firmavit meram, puram et firmam treguam uſque ad prædictum annum continuum, et completum cum ſupradicto D. Comite Geor. recipienti et ſtipulant. tam ſuo et ſuorum nomine, quam nomine hominum, et Comitis Almiſi, promittens quod prædictus D. Dux pro ſe, ſeu pro Comite, et homines Ven. habitatores, fideles, diſtrictuales, ſeu ſubditos non offendent, nec offendi facient, nec offendi permittent in perſonis, vel rebus prædictum

Domi-

Dominum Comitem Georgium nec Comitem & homines Almiſi, nec alicujus eorum homines, vel ſubditos ubicunque exiſtentes; Sed eos omnes, & ſingulos in perſonis, & rebus tam in mari quam in terra Almiſi, & ſui dominii habebunt ſalvos, & ſecuros. Cæterum ſi dictus D. Comes Georgius veniret Venet. occaſione eundi ad Curiam Domini Papæ vel alia occaſione, dictus D. Dux per ſe, & per dictos omnes ſuos habebit, & haberi faciet eum cum ſua comitiva in perſonis, & rebus ſalvum, & ſecurum Venetiis veniendo, ſtando, eundo, & redeundo.

Fidejubent quoque pro Comite Georgio Scardonen. Spalaten. Tragurien. 1292.
& Nonen. Almiſanos tamen eodem tem- 1293.
pore quo Comes eorum cum Venetis apud Iadram conveniebat, mare infeſtaſſe apparet; tandem novis conventionibus inter Comites Breberienſes ſcilicet Paulum Banum, Comitem Mladinum, & eundem Comitem Georgium cum Rogerio Mauroceno Comite Iadræ pro Venetis initis, repetitiſque fidejuſ- 1294.
ſionibus Almiſani a Piratica aliquo tempore ſe abſtinuerunt.

CAPUT X.

De ſucceſſione Regum Andreæ, & Caroli.

LAdislavo Ungariæ Rege occiſo, cum abſque prole deceſſiſſet, de Regni ſucceſſione controverſia inter Andream Andreæ II. ex filio Stephano nepotem, Rudolphum Imperatorem, & Carolum Martellum Mariæ ſororis Ladislavi filium exorta eſt, quæ deinde mortuis Rudolpho & Martello, inter Carolum Robertum ejus filium, Wenceslaum Bohemiæ Regis filium, Othonemque Bavariæ Ducem perſeveravit; quibus de rebus, quamvis Ungarici Scriptores multa tradant, ex monumentis tamen Dalmaticis non pauca addi poſſunt, ex quibus Ungaricæ hiſtoriæ multum lucis accedet. Andreas namque ſecundus Ladislavi Proavus non quidem in reditu ab expeditione Hieroſolymitana, ut Ungarici Scriptores, ſed longe poſt jam ſenex Beatricem Aldobrandini Marchionis Eſtenſis filiam duxit Uxorem, anno
1235. eodem, quo mortuus eſt, Bela filio ſucceſſore relicto, ut Monachus Patavinus illius temporis Scriptor tradit, viduamque uterum gerentem privigni ſævitiam veritam in Alemaniam aufugiſſe, ibique Stephanum poſthumum peperiſſe refert, quem apud Avum maternum educatum fuiſſe, inter Ungaricos, & Monachum convenit, additque Monachus ſæpe deinde ab hoc Stephano tentatum eſſe, ut frater Bela ſui miſericordia tangeretur, ſed obſtante Regina, quæ Græca genere erat, nihil obtinere potuiſſe; eundemque Stephanum deinde ex Thomaſina Maurocena Nobili Veneta Andream filium ſuſcepiſſe, Sabellicus, & Bonfinius conſenſu tradunt, & cum ob Ladislavi improbos mores, qui præter alia
Io. Longinus. flagitia fratrem Andream in Polonia fuga elapſum occidi curaverat, Ungaria in deterius prolapſa inteſtinis bellis quateretur, pars procerum Andream hunc Venetiis in ſpem Regni evocavit, & cum eodem tempore Ladislaum occidi contigiſſet, unanimes eundem poſt tredecim dies Coronatum Venetum dixerunt, ut Scriptores conveniunt, quibus accedit Madius Spalaten. illorum temporum Scriptor *cap. pr.* 1290. *eodem tempore Rex Uladislaus Hung. a Cumanis occiditur, & Andreas de Moreſimis de Venetiis per matrem in Regem Hung. coronatur.* Thuu. quoque eodem anno Ladis. occiſum, & Andream coronatum refert, Bonn. vero anno 1299. At cum Rainaldus ex Pontificiarum literarum Reg. Andream Lad. ſucceſſiſſe anno 1290, ſcribat, Ma- *n.* 41.
dii Thuurozique relata comprobat, eundemque pro Rege Ung. habitum in Dal. anno 1291. die 22. Ianuarii Spalat. & Trag. publica monumenta docent. Ejusdemque matrem *Iadram applicuiſſe, iterque in Ungariam ad filium Regem direxiſſe* frag. decretorum Conſilii Trag. diei 18. Septembris ejusdem anni 1291. teſtantur. Sed quamvis Ungarici Regni ditio univerſa Andream in Regem recepiſſet, tamen ejus poſſeſſio dupliciter inquietata fuit, nam ex una parte Rudol. Imperator Regnum Ungariæ per mortem Ladislavi ſine liberis defuncti vacare contendens, eundem, uti Imperio obnoxium, Alberto filio Duci Auſtriæ tradere volebat, ex altera vero Carolus Martellus Mariæ Ladislavi ſororis, & Caroli ſecundi Regis Siciliæ filius, uti Ladislavo proximior, quam Andreas, ſibi Ungaricum ſceptrum deberi affirmabat; hacque de cauſa Neapoli præſente patre a Legato ſummi Pontificis ſolemni ritu Rex Ung. coronatus eſt, eodem anno, quo Ladisl. occiſus fuit, ut cum cæteris Io. Vill. concordat; ſed cum conatibus Rudolphi Romanus *lib.* 7. *c.*
Pontifex ſuam auctoritatem oppoſuiſ- 134.
ſet, Ungariamque ſedis Apoſtolicæ vectigalem eſſe oſtenderet, ipſeque Ru- *Rain.*
dol. Ungariam armis aggredi parans 1291. *n.*
obiiſſet, Auſtriaco metu Andreas libe- 45.
ratus eſt, Martelli vero molimina nemo refert: Conſtat tamen eundem titulo Ungarico uſum ex diplomate ejusdem Spalaten. conceſſo *Carolus Primogenitus Illuſtris Ieruſalem, & Siciliæ Regis D G. Ung. Dal. &c. Rex Princeps Salernitanus, ac ejus in Regno Siciliæ Vicarius generalis . . . . , Mercatores de Spaleto de pertinentiis Regni Ungariæ ubique bene tractentur. Datum Nuceriæ* 1292. *die* 27. *Iunii* iterum quoque a ſummo Pontifice Celeſtino Corona Ungarica redimitum Madius tradit *cap.* 22. *de Papa Celeſtino V.* narrataque ejusdem

renunciatione Neapoli facta, ſubdit & *tunc Carolus Martellus in Regem Ungariæ coronatur* eundem etiam Martellum ingreſſum in Dal. tentaſſe ex fragmentis decretorum Conſilii Trag. elici poteſt.

Die 27. in Conſilio &c. (ſupple congregato de mandato) Philippi D. Zanni de Nappis Civis Anconitani Hon. Poteſtatis Civitatis Trag. in quo quidem Conſilio proponit coram vobis dictus D. Poteſtas, & petit ſibi Conſilium exhiberi ſuper petitione ſeu requiſitione, quæ facta eſt per literas Communis Spalati, qua pro eis petit conſilium ipſis dari, prout vobis videtur ſuper juramentum fidelitatis, quod per quendam nuntium R. Caroli Martelli poſtulatur, ſicut per me Dominicum dicti Poteſtatis Notarium vobis nunc perſonaliter fuit lecta, facto partito de ſedendo ad levandum, placuit majori parti quod nihil D. Paulo Bano ſignificetur de requiſitione, quæ fuit facta a nunciis Regis Caroli, quouſque dictum Commune a dicto Bano fuerit requiſitum. Deſſa Luce ſurgens aregnando conſului quod in præſenti conſilio inveniatur, & eligatur quidam ſapiens, & mittatur Spaletum, & quod illi nuntio reſpondeatur quod Commune Spaleti vult habere conſilium cum Paulo Bano, deinde ei poſtea reſpondeatur, & quod quædam litera mittatur Communi Sibenici de iſta materia. Item Thomas Zanniche ſurgens in eodem Conſilio conſuluit aregnando, quod quidam ſapiens mittatur Spaletum, & dicant quod illi nuncio Regis Caroli non poteſt modo reſponderi, quia qui ſe Regem facit Ung. ſolet ſe coronari in tali Civitate, unde illi qui coronaretur in Regimine Ungariæ intendimus obedire.

Sed quonam anno hæc petitio Martelli ſequuta ſit incertum remanet, nam Philippum de Nappis Poteſtatem Tragurii fuiſſe annis 1292, 93, 94. ex fragmentis ſcripturarum conſtat, petitionemque ipſam inſcio Bano factam arguunt ejusdem fragmenti verba; ideo hæc Caroli petitio facta eſſe potuit eo tempore, quo ſupra poſitum ſalvum conductum Spalaten. indulſit, ſcilicet anno 1292. Bano nondum in ejus partes tranſgreſſo: reſponſum tamen Spalaten. Trag. & Sibenicen. inter ſe conſuluiſſe, communiterque dediſſe, eundemque Bano notum feciſſe, aliud fragmentum indicat. *Item D. Matthæus Luce ſurgens conſuluit aregnando quod mittatur P. Bano aliquis nuncius ſeu Ambazator, & afferat totam reſponſionem quam fecimus nuntio R. Caroli cum Spaleto & Sibenico.* Indeque conjici poteſt has Civitates inconſulto Bano ſe declarare noluiſſe, hocque idem Bano ſignificaſſe; ab aliquibus tamen pro Rege Carolum in Dalmatia habitum, ſcripturæ quædam Spalati confectæ 1294. menſis Aprilis memorant, quod fuit ante ejusdem Coronationem per Celeſtinum Papam factum, cum Celeſtinus cœperit menſe Iulio ejusdem anni, & ante defectionem Ungarorum ab Andrea, cum diſſidentes a Bonifacio Celeſtini ſucceſſore Regem petiiſſe ſcribant concordes Ung Scrip. nec Spalatenſes invitis, vel inſciis ipſorum Comite Mladino, Banoque Paulo Breberienſibus Carolum in Regem recognoviſſe dicendum eſt, ideo Paulum Banum reliquosque Comites Croatiæ ante diſſenſiones Ungarorum Carolo adhæſiſſe argui poteſt, & ſicuti Carolum primum utriusque Siciliæ Regem contra Almiſanos fœdus cum Spalat. & Siben. feciſſe, pacisque conciliatorem inter eosdem, & Trag. fuiſſe ſupra relatum eſt, ita Carolo II. ejus filio affinitatem mutuam cum Regno Ungariæ contrahente, eo magis amicitiam, & commercia inter populos horum Regnorum perſeveraſſe, credibile eſt: Nil adeo mirum, ſi Martellus veteres, avitosque amicos Spalat. Trag. & Siben. prius tentaverit, & per eosdem deinde Breberienſibus conciliatis Barones quoque Vngariæ (qui Andreæ infenſi erant) ad ſe attraxerit; ſed cum in hiſce conatibus mortem obiiſſet, Ungari, qui ei acceſſerant, ejus filium puerum XI. annorum a Bonif. VIII. eodem tempore in Sum. Pontificem electo, Regem petierunt, ut eorum Scriptores referunt, Madiusque concordat *cap. 3. de Papa Bonifacio 8. & fecit capi D. Celeſtinum Papam, & mitti in exilium ad quoddam Caſtrum ſuum, ubi finem vitæ ſuæ ipſe terminavit. Et Carolus Martellus primogenitus Regis Siciliæ migravit ex hoc ſeculo cum uxore ſua filia Regis Alemanniæ. Item ordinavit plures Cardinales D. Nicolaum ordinis fratrum Prædicatorum, & D. fratrem Gentilem ordinis Minorum, & duos ſuos nepotes Anno Domini* 1300. *menſe Auguſti tempore Bonifacii Papæ D. Carolus nepos Caroli Regis Siciliæ per mare cum galeis Spaletum applicuit, ubi per menſem, vel fere duos ſtetit, egrediensque de Civ. Spaleti in Comitatu Pauli Bani verſus Hung. ad uſurpandum Regnum prædictum de manu Regis Andreæ venit Sagrabiam, & ibi in manibus Magiſtri Hugrini traditur, audiens vero Andreas Budæ Regem Carolum veniſſe ad occupandum Regnum prædictum moritur, & ibidem ſepelitur honorifice.* Hæc Madius, qui oculatus teſtis eſſe debuit, & quamvis annales Ungarici, & cum eis Thuur. a Madio anno uno diſcrepent, tamen error in tranſcribendo Codice Ungarico irrepſiſſe potuit, cum eodem anno ſcilicet 1300 Comitem Georgium Pauli Bani filium in Apulia fuiſſe memorent Scripturæ, ibi forſan a patre miſſum deducendi pueri Regis gratia; ideo Carolo Martello jam mortuo anno 1295. ut Rain. refert, Carolum Robertum (Carobertum dictum) ejus filium in Ungaricum Regnum, ſcilicet Dalmatiam, deinde Croatiam apud Sagrabiam perveniſſe anno 1300. cum Madio concludendum eſt, quod etiam ex ejusdem privilegiis confirmatur, quæ annos Regni ejus ab anno 1300. exprimunt, ſcilicet ab ingreſſu in Regnum quando a Strigonienſi electo juſſu Summi Pontificis inunctus fuit: ſed mortuo eodem anno Andrea, cum ea pars procerum quæ eidem adhæſerat Carolum recipere nollet *Regemque ab Un-*

n. 19.

Rain. 1301. n. 7.

Ungaris eligi, nec ab aliis electum recipi debere contenderet. Bohemiæ Regi Wenceslavo proximo, potentique Principi, uti Andreæ, ultimo ex maſcula ſtirpe Regia ſuperſtite defuncto, gradu uno cognationis Carolo proximiori, Regnum detulerunt; Wencesl. accipere noluit, filium tamen ejusdem nominis Ungaris tradidit, qui ab Archiepiſcopo Colocen. (Strigonien. Eccleſia vacante) ſacra Corona redimitus fuit, inde ob controverſiam Regum puerorum inteſtina inter Ungaros aucta odia ſunt; qua de cauſa Bon. VIII. Carolo favens Nicolaum Cardinalem Legatum pro ejusdem coronatione in Ungariam miſit, ut Madius eodem capite refert. *Per idem tempus D. Nicolaus Cardinalis pro Legato in Hungariam mittitur cauſa coronationis Regis Caroli, qui multas conſtitutiones in Hungaria fecit,* tamen nihil profeciſſe Ungarici Scri-
1302. *n.* 19. ptores & Rainaldus concordant, & Wenceslavum & Ungaros in jus coram Pontifice vocaſſe, qui cum de Corona Ungarica apud Pontificium Tribunal diſputare abnuiſſent, Pontifex, præterita mentione Andreæ (quem non pro Rege ſed pro adminiſtratore Regni Un-
1299. *n.* 13. garici habitum Rainaldus notat) Mariæ uti ſorori Ladislavi, & Carolo Roberto, uti filio Caroli Martelli, qui Mariæ primogenitus dum vixerat in Regem Ungariæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ coronatus fuerat, jure ſucceſſionis Regnum Ungaricum adjudicavit Ana-
Rain. 1303. *n.* 14. gniæ 2. Kal. Iunii, in qua Ungariæ ſciſſura Dalmatæ quamvis Carolo adhæſiſſent Wenceslaumque reſpuerent, tamen nomen ejus in tabulis publicis præponere differebant, donec more ſolito Albæ Corona ſacra redimeretur; ita ut a morte Andreæ, & anno 1301. die 8. Martii uſque ad annum 1303. Regnum vacaſſe ſcripturæ Spalat. & Trag. exprimant, ſed ſupradicta ſententia Summi Pontificis per Dalmatiam publicata, quid decretum fuerit in Trag. Conſilio apparet, 1303. 22. *Aug. Quod cum Magiſter Laurentius Vicarius D. Archiepiſcopi Spalat. pridie in Eccleſia Sancti Laurentii (ſcilicet Cathedrali) publicaverit ex parte D. Papæ, & Archiepiſcopi ſub pœna excommunicationis, ut quilibet Notarius nominaret Regem Ungariæ, & Regnante eodem & Siroctus Notarius dicat ſe velle facere, & nolle eſſe excommunicatum. Captum quod Notarii ponant nomen Regis* abindeque nomen Caroli Regis in ſcripturis Dalmaticis reperitur; ſed cum Wenceslaus Rex Bo. filium apud Ungaros (cuncta ſibi arrogantes) nomen tantum Regium habere, Eccleſiaſticosque præſules ad partes Pontificias in dies accedere, Caroloque adhærere cerneret, puerum cum ſacra Corona e manibus Ungarorum eripuit; Ungari vero, quamvis hac protectione deſtituti, libertatem tamen Regis eligendi ſervare cupidi, Othonem Bavariæ Ducem filium Eliſabethæ ſororis Stephani VI. elegerunt, uti eodem gradu cognationis cum Maria Andream attingentem, ipſo Wenceslavo connivente (qui ſacram Coronam reſtituit) ab Veſprimien. & Canabien. Epiſcopis coronari fecerunt anno 1305. ut Ungarici Scriptores referunt: Sed paulo poſt a Vaivoda Tranſiluano Otho captus, Coronaque privatus ægre in Poloniam aufugit: cum interim Wences. ſenior Rex Bo. obiiſſet, juniori iterum Regnum Ungari ejus partium detulerunt, qui itidem paulo poſt de hac vita migravit; hoc interim Clemens V. in Solium Pontificium ſublimatus excommunicationem in Othonem pronunciavit, Gentilemque Cardinalem Legatum ad componendas Ungaricas diſſenſiones miſit, ut præter cæteros Madius refert *Ungarici cap. 5. de Papa Clemente V. Item miſit D. Rain. fratrem Gentilem in Hungariam pro Legato cauſa coronationis Regis Caroli Hung. A Domini MCCCVIII. menſe Iunii D. Legatus Gentilis intravit Spaletum ubi ab omnibus de Civitate fuit receptus honorifice abiit in Hungariam, & fecit coronari Regem Carolum;* quantas autem difficultates Legatus in cogendo Ungarorum concilio, animoſque eorundem Carolo conciliandos expertus ſit, ex geſtis ejusdem a Rainaldo relatis eli- 1308. *n.* 23. ci poteſt; cum Ungari etiam illi qui a Carolo ſtabant conſtantiſſime affirmarent 1308. *n.* 25. *quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum quod Eccleſia Romana, vel ipſe D. Legatus ejus nomine de Rege ullatenus provideret, ſed placebat eis, quod illum, quem ipſi ex antiquo, & approbato ejusdem Regni more vocarant & in Regem aſſumpſerant, præfatus D. Legatus ejusdem Eccleſiæ Romanæ nomine in verum Regem Ungariæ confirmaret,* ſed etiam ſi transactum fuiſſet, ut Carolus ab Vn- *n.* 23. garis electus, a Legato vero confirmatus diceretur; tamen neque Ladislaus Vaivoda Tranſilvanus, neque Mathæus Palatinus Concilio intereſſe voluerunt; Sed uſurpata quiſque dominia, contempta Regis auctoritate retinebat, ita ut Legatus per biennium in Ungaria moram trahere coactus fuerit; poſt conſtitutiones etenim a Rainaldo relatas, quæ anno 1309. collectæ dignoſcuntur, in originali exiſtunt aliæ duæ datæ Po- *in Bibli-* ſonii XI. Kal. Iunii Pontificatus Clem. *oth. Vati-* P.P.S. anno ſexto ſcil. 1310. quo tem- *cellana B.* pore tandem Legatus Vaivoda Tranſil- *n.* 12. vano in partes Caroli traducto, conſequutaque Corona, Carolum Albæ more conſueto *coronari fecit* ut Madius, & Ungarici ſcriptores referunt. Sic demum vicesimo anno poſt Ladislavi fratris necem Maria Coronam Ungaricam a pluribus controverſam favore ſummorum Pontificum conſecuta eſt. Carolo Roberto nepoti, qui paternos titulos Principis Salernitani, & honoris Montis Sancti Angeli aliis Ungaricis addidit, quibus ejus quoque deſcendentes uſi ſunt.

In qua de Regno Ungarico controverſia mors plurium perſonarum Unga-

rici Regni ſtatum variare fecit : Nam prout improbi mores Ladislavi in cauſa fuere, ut proceres inter ſe diſſiderent, ita ejusdem in occidendo unico fratre crudelitas omnium animos a ſe alienavit, cumque filios non haberet, occaſionem dedit, Andream (qui Venetiis uti privatus Civis vivebat) in ſpem Regni evocandi, & ſicuti repentina mors Ladislavi Andreæ præſenti Regnum detulit, ita Carolus Robertus niſi mors ejusdem Andreæ duorum Wenceslavorum, & plurium Prælatorum, qui a parte eorumdem ſteterant, interceſſiſſet, Regnum conſecutus non fuiſſet, cum, quamvis favore ſummorum Pontificum majorem partem Prælatorum, pluresque proceres ſibi obſequentes haberet, tamen neque poſt conſecutam ſacram Coronam regnare permittebatur, & cum Matthæo Palatino ſuisque adhærentibus acri prælio dimicare coactus fuit anno 1312. in quo ægre victor Regnum quidem ſibi confirmavit, auctoritate tamen nutante, & imbecilla per plures annos uſus eſt, ut inferius obſervabitur.

CAPUT XI.

De Differentia inter mare Adriaticum, & Culphum Veneticum.

ADrienſes Tuſcos Liburnis in maritima ditione ſucceſſiſſe: Adriaticoque nomen impoſuiſſe lib. primo cap. primo & 5. relatum eſt, & ex collatione rerum Venetarum aliquæ ipſorum actiones conjectatæ fuerunt lib. 3. cap. ultimo; ex quibus ſic breviter relatis Adriatici maris fines quinam fuerint, diſtingui nequit; ad quos eliciendos antiqua Tuſcorum ſedes inquirenda eſt, ut inde, & tempus adeptæ ditionis, & fines Adriatici maris diſtinguantur. Tuſcos enim Circumpadanos campos, Picenum, Tuſciam, & Campaniam in poteſtate habuiſſe Scriptores paſſim memorant; Sed quænam ex his antiqua ipſorum ſedes fuerit non conveniunt: Livius etenim Dec. prima lib. 5. ait.

Tuſcorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuere, mari ſupero, inferoque, quibus Italiæ Inſula modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare, ab Adria Tuſcorum colonia vocavere Italicæ gentes, Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant, ii in utrumque mare vergentes incoluere, urbibus duodenis, terras, prius cis Apenninum ad inferum mare, poſtea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, Coloniis miſſis, usque ad Alpes tenuere; Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo eſt, maxime Rhetis, quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo præter ſonum linguæ nec eum incorruptum retinent.

Diodorus autem Siculus de eisdem a Gallis e Circumpadana regione pulſis referens duplicem opinionem tradit lib. 14.

Galli, qui tranſalpinas regiones inhabitant, validis anguſtias illas copiis transgreſſi, terras inter Apenninum, & Alpium juga occupant, Tyrrhenis, qui illic habitabant ejectis. Hos nonnulli ex XII. Tyrrheniæ oppidis eo deductos tradunt, alii Pelaſgos eos faciunt, qui ante belli Trojani tempora Deucalionis e Theſſalia diluvium fugientes, ibi locorum conſederint, hosque ſecuti ſunt recentiores Scriptores. Philippus tamen Cluverius contrariam amplexus eſt opinionem; Nam Italiæ antiquæ lib. 2. cap. primo de Circumpadana regione differens ait.

Verum ſive duodecim heis, ſive pauciores numero, ſeu tandem nullæ per ea tempora in Circumpadana Etruria fuerint urbes; hæc certe Etruſcorum antiquiſſima ac prima fuit ſedes, ex qua poſtea in eam migrarunt regionem, quæ inter Apenninum & mare inferum Macramque amnem ac Tiberim dicta eſt Etruria. Probatur hoc eo maxime argumento quod plurima pars poſterioris hujus Etruriæ, antequam Pelasgi immigrarent, ab Umbris habitata fuit: teſtibus luculentiſſimis, qui ſupra citati, Herodoto, Marciano Heraclenſi, ac Dionyſio Halicarnaſſenſi, quibus adde Plinii auctoritatem lib. 3. cap. 5. ita tradentis: Etruria eſt ab amne Macra; ipſa mutatis ſæpe nominibus, Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi: Hos Lydi, a quorum Rege Tyrrheni, mox a ſacrificio ritu lingua Græcorum Thuſci ſunt cognominati, & paulo poſt loca & amnes recenſens Etruriæ, *hinc amnes Prille, mox Umbro, navigiorum capax; & ab eo tractus Umbriæ.* Hic amnis Umbro vulgari nunc vocabulo Ombrone, mediam fere Macram inter Tiberimque ſecat Etruriam. Quum igitur antiquitus heic fuerint Umbri; Tuſcos, quos non Lydos origine ſed antiquiſſimam indigenamque Italiæ fuiſſe gentem, ſatis ſuperque oſtenſum, aliam tum habuiſſe ſedem certum eſt. Ea vero nulla demonſtrari poteſt, niſi quam inter Apenninum, & Alpeis circa Padum incoluerunt. Huc adde quod Umbris ad inferum mare incolentibus Ligures fuere contermini Dionyſius Halicar. eodem lib. primo de Aboriginibus loquens *alii Ligurum colonos eos fuiſſe fabulantur, Umbris confinium.*

Quibus Cluverii obſervationibus addi poſſunt alia Dionyſii & Plinii loca, nam Dionyſius eodem lib. primo de Pelasgis cum Umbris mixtis incolentibus differens ait: *tenuerunt indiviſæ gentes ſociæ Cere, Agylla, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia, quæ poſtea a Tyrrhenis occupata ſunt.* & infra *derelictas autem a Pelasgis urbes occupaverunt tum alii multi, & quique erant finitimi, tum maxime Tyrrheni plurimas ac optimas.*

mas. Plinius quoque lib. 3. cap. 14. *Umbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, ut quos Ombrios a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent CCC. eorum oppida Thusci debellasse reperiuntur.* Ex quibus Tuscos Pelasgorum, & Umbrorum loca ex utraque Apennini parte occupasse constat; Sed de antiqua sede Tuscorum clarius idem Dionysius eodem lib. primo.

Atque Tyrrhenos quidem diversos esse a Pelasgis hoc argumento inducor, neque tamen Lydorum eos colonos arbitror, nec enim communis illis est lingua; nec possumus dicere, quod licet non amplius uno utuntur sermone, alia tamen priscæ patriæ servant indicia: neque enim eadem, quæ Lydi colunt numina, nec similibus utuntur legibus, aut studiis; verum hac parte plus a Lydis, quam a Pelasgis differunt; Quare vereor ne verisimilior eorum sit oratio, qui, non advenam esse hanc gentem, sed indigenam adseverant: quandoquidem & pervetusta est, nec cum ulla alia moribus, aut lingua convenire compertum est. Hoc autem nomine a Græcis adpellatos esse nihil vetat, vel propter domicilia turrita, vel ab aliquo potente principe. Romani certe aliis eos vocant nominibus: Etenim ab regione, quam aliquando incoluerunt, nomine Etruriam, Etruscos adpellitant, & ob excellentem sacrorum ac Divini cultus peritiam, nunc quidem obscurius Tuscos, olim vero exactiori voce quemadmodum Græci Θυοσκόος *nuncupabant; ipsi vero a Duce quodam Rasena, eodem quo ille modo se nominant, urbes autem a Tyrrhenis habitatas, & modos administrandæ reipublicæ, universamque ejus gentis potentiam, & res gestas digniores cognitu; ad hæc fortunæ varias vices dicemus alias.* Ex quibus apparet Tuscos a Romanis dictos fuisse, Etruscos a regione *quam aliquando incoluerunt Etruria* scilicet ante Romana tempora; quæ alia esse non potest, quam Circumpadana Etruria, ex qua deinde Ligurum, & Umbrorum regiones occupaverunt, de qua Etruria antiqua & Circumpadana Plinium locutum perspicitur; dum eodem cap. 14. lib. 3. ait: *ab Ancona Gallica ora incipit Togatæ Galliæ cognomine, Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmensem, Pretutianum, Adrianumque agrum, Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli,* cum e Circumpadana Etruria Tuscos a Gallis pulsos constet; de qua Diodorum quoque Siculum scripsisse apparebit, si expendantur ejusdem verba lib. 5. ab eodem Cluverio ad probandum Tuscorum luxum allata. *Præstat ut de Tyrrhenis etiam dicamus; Hi quondam fortitudine præcellentes magnum terræ tractum occuparunt, multasque & celebres condiderunt Urbes, quin & Classe potentes diu maris Imperium tenuere, & mare quod Italiam alluit Tyrrhenum de suo nomine appellarunt. Hi inter cætera, quibus pedestrem militiam excoluere, tubam reperierunt ad bella utilissimam, quæ Tyrrhena inde vocatur. Summis exercituum Ducibus, hoc ipso Majestatem conciliarunt, quod lictores cum fascibus, & sellam curulem ex ebore, togamque purpura prætextam illis addidere. Domorum quoque porticus ad avertendos turbæ servorum, & Clientum strepitus, & molestias percommodum invenerunt, quorum pleraque imitati Romani in suam translata Rempublicam ad summam elegantiam provexere: Litteris vero & in primis naturæ perscrutationi plurimum studii impenderunt fulminum considerationi præ cunctis mortalibus summopere intenti, quapropter hac etiamnum ætate totius prope Arbis moderatores hos viros admirantur, & prodigiorum per fulmina ostensorum interpretibus illis utuntur, cum autem terram incolant uberrimam, eamque probe exerceant, largissimos inde fructus percipiunt, qui non modo ad nutricationem sufficientem, verum etiam ad prolixas voluptates, & delitias conducant. Bis enim in die mensas adornant opiparas, cæteraque ad lautitiem & fastum pertinentia adhibent, stragula texunt, cum floribus insperſa, argenteorum eis poculorum ingens copia est, & varietas, familiarium etiam ministrorum non exiguus in parato est numerus, quorum alii formæ decore excellunt, alii sumptuosiore, quam pro servili conditione vestitu exornati sunt, secretas ab aliis sedes habent omni cultu instructas, tum servi, tum etiam ingenuorum plerique, ad extremum abjecta quam olim exercuerant virtute in compotationibus, & ignavia degeneri vitam exigunt, ideoque non mirum est, quod majorum in bellis gloriam amiserunt, nec minimum eis ad luxum confert soli præstabilitas, regionem enim tenent utilissimam & optimis glebis præditam, ex qua omnis generis fructus recondunt: Tyrrhenia enim fecunditate nulli cedens terræ in late patentibus campis recumbit, clivosos tamen interim colles habet, arationi idoneas. Humori etiam mediocri, non hyberno solum tempore sed æstivo rigatur.* ex quibus sicuti constat Diodorum florentem referre Tuscorum statum, ita ubertatem terræ, fructuum exuberantiam, delitias, opiparas mensas, argenti copiam, lateque patentes campos, qui etiam æstivo tempore rigarentur enumerando, Circumpadanam regionem describere apparet, ut apud Plutarchum quoque videre est, qui eamdem regionem a Gallis occupatam describens in Camillo ait: *Arboribus regio omnis pascuisque læta, atque irrigua fluminibus incolebatur urbibus octodecim insignibus, atque amplis ad rem industria parandam, & ad luxum vitæ pariter comparatis, has Galli ejectis Tuscis ipsi occupavere,* sed cum eamdem regionem adhuc incolere Tyrrhenos Diodorus innuat, eaque Tuscis sui temporis non congruant, ideo ab aliquo Scriptore antiquo Circumpadanam Etruriam describente, ea sumpsisse debuit, ut perspicitur ex eis, quæ de *Domorum porticibus ad avertendas turbæ servorum, & Clientum strepitus percommode invenerunt* refert, quæ de Atriis ab Atriensibus inventis intelligenda esse, testatur Varro de lingua Latina lib. 4. *Impluvium, compluvium utrumque a pluvia Tuscanicum dictum a Tuscis, postquam illorum cavum ædium similare ceperunt. Atrium appellatum ab Atriensibus Tuscis illinc enim exemplum sumptum,* quorum nomen brevitati studens omisit, prout etiam Adriatici maris ab eisdem denominati.

Sed cum Etruriæ Circumpadanæ antiquum nomen Galli deleviſſent, Galliciſque nominibus, quibus in poteſtate Romanorum pervenerant vocaretur, ut præter cæteros obſervat Strabo lib. 5. *Romani autem rerum potiti cum Colonos in varia loca emitterent, nomina tamen eorum, qui prius ibi habitaverant conſervarunt, ac nunc Romani cum ſint omnes, nihilominus tamen quidam Umbri, alii Tyrrheni, Veneti, Ligures, Inſubres dicuntur* fieri potuit ut Diodorus, omiſſo antiquo Circumpadanæ Etruriæ nomine jam obliterato, omnia Tuſciæ ſui temporis tribuat, prout ejusdem coævus Livius ex Ciſapenninæ Tuſciæ nomine ſervato, hanc antiquam Etruriam arbitratus, inde in Circumpadanam Colonias deductas nulla adhibita dubitatione ſcripſit; Polybius autem hunc errorem vulgarem redarguere videtur loco a Cluverio relato lib. 2. *Igitur planiciem iſtam (ſcilicet circa Padum) tenuere quondam Tyrrheni cum quidem, & campos circa Capuam, & Nolam, Phlegreos quondam dictos poſſederunt, quod multorum pravis conatibus obſtarent exteris innotuerunt, magnamque opinionem virtutis apud eos ſunt conſecuti. Idcirco qui in Tyrrhenorum principatus inquirunt, eos oportet non ad illam regionem, quam nunc tenent oculos referre, ſed ad campos ſupradictos, & ad opes quas inde colligebant.*

Tuſcorum igitur antiquam ſedem in Circumpadana Etruria fuiſſe cum Cluverio dicendum eſt, exindeque in Tuſciam, Picenum, & Campaniam colonias deductas; Sed cum in referendis Liguriæ finibus locum Polybii, accolas Apennini deſcribentis adducens Cluverius *lib. 2. Initium Apennini ſupra Maſſiliam, & qua Alpibus jungitur Ligures habent ex utroque latere, & quod Tyrrhenum mare ſpectat, & quod prædictam planitiem: Iuxta mare ad Piſam usque primam Tyrrhenis verſus Occaſum Solis Urbem, in mediterraneo ad Aretinorum usque fines, inde ſequuntur Tyrrheni, & mox his contermini Umbri* fines Liguriæ juxta Arni fluenta poſuerit, quod de tempore a Polybio relato intelligendum eſt, nam ſicut antiquitus rebus Tuſcorum florentibus, Liguriæ fines citra Macram ſitos Lunæque portum Tuſcorum fuiſſe ex Strabone deducit, ita innuere videtur rebus eorundem langueſcentibus, omnia loca usque ad Arnum, Aretinorumque fines a Liguribus adempta, & tempore Polybii poſſeſſa fuiſſe: Lucas tamen Holſtenius, ejusdem Cluverii in peregrinatione Italica Comes, locum eundem Polybii expendens, vir antiquitatis peritiſſimus dictionem (Aretinorum) reliquæ verborum Polybii ſententiæ non congruere animadvertit; quippe Polybius relatis Liguriæ finibus ex Meridionali latere Apennini, mare verſus ſitis, fines Apennino Septemtrionales & Mediterraneos deſcripturus, Aretinos minime nominaſſet, qui in Meridionali ejusdem latere ſiti, mare ſpectant, ſed aliquos ex Tranſapenninis populis, qui ad *prædictam planitiem* ſiti ſunt; ideo ex ſimilitudine vocis pro Τῆς Ἀρρητίνως Χώρας reponi debere Τὴν Ῥηγίνων Χώρας (Reginorum fines) paulo ante mortem pro veteri amicitia ſignificavit, idque ex alio Polybii loco ſe elicuiſſe dixit, ubi relata victoria quam Romani de Gallis in Tuſcia conſequti ſunt, ſubdit lib. 2. *Romanorum Dux collecta ſpolia Romam miſit, prædas iis reddidit, a quibus fuerat abacta, ipſe cum utroque exercitu ſecundum Liguriæ fines iter faciens in Bojorum agrum irrupit, ſatiatisque militum animis, prædæ avidis, paucis diebus copias Romam reduxit*, ideo ſive per vallem Sefronianam in eorundem Reginorum agrum (ut in notis Holſtenii repertum fuit) ſive per vallem Mugellam breviori itinere (cum circa Telamonem prælium ſecutum Polybius referat) faciliorique Apennini tranſitu in Bononienſem irruperunt. Romani, (cum utrique Boi fuerint) eo usque Liguriæ fines extenſos fuiſſe dicendum eſt, quo Romani tranſierunt *juxta Liguriæ fines* iter facientes, quibus ſic explicatis, & correctis, ſi argumenta Io. Baptiſtæ Aguchii Felſinæ ſuæ Principatum Etruriæ tribuentis, locumque Plinii adducentis *Epiſtol. cap. 15. lib. 3. Colonia Bononia Felſina vocitata quum Princeps Etruriæ eſſet* invertantur; *edita Botanon* 1638. & Etruria antiqua in Circumpadana regione ſtatuta, ex eadem in Ligures & Umbros expeditiones factæ dicantur, longe probabiliores ejus eruditiſſimæ conjecturæ evadent: Ex opportunitate enim ſitus prope faciliorem Apennini tranſitum, & utriusque maris proximitatem, rebus Tuſcorum florentibus, ex frequentibus conventis ibidem factis Felſinam ad Principatum utriusque Etruriæ evectam cum Plinio dicendum eſt; cum tunc temporis univerſa quoque Italia Tyrrhenia nuncuparetur; ut Dion. Halic. refert lib. primo *erat Tyrrheniæ nomen illo tempore celebre per Græciam, & tota Italia qua Occidentem ſpectat nullo gentium diſcrimine appellationem illam habebat.* & infra *quæ quidem confuſio non minus quam alibi in Italicis fuit gentibus, fuit enim tempus quo Latini, Umbri, Auſones, & alii Tyrrheni a Græcis dicebantur, quod propter longinquitatem earum gentium difficile eſſet, hæc diligenter diſcernere, adeo ut Romam ipſam Tyrrhenicam Urbem multi Scriptores opinati ſunt.* inde Servius ad X. Aeneidos *Tuſcos omnem pene Italiam ſubjugaſſe manifeſtum eſt:* Tuſci ergo ſicuti potiorem Italiæ partem poſſederunt, ita eidem proprium nomen communicarunt, proximoque mari indiderunt, & alterum Tuſcum, ſive Tyrrhenum a nomine gentis, alterum Adriaticum ab Adria Etruriæ Civitate dictum fuit, & quamvis Adriaticum pro ſupero; & Tuſcum pro infero *quibus Italiæ inſula modo cingitur* communiter cum Livio & Plinio ſumant, Scriptores tamen alia maris nomina inter hæc interpoſita fuiſſe conſtat, certosque, & determinatos fines utrumque habuiſſe, nam de infero Plinius lib 2.

Quum

Quum igitur trigoni ſpeciem Italia tota referat, unum ejus latus, quod Orientem ſpectat Ionium mare, & continuus illi ſinus Adriaticus terminant, Meridiei vero, & Occidenti obverſum latus Siculum Tyrrhenumque mare. & infra *Alpium continua juga definiunt, quæ a Maſſilia, & proximis locis mari Sardoo incipiunt.* Strabo autem lib. 2. *Quidquid hujus maris eſt ad Africam Africum, ſeu Libicum mare dicitur, quæ ad oppoſitam terram pertinent partes, mare Hiſpanicum, Liguſticum, Sardooum, ac denique Tyrrhenum usque ad Siciliam dicuntur* idem Plinius lib. 3. cap. 5. *mare Liguſticum ab eo ad Siciliam Inſulam Tuſcum quod ex Græcis alii Notium alii Tyrrhenum, e noſtris plurimi inferum vocant* & etiamſi eoſdem Tuſcos Claſſe potentes Sardiniam & Corſinam aliquando in poteſtate habuiſſe, Coloniasque in Oceanum deducere tentaſſe referant Diodorus, & Strabo, tamen Siculis, & Carthaginenſibus obſtantibus, intra Siciliam, Corſicam, & Sardiniam Tuſci, ſive Tyrrheni maris nomen reſtrictum fuit, ſed quamvis, quonam tempore Etruſci, Ligures, & Umbros ex hodierna Tuſcia pepulerint, ditionemque proximi maris adepti ſint nemo tradat, & ea quæ Dionyſius loco citato de *eorundem Republica, univerſa ejus gentis potentia, resque geſtas digniores cognitu, & fortunæ varias vices* ſe alias dicturum promittit ſimul cum aliis operibus ejus perierint; tamen cum Herculem ex Hiſpania reducem Ligures viciſſe, cum Aboriginibusque, & Evandro verſatum referat; Tyrrhenorum autem mentionem nullam faciat, hinc argui poteſt Herculis tempore Tuſcos nondum Apenninum transgreſſos fuiſſe, ſed paulo poſt; Nam annis LV. poſtea, ſcilicet adventus Æneæ tempore, Tuſciam hodiernam poſſediſſe, ea quæ de Mezentio Tyr. Rege idem tradit Dionyſius comprobent; Campaniam vero ante Romuli tempora tenuiſſe Capua XLVIII. annis ante Romam condita declarat. De Adriatico autem mari diverſa eſt ratio: Nam quando Etruriam ſolum Circumpadanam Tuſci incolebant, nulla ex parte mare ſuperum attingebant, obſtantibus Venetis, Spinetis, & Umbris; ſed his pulſis, paludibusque circa oſtia Padi aptatis, ut Plinius refert lib. 3. cap. 16. ubi relatis Padi oſtiis ſubdit *omnia ea flumina, foſſasque primi Sagi fecere Tuſci egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ ſeptem maria appellantur, nobili portu oppidi Thuſcorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum* Adriatici ditionem conſequti ſunt, quod eveniſſe debuit circa ea tempora quando Græci Corcyram Liburnis ademerunt, id eſt poſt annum XVI. ab urbe condita, ut relatum eſt lib. primo cap. 5. viguiſſeque usque quo a Gallis pulſi fuerunt, ut Livius refert Dec. 1. lib. 5. *Priſco Tarquinio Romæ regnante Beloveſus ſuperatis Alpibus, fuſisque acie Thuſcis, haud procul Ticino flumine condidit urbem Mediolanum. Alia ſubinde manus Elitovio Duce, ubi nunc Brixia, & Verona urbes ſunt, locos tenuere Libui, conſiderunt, poſt hos Saluvii, qui prope antiquam gentem Levos Ligures incolentes, circa Ticinum amnem petiere Apenninum, deinde Boi, Lingonesque transgreſſi, cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Hetruſcos modo, ſed etiam Umbros agro pellunt: intra Apenninum tamen ſe ſe tenuere: tum Senones recentiſſimi advenarum ab Vtente flumine usque ad Aeſin fines habuere* ſed etiamſi Adriaticum mare, uti majorem partem ſinus (a Græcis Ionii dicti) pro univerſo ſinu ſumant Scriptores; idemque eſſe Adriam, & Ionium Scylax, & Strabo teſtentur, tamen ejus fines uſque ad montem Garganum, & Dyrrachium intra ipſum ſinum perveniſſe Cluverius ex Ptolomeo pluribus demonſtrat, quibus poteſt addi locus Strabonis ab eo prætermiſſus, qui Epiroticas gentes deſcripturus lib. 7. ait: *Nos autem conabimur quantum, & ſcriptioni huic convenit, & a nobis præſtari poteſt ſingula proſequi; ſumpto ab ora Ionii ſinus initio, quæ ibi incipit, ubi ex Adria navigatio finitur. Prima hujus oræ pars eſt circa Epidamnum, & Apolloniam* Cauſam autem, quare ultra Epidamnum Atrienſes fines ſuos non protulerint, repetenda eſt ex ſuprarelatis de Liburnis lib. 1. cap. 5. nam ſicuti ex Scheriæ poſſeſſione Liburnos univerſo ſinui dominatos fuiſſe ibidem oſtenſum fuit, ita cum eandem Græci, Liburnis ademptam, Corcyram denominaverint, antequam Atrienſes maris dominium conſequti ſint. Inde Atrienſium ditionem uſque ad Corcyreorum fines extenſam fuiſſe dicendum eſt, quorum Coloniæ fuerunt Dyrrachium, & Appollonia; ideo Atrienſes, qui rebus Corcyreorum florentibus Liburnis ſucceſſerant, ditionem ſuam ultra Dyrrachium, & Garganum montem proferre non potuerunt; Adriatici ergo maris antiqua denominatio, limitibus intra ſinum deſcriptis terminata fuit; Ptolomæus tamen extra ſinum quoque Adriaticum protendit, & Peloponneſum, Cretam, & Siciliam tangere ſcribit, ipſoque antiquior S. Lucas navigationem Divi Pauli e Creta Siciliam verſus deſcribens in actis Apoſtolorum cap. 27. ait. *Quum ergo quarta decima nox adveniſſet, & jactaremur in Adria*, quomodo autem, quandove mare, quod Siculum dicebatur, Adriatici nomen ſortitum ſit nemo refert: id tamen eveniſſe potuit poſt inſtitutas ab Auguſto Claſſium ſtationes Miſeni, & Ravennæ, cum Miſenati, a Sicilia Occidentem, & Meridiem verſus, maris cura demandata fuerit. Ravennati vero, Adriaticiſmus, proximique Ionii, Siculi, & Ægæi cum reliquo Orientali, ut Vegetius refert lib. 4 *apud Miſenum & Ravennam ſingulæ Legiones cum Claſſibus ſtabant, ne longius a tutela urbis abſederent, & cum ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes Mundi partes pervenirent, nam Miſenatium*

l. 4. c. 17.

ſenatium Claſſis Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo; Claſſis autem Ravennatium Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione conſueverat. Adeo, cum ut ipſius Siciliæ cuſtodia Miſenati Claſſi tributa fuerit, maris autem Siculi dicti Ravennati; ideo ad æquivocationem vitandam, ex Claſſe Adriatica mare Siculum cuſtodiente, Adriatici maris nomen extenſum, Siculumque obliteratum fuiſſe, conijci poteſt, quod ſicuti ad antiquam Adriatici denominationem a Tuſcis inductam referri non poteſt (ut Cluverius recte animadvertit) ita Strabo antiqua nomina referens Siculum, quod apud auctores reperiit poſuit, prout etiam idem Ptolomeus, qui quamvis Romano tunc uſuali more Adriaticum ſui temporis uſque ad Cretam protendat, tamen in relatione locorum intra ſinum exiſtentium aliqua in Ionio, & aliqua in Adriatico more antiquo ſtatuit. Hinc obſervanti patebit Adriatico mari idem, quod Illyrico eveniſſe: poſtquam enim Illyricum uſque ad Danubium ſeu Iſtrum extenſum fuit, Illyrici maritimi, & antiqui nomen obſoleſcere cœpit, & in Dalmatiam tranſiit, ut relatum eſt; ita Adriatico quoque mari extra ſinum Cretam uſque extenſo, antiquum Adriaticum Dalmaticum dictum fuit, ut præter relatos auctores teſtantur Lucanus Pharſal. lib. 2. deſcribens Apenninum montem.

lib. pr. cap. 6.

Mons inter geminas medius ſe porrigit undas
Inferni ſuperique maris, collesque coercent.
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ.
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Et Tacitus Annal. lib. 30.

Piſo Dalmatico mari tranſmiſſo, relictisque apud Anconam navibus per Picenum. ſi quis igitur antiquam Tuſcorum ditionem concipere vellet, eamdem cum recentioribus comparare, & Regno Longobardorum aſſimilare poſſet. Nam prout ante Romanum Imperium Italiam a Græcis Tyrrheniam nuncupatam refert Dionyſius, ita poſt ejuſdem declinationem a Romano Græcis ſcil. Pyzant. ſive Conſtantinopol. Scriptoribus Longobardia dicta fuit, a Longobardis, qui Circumpadana regione occupata, reliqua quoque loca conſecuti ſunt, quæ olim Tuſci tenuerunt, in hoc tamen invicem diſcreparunt, quod Tuſci vires Græcorum per Italica littora, & Siciliam diſtractas nacti, navigationem inſtituere & exinde dominium in utroque mari adipiſci potuerunt; Longobardi vero neutro mari potiti ſunt, obſtantibus Romano-Græcis, qui utrumque mare ſimul cum littoribus Italicis Orientalibus retinebant; ſed Tuſci luxui ſe dedentes Circumpadana a Gallis, Campania a Samnitibus, & Occidentali Tuſciæ parte a Liguribus pulſi, ſimul cum nomine amiſerunt, nomenque ipſorum in Meridionali tantum Tuſciæ parte ſervatum fuit; Longobardi vero quamvis a Francogallis ſubacti fuerint, tamen Longobardici Regni nomen diu in uſu fuit, donec in Italicum tranſiit, hodieque Circumpadana regio Longobardiæ nomen, ſive ut vulgo Lombardiæ, ſervat; etiamſi Scriptores latine ſcribentes, Gallica nomina Romano more urſurpare ſoleant.

Etruriæ ergo Circumpadanæ antiquæ quamvis nomina perierint, tamen, & Rhetia a Duce eorum Rheto, & mare proximum ab Atrienſibus denominata nomina antiqua Tuſcorum adhuc ſervant; ſed cum ipſum Adriaticum mare Culphum Veneticum dicatur quomodo, quandove id nomen inditum fuerit indagandum eſt. Veneti ab antiquiſſimis temporibus proximi Tuſcis, deinde Gallis regionem inter Alpes, & Atheſim tenuerunt, vigenteque Romano Imperio poſſederunt, & quamvis a Longobardis deinde univerſa ditione terreſtri pulſi fuerint, tamen ad æſtuaria confugientes, maris uſum ſimul cum nomine ſervarunt, Græcisque Imperatoribus adhærentes conatibus Longobardorum obſtiterunt, & Dalmatis aſſociati, Saracenos e ſinu pepulerunt, Narentanos deleverunt, & Northmannis compeſcitis, Atrienſium imitatione, Adriatici quoque fines antiquos conſecuti ſunt, & quamvis Emanuel Imperator dominium Adriatici recuperare tentaverit, graveque damnum eorum rebus intulerit, & ex amiſſione Iadræ majora incommoda experti ſint, tamen cum Claſſes Græcanicæ intra ſinum deinceps non venerint, & Northmannorum ſtirpe extincta, ſucceſſores Germani parum maris uſum habuerint: Veneti prolata interim in Orientem navigatione, & in Palæſtina Civitatum expugnatarum participes facti, crebro illuc navigantes, univerſos ſinus accolas a ſe pendere coegerunt, & oblata Francorum ſocietate Iadram expugnarunt, indeque ipſum Græcorum Imperium capta Conſtantinopolicum Francis diviſerunt, majoremque ejus partem ſortiti titulis Dalmatiæ, & Croatiæ quartæ, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ addiderunt, exindeque Culphi Venetici nomen apud auctores uſurpatum reperitur, cujus cauſa indaganda eſt: Thomam enim Maurocenum primum Conſtantinopolitanum Patriarcham a Latinis electum confirmatione a Summo Pontifice conſecuta, Veneta Claſſe vectum, Raguſium, & Dyrrachium Venetis acquiſiviſſe Dandulus refert.

CA-

Thomas igitur Mauroceno ab Innocentio Patriarcha effectus, & cum literis Papæ Venetias rediit, & cum parato ſtolo portum exiit, & Raguſinæ urbi, quæ Græcorum inſtinctu rebellaverat Venetis, bellum intulit, illique de Græcorum diffiſi favore civitatem Venetis reddidere: Patriarcha poſtea ſecedens Dyrracchinm impugnavit, cepit, & munivit, & Conſtantinopolim inde pervenit & infra. *Petrus Ziani Dux ordinatur Anno Domini* 1205. *pari igitur propoſito Dux anno* 2. *paratis* 13. *galeis Rainerium Dandulo, & Rogerium Permarino præfecit, qui extra Venetorum Culphum euntes Leonem Veteranum Piratam cum* 9. *galeis capiunt, & morti tradunt, poſtea Corphum hoſtiliter aggrediuntur, & tandem obtinent, & muniunt, & quæ geſſerant Duci inſinuant; Dux tunc Angelo Avotanto Petro Michaeli, Stephano Foſcareno, Gilberto Quirino, Octaviano Firmo, Iacobo Fero, Marino Caprincolo, Guliano Staniano, Simoni Bono, & Ioanni Beato eandem inſulam conſtituendam tradit.* inde argui poteſt ex Raguſii & Dyrrachii conſecutione Venetos juriſdictionem Orientalis Imperii intra ſinum prorſus extinxiſſe, & cum Corcyra occupata decem viros ad eam reformandam miſiſſent, vel ut alii Chroniſtæ Coloniam inibi deduxiſſent; ideo prout olim ex ejuſdem Corcyræ poſſeſſione totius ſinus ditionem Liburnos tenuiſſe relatum eſt, ita ex ejuſdem occupatione dominium maris ultra fines antiquii Adriatici proferentes, integrum ſinum conſecuti Veneti, eidem nomen quoque proprium, prolatione tamen Latino-Græca Culphi Veneti impoſuerunt, & quamvis in Ionio quoque & Ægæo plures Inſulas conſecuti, Veneticum mare Adriatico Romano æquiparaverint, tamen cum abſolutum eorum dominium non retinuerint, antiqua nomina, Ionio, & Ægæo ſervata ſunt, & quamvis Conſtantinopolis a Græcis recuperata fuiſſet, indeque incommodum in Ægæo Venetis proveniſſet, tamen maritima potentia præcellentes Græcos, eoſdem Peram & Chium Genuenſibus ipſorum æmulis cedere neceſſitarunt, Culphum autem ipſum, ſicuti ſine controverſia tenebant, ita in dies poſſeſſionem ejuſdem eo magis ſibi vindicabant, & oblata occaſione, ob victualia denegata voluntariam ſtrinnam (quam uti maris domini a navigantibus recipiebant) in tributum neceſſarium verterunt, Bononienſesque & Anconitanos ex hoc tumultuantes compeſcuerunt, confirmatoque Culphi dominio Orientales navigationes continuantes, divitiisque affluentes terras in continenti acquirere ſatagebant, quod animadvertentes qui Reipublicæ præſidebant, verentesque ne Cives terreſtribus deliciis implicati abalienarentur a navigatione, lege lata terras emere prohibuerunt; Conſilia deinde, & Magiſtratus reformata fuerunt, adeoque temperata fuit Reipublicæ forma, ut deinceps mirabili proſperitate uſi, cunctis admirationi fuerint; ſed ſicuti Culphi dominium tam ex propria potentia, quam ex circumjacentium Principum mutuis contentionibus quiete poſſidebant, ita quod ſibi proximum unicumque deeſſe videbatur Sedes Atrienſium Padique fluminis oſtia in ſuam poteſtatem redigere oblata occaſione decreverunt, Ferrariamque occuparunt; ſed cum id Summus Pontifex non probaret, reſtitutionisque eoſdem monuiſſet, ipſique (uti rem maximi momenti) exequi cunctarentur, Interdicti fulmine percuſſi, per Orbem Chriſtianum multa mala perpeſſi ſunt, internaque quies tunc turbata fuit: conjuratione enim Boemundi Theupuli Reſpublica Veneta concuſſa eſt, rebusque nondum ſedatis Iadra defecit.

1259. 1271. 1273. 1274. 1309. 1310. 1311.

CAPUT XII.

De Tertia Iadrenſi defectione.

IAdram circa finem Ducatus Gradonici ad Ungaros defeciſſe hiſtorici Veneti uniformes referunt, idemque Regis Ungariæ Privilegium Iadrenſibus paulo poſt conceſſum teſtatur.

Carolus D. G. Ung. Dal. Cro. Ramæ, Serviæ Gallic. Ludom. Cumaniæ, Bulgariæque Rex. Univerſis & ſingulis quibus expedit præſens ſcriptum inſpecturis ſal. in omnium Salvatore. Decet Regiam Excellentiam juſtis precum inſtantiis ſuorum ſubditorum, & fidelium animum inclinare & eiſdem condeſcendere Regali cum favore, ut ipſorum numerus in opere fidelitatis augeatur, atque creſcat, proinde ad univerſorum notitiam tam præſentium, quam futurorum harum ſerie volumus pervenire, quod religioſus vir frater Stephanus Ordinis Prædicat. & Nob: vir Martinus Civis Iadr. Syndici, & Nuntii ejuſdem Civitatis ad noſtram accedentes præſentiam vice, & nomine Civium, ac Univerſitatis prædictæ Civ. a nobis cum inſtantia poſtularunt, ut prædictam Civitatem, Cives, ac Univerſitatem Iadren. in ipſorum libertatibus, & juribus conſervare dignaremur, quæ per noſtros progenitores Illuſtres Reges Ung. ſpecialiter per Dominum Regem Belam ipſis datæ fuerunt, & conceſſæ; præterea quod rectorem quem voluerint ſibi poſſint aſſumere, vel eligere, ſive ab eadem Civitate, ſive fuerit de aliis partibus, qui poſſit eos regere ſecundum conſuetudinem, & libertatem ipſius Civitatis. Nos igitur volentes invigilare pro commodo & quiete ipſorum Civium, & Univerſitatis noſtræ antedictæ Civitatis, & nihilominus attendentes ipſorum petitionem eſſe juſtam & legitimam, prædictis eorum petitionibus annuentes, juxta ipſorum voluntatem promittenda eosdem ſervare in propriis eorum libertatibus, & juribus, quæ ipſis ſunt conceſſæ per noſtros progenitores, & Illuſtr. Belam

Belam Regem antedictum, nec aliquis Banus pro tempore constitutus, vel ejus officialis possit eos in aliquo causare articulo, judicare!, vel ad suam præsentiam trahere, in cujus rei memoriam perpetuamque sinceritatem has nostras literas Privilegiales concessimus duplici sigilli nostri appensione, & munimine roboratas. Datum per manus discreti viri Præpositi. Alben. Ecclesiæ, Aulæ nostræ Vicecanc. dilecti & fidelis nostri 4. Idus Octobris Anno Domini 1311. Regni nostri similiter XI. tempus autem defectionis Madius refert *cap. 6. Anno Domini 1311. mense Martii Civitas Iadra a dominio Venetorum fuit rebellata, subiiciens se dominio Pauli Bani & suorum filiorum, & anno sequenti mense May Paulus Banus Nobilis Croatarum obiit ad Christum, & Mladinus ejus filius in Banum ordinatur.* Venetos statim pro recuperatione Iadræ Classem emisisse, eidemque præfuisse Bartholomæum Michaelem, Marcum Iustiniano, & Marinum Bembo, Chronistæ referunt, Regemque Ungariæ pro Iadrensium indemnitate Venetis scripsisse denotant Epistolæ Ducis Ven. eidem Regi, & suo legato apud eundem Regem existenti scriptæ, quæ post appendicem Annalium Danduli in codice Vaticano reperiuntur.

Serenissimo & Potentissimo D. Carolo D. G. Ungariæ Regi plurimum honorando Marinus Georgio eadem Gratia Dux Ven. & ..., Serenitatis Regiæ duas ejusdem tenoris literas in duabus vicibus, & temporibus successive transmissas honore susceptimus condecenti, quarum habebat inter cætera series, quod Civitas Iadræ, quam multis jam elapsis temporibus per nos fore occupatam asseritis, nunc sponte ad vestras manus rediit, & vestro se dominio subjugavit, propter quod Culmen Regium nos rogavit, quod cum intellexeritis per nos ipsi Civitati & ad eandem pertinentibus Insulis molestias, damna, & multa fieri nocumenta, prædictam Civitatem, & ad ipsam pertinentes insulas nollemus ulterius molestare, super quo scire volumus Regiam Majestatem quod primis habitis literis statim fieri mandavimus responsales, sed cursor lator earum recessit subito, literas nostras non recipiens, nec requirens, & receptis postmodum aliis similibus literis dum ad missionem nostræ responsionis intenderemus, supervenerant aliæ tertiæ litteræ, per quas nos requirentes super eadem materia, quædam verba aspera prout vobis placuit concluslistis. Super quibus admirationem concipientes non modicam Regio culmini respondemus. Quod si veram hujus rei informationem Majestas Regia habuisset, securi reddimur, quod nullas de prædictis literis destinasset, nec postposuisset falsis suggestionibus amoris constantiam, quæ semper ab antiquo inter progenitores vestros Reges Illustres Ungariæ, & prædecessores nostros Duces & Venetiarum Dominium viguit, amplis utrinque vallata servitiis, ac gratis beneficiis augmentata. Sed credimus quod per rebelles nostros perfidos, & infidelissimos Iadrenses ingratitudinis filios Culmini Regio quæ ipsorum nequam propositum attinent, veritate tacita mendaciter sint suggesta. Verum ut Regiæ Majestati facti veritas pateat, eidem rescribimus quod ipsa Civitas Iadræ, ut est ubique notorium, fuit nostra, & ipsam legitime possidemus a tempore, cujus non est memoria, immo ab antiquissimo tempore, & plenum & sufficiens jus & jurisdictionem acquisivimus, habuimus, & habemus, per consequens in eodem, jus vestri Regni Ung. expressum, & notorium in ipsa Civitate scilicet perceptio duarum partium tributi portæ Iadræ, semper facientes ob reverentiam & amorem Regium integre conservari & dari ad beneplacitum Serenissimorum Regum prædecessorum vestrorum, dum eis placuit ordinare, & postmodum ipsum jus habuit Banus Regionis scilicet Banus Paulus Croatarum, tamquam qui non intendebamus nec intendimus jura turbare in aliqua Regia, sed ad conservationem earum dare potius auxilium & favorem; de quibus juribus, & possessionibus nostris dictæ Civitatis quibus per multa curricula temporum usum fuit Ven. dominium nulla unquam per Reges Ung. requisitio, inquietatio, vel molestia facta fuit Venetiarum Communi. Immo per Illustrissimum Dominum Belam Serenissimum Regem Ungariæ fuit recognitum, quod Dominium dictæ Civitatis ac possessio ad Venetiarum pertineat Commune; prout hæc & alia patent exemplo conventionem imitarum inter ipsum Dominum Regem per se, & suos successores, & Dominum Ducem & Commune Venetorum quæ mandavimus ostendi per Nobilem Virum Nicolaum Grimani fidelem nostrum Regiæ Majestati. Ex prædicta ergo notificatione verorum constare potest perspicue Celsitudini Regiæ: qualis fuit ipsorum Iadrensium & adhuc ut majorem de ipsorum molestiis notitiam habeatis Regiæ Majestati aliqua de his, quæ contra nostrum attentarunt dominium, breviter præsentibus referemus. Nam ut est toti Mundo notorium, eorum status sub nostro felici & suavi dominio, mirabiliter auctus erat. Nam de manu nostra suscipiebant omnium bonorum abundantiam, & plenitudinem gratiarum, sed ipsi tantorum bonorum ingrati, ac eo ipso quo magis augmentum status procurabamus eorum, magis temere præsumentes Civitatem ipsam contra nostrum dominium, immo contra se ipsos potius rebellarunt, sed speramus in Domino quod nisi ad nostram gratiam & mandata redierint, eorum perfidiam, superbiam, virium nostrarum potentia, divino directa subsidio, in hac nostra tam justa causa prout eorum exigunt demerita conteremus, Serenitatem igitur Regiam rogamus attente, quatenus ex prædictis veritate concepta negotii Iadren. perfidiam exosam habente ab audientia Regia super talibus excludantur, ac nostram, & Ducatus nostri amicitiam ab antiquo servatam illæsé & sic quantum in nobis est proponen in futurum nunc & in posterum conservare velitis ad Regia commoda & honores. Die 12. Novembris, X. Indictione 1311. Nicolao autem Grimano Venetorum apud Regem Ung. Legato.

Significamus vobis quod literas Serenis. D. R. Ung. nobis per quemdam adductas cursorem recepimus, inter cætera continentes, quod Civitas Iadræ nunc ad manus suas sponte rediit, propter quod nos rogavit, quod cum intellexisset, per nos eidem Civitati multa damna fieri ac plurima nocumenta, placere nobis ab offensione dictæ Civitatis abstinere, ac facere abstineri. Ad quas literas mandavimus fieri responsales, sed cursor

ipse

ipſe receſſit ſubito, noſtris literis non receptis. Subſequenter vero alias ſimiles recepimus literas, ad quarum reſponſionem dum intenderemus, aliæ tertiæ literæ Regiæ ſupervenerunt, graviores ſatis prioribus. Nam ibi quædam cominatoria verba concluduntur, ut videre poteritis per exemplum earum, quod vobis mittimus præſentibus incluſum, nos vero deliberatione habita diligenti, cum plenum jus & Dominium ſuper Civitatem Iadræ habeamus, tam ex antiqua & longa poſſeſſione, quam etiam per formam quarumdam conventionum initarum inter Sereniſſimum Dominum Belam R. Ungariæ per ſe, & ſucceſſores ſuos, & D. Ducem & Commune Ven. quarum conventionum exemplum vobis ſimiliter mittimus præſentibus incluſum. Per quas conventiones contentatatur idem D. Rex Iadræ dominium ad nos & noſtrum Commune Ven. totaliter pertinere, & quod nunquam ſe intromittet de ea prout hæc & alia in ipſis conventionibus plenius diſtinguuntur, eidem D. Regi ſuper prædictis ſuis miſſionibus per noſtras duximus literas, prout convenit reſpondendum, quarum literarum exemplum ſimiliter vobis mittimus ad cautelam vos rogantes, per nos & noſtra Conſilia minus, & de XV. præcipiendo, mandantes, quatenus dictas noſtras literas, quas D. Regi mittimus eidem debeatis præſentare ſollicite, vel ſi abeſſet, & ſibi eas ita cito præſentare non poſſetis, ſibi eas per fidelem nuntium ut eas citius habeat mittere debeatis. Cæterum autem idem D. Rex in ſuis prædictis literis videatur aſſerere ipſam Civitatem ad ſe totaliter pertinere, ignorans forſan jus, & jurisdictionem quam habemus in ea, debeatis adire præſentiam Regiam, & ſibi inter cætera exponere magnum amorem, & amicitiam, quæ ab antiquo viguit inter prædeceſſores ſuos Sereniſſimos Ung. Reges, & prædictos noſtros Duces & Commune Ven. illæſa continuavit, poſtmodum ſemper cum exhibitionibus mutuis magnorum beneficiorum, ac ſervitiorum ampliſſime irrogatorum viciſſim, ut eſſe poteſt notorium toti mundo, & prout poteſt Majeſtas Regia manifeſte ſcire tam ex fama, quam ex forma conventionum prædictarum, quas conventiones quantum in nobis eſt ſervare intendimus perpetuis temporibus illibate, proponentes & nos, & tota Venetia prædictum amorem & amicitiam ad ipſum & Regnum ſuum continuare ſemper. futuris temporibus, ſi ſuo Culmini complacebit, quibus prout diſcretioni veſtræ videbitur relatis, dicetis eidem, quod nos opinantes ipſum informatum eſſe falſis ſuggeſtionibus noſtrorum infidelium Iadren iniquorum tacita veritate Serenitati ſuæ puram & veram per noſtras literas denotavimus veritatem, ſuper jure, & jurisdictione quam habemus in Iadra ab antiquis temporibus, & adhuc ut majorem informationem habeat de prædictis, ut ſuus animus conquieſcat, aſpiciens veritatem & jus noſtrum validiſſimum quod habemus, providimus facere ſibi per vos oſtendi exempla conventionum ipſarum, quæ vos ſibi oſtendere debeatis, ſi videre voluerit. Tamen hoc taliter facientes quod non fiant, nec oſtendatis vos hoc facere per modum litigii, nec quod videatur vos velle ſtare ſuæ deffinitioni, ſed ad informandum animum ſuum de jure noſtro, dicatis ſibi propter quod habeatur per Chronicas noſtras, quæ fuerunt diutiſſimæ, & ſunt in noſtra Procuratia Sancti Marci, qui eſt locus ita ſolemnis, quod jam ſunt circa anni CCCXIX. quod Iadrenſes ſponte dederunt ſe, & terram Iadræ abſolute, & præciſe Duci tunc præſenti & Communi Venetiarum. Circa ea quæ dicta ſunt taliter vos habentes, ut de providentia veſtra confidimus, & ſperamus, denotantes nobis ſolicite quæcunque per vos facta fuerint in prædictis, & reſponſionem fiendam per Regem, omnia particulariter, & diſtincte ac alia quæcunque ad hoc facientia ſcire, & inveſtigare poteritis. Et ſciatis, quod ſi quas expenſas continget vos facere pro eundo ad Regem, ſi forte abeſſet, vel aliter vos contigeret expenſare pro dicto facto vobis ſatisfieri integre faciemus. Die 12. Nov. X. Indict. 1311.

Diuturnam autem fuiſſe Iadrenſem obſidionem ex eis quæ Scriptores mox referendi tradunt elicitur, quo temporis ſpatio de Concordia agitatum conſtat ex epiſtola Ducis Iadrenſibus ſcripta, quæ cum ſuprarelatis reperitur.

Marinus Georgio D. G. Ven. atque Cro. Dux Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ Nobb. W. qui Iadræ rectores ſe aſſerunt, rectum in errore concipere intellectum. Duas literas veſtras, unam datam die ultimo Sept. alteram die 3. Octob. unam poſt alteram, quas nobis miſiſtis inſpeximus. In quibus inferentes verba plurima magnificentia nomen Dei, finaliter in literis ultimis concluſiſtis, quod pacem & concordiam totis viribus anhelabatis nobiſcum, & quod propterea ad nos miſiſſetis ſolemniter ambaſciatores veſtros, ſi de ſecuritate eorum fuiſſetis confiſi; ſed inducebat terrorem vobis mors illius de Arbo, qui extinctus in noſtra fuerat Civitate, & ideo providiſtis nobis tutius literas deſtinare. Ad quas vobis reſcribimus, quod ſi ad Dominum intuitum mentis veſtræ dirigatis, ſapienter & provide agitis, & utinam oculos mentis convertiſſetis ad eum ad quem nos in omni ſtatu glorificamus devote, & tanto propenſius, quanto nobis licet aliquando ſiniſtrum nobis afferat, vel permittat vires & potentiam ipſius honorem & gloriam, & reprimendas quorumcunque injurias reſervavit, & tamen de ipſis viribus & potentia noſtra ſolum in tantum in ipſis confidimus, in quantum ipſius Domini Dei noſtri beneplacitis credimus inhærere, nec poteſt ejus incomprehenſibile judicium facile concipi quod cauſis latentibus permittit, fortunam aliquos blandiri ut fortius eos lædat; ſed verbis hujusmodi diutius immorari. Ad id quod dicitis quod pacem anheletis, & vultis, reſcribimus, quod mandato Dominico totis viribus adhærentes illam voluimus, nec unquam pro nobis remanſit, ut omnibus non extat incognitum. Nam ab initio, & poſtmodum ſæpe, & pluries noſtros Ambb. transmiſimus, & ad vos primo, & poſtmodum de Nobilibus noſtris ſæpe, & ſæpius ad partes prædictas, & non pro nobis, ſed pro vobis ſemper remanſit bonum concordiæ, ut vos ſcitis, & novit Deus, cui omnia ſunt aperta, & nunc etiam in eadem voluntate reconciliationis, & pacis conſiſtimus, & conſiſtere intendimus ſemper cum quibuscunque, modo facta procedant, quæ nec in proſperis, nec in adverſis animum noſtrum immutant; Ita quod ſicut & tunc, ita & nunc illam volumus, & ad

illam intendimus, semper cum quibuscunque personis, & ad ipsam habendam cum eo quod convenit, dare operam efficacem, & specialis reconciliationem & bonum cunctis nostræ Iadræ & vestrum quos tanta affectione dileximus, tanta charitate fuimus prosequuti, quantum (novit Deus) poterat pater naturalis erga filios gerere, vel habere, nec multum est opus exempli, nisi vos cunctos & statum vestrum aspicere, qui in tantum aucti sub nostro suavi Dominio fueratis, nec occasione mortis illius de Arbo, vel alia causa habeatis, vel habetis de mittendo ad nos timore, vel in aliquo dubitare, quoniam ipse occasione nostra, vel alicujus civis Venetiarum nunquam recepit injuriam aliquam, vel offensam; immo tractabatur, honorabatur, & videbatur per nos, & nostros tanquam charus, & fidelis noster dilectus. Sed quidam inimici ejus capitales, quorum insidiis nemo in mundo tueri secure se potest, illum lethaliter percusserunt, de cujus morte nos, & tota Venetia doluimus, & dolemus, & statim persequi fecimus malefactores prædictos, & de aliquo invento justitiam, & vindictam sumi. Illos autem qui fugerunt persequi mandavimus per omnes partes, & bona eorum omnia sub nostro Dominio existentia intromitti, etiam multam pecuniæ quantitatem statuimus dari exhibentibus nobis eos, quod pro dicta occasione, ut dictum est nec habebitis nec habeatis - - - -, si habetis illud desiderium quod dicitis remanere de mittendo ad nos Ambasciatores vestros, qui non minus quam in propria domo poterant, & poterunt esse securi, qui si venient, in nobis reperient voluntatem pacis, quam dicimus, & totum quod convenit, pro bono tranquillitatis, & pacis; aliter cognoscemus expresse, quod verba vestra nullum habent effectum, nec aliquam firmitatem; sed quod astutum unum ore dicitis, & corde aliud cogitatis. Dat. die 17. Octobris XI. Ind. 1312.

Animadvertendum tamen est, Belam Regem in Privilegio Caroli Regis nominatum non esse eundem cum altero Bela Epistolæ Ducis, nam Carolus Privilegium Belæ tertii Iadrensibus concessum confirmat, Veneti autem conventiones cum Bela quarto initas memorare dignoscuntur.

Quid deinde in obsidione evenerit, & quomodo de pace conventum fuerit, illorum temporum Scriptores referunt; Nam Madius Cap. 6. supra relato sequitur.

Anno Domini 1313. mense Iunii Domini Almasius & Bonpaon de Catalonia milites stipendiarii pro Communitate Venetiarum in lignis Venetorum cum mille militibus bene armatis, & mille peditibus ad lanceas longas, & mille balestrariis associatis ipsis 15. galeis missis per Commune Ven. in obsidium Iadrensium applicuerunt ad insulam Nonæ, quæ vocatur Vra, & ibi descenderunt de lignis in terram, manserunt per aliquod dies, consummatisque octo diebus, recesserunt de dicta insula ad terram, facientes viam versus Civitatem Iadræ sine contradictione Domini Bani, & Iadren. & dum pervenerunt ad locum prope Civitatem Iadræ, ubi ab antiquo Civitas Iadræ fuit supra fontanellam, ibi se collocarunt, facientes in circuitu se Civitatem de lignaminibus cum turribus & maceriis de lapidibus. Audiens vero Banus Mladinus ipsos Catalanos venisse & habuisse magnum exercitum, fecit congregari exercitum Sclavorum, & Teutonicorum tam per stipendium quam per amicitiam, & congregato exercitu, venit cum exercitu ante Civitatem Iadræ supra barcaneum ad Ecclesiam Sancti Iacobi prope exercitum Catalanorum per duo milliaria distans ab ipsis. Tandem vero prædicti Catalani tamquam proditores completo termino trium mensium, & habito stipendio a Venetis pro tribus mensibus declinaverunt se ad amicitiam & societatem D. Bani Mladeni, & Iadrensium primo promissis 5. mill. florenorum auri, & datis, relinquentes Venetos, & stipendia, eorum, propterea sicut Deo placuit convocatis galeis Venet. & Nob. qui fuerant in dictis galeis per D. Banum Mladenum, & D. Almasium pax & concordium inter ipsos Venetos & Iadrenses firmatum est, & compositum in hunc modum, videlicet, quod ipsi Iadrenses perpetuo habebunt dominium & regimen de Venetiis, nam ipsi debent eligere Comitem, & Dux confirmare, & ipsi permanebunt in libertate & pace. Hæc Madius. Albertinus autem Mussatus de gestis Italicorum lib. 2. clarius; nam relata Teupulana conjuratione sequitur.

Nec ipsa belli expers per hos Italicorum anfractus quievit (scilicet Venetia) Iadrenses quidem Venetis diu faventes pulso præsidio ad Banum Mladinum vicinum oræ Sclavonicæ Comitem defecere, cujus favore freti, excusso Venetorum jugo rebelles effecti sunt, exterriti tanta novitate Veneti, si Zadra, quæ sinum maris Adriatici ad tutum Navigantium transitum possidet, non modo vacans obsequiis, sed ad rebellionem depravata cursus marinos impediat, hoc tamquam sui exitii momentum, initiumque intolerabile amovendum tollendumque, decrevere etiam sub cujusque belli discrimine, Mirumque quam expleta rerum desideria, maxime ultionum avidos in cæcitates adducant. His acciri placuit Dalmasium Catheloniensem virum belligerum, qui Ferrariensi bello cohortium ductor mille fere Venetis cæsis, necatisque eorum fuderat exercitum, qui & per seditionem occiso Franc. Marchione Estense, cum quo adversus Venetos eosdem consortia egerat; talem Ferrariam cedentem, translata in Robertum Regem Apuliæ, qui alterum Præfectum in ea constituerat, suis admisere subsidiis cum M. mercenariorum equitum, totidemque pedestrium catervis, ære dato ter mensium suffuturo stipendiis, instructaque multa Classe secus Insulam, quæ Zadræ adjacet, obsidioni se exposuere. Is multo strepitu, tumultuque navibus excedens prope Zadræ oppidum stativa posuit, vallo foveisque circummunivit. Protinus & Banus in eodem ab Aquilone campo, mille ferme passibus a Dalmasii stativis, totidemque a Zadræ mœniis castris positis, copias suas eduxit, unde & Si oppugnaturus oppidum Dalmasius castris exiret, & hic eadem invaderet. Variis hinc, & hinc eadem æstate certaminibus fatigatæ parres, parum memorabilia egere, multo Venetorum fastidio, impenso namque pondere, cum suæ maximæ pecuniarum effusionibus res agerentur; illis ædibus propriis commodorum omnium vicinitate

gau-

gauderent. Dumque ad hyberna coaptandarum, quæ tanto exercitui ſuppeterent rerum tempus impelleret, expleto Dalmaſii ſuorumque trimeſtri ſtipendio, Venetias, ut pro advenientibus tribus juxta initas utrimque conventiones miſit; Veneti tantis exhauſti effuſionibus, & pondere gravis æris arctatum, eo campo, quo ſine eorum remigio egredi non valeret, exiſtimantes trimeſtre perſolvere multa indigentia commode non poſſe, in reſponſis dedere. Sit ipſe contentus unius dumtaxat menſis tracti exolutione, quam & quatuor aureorum eſſe velit pro ſingulis haſtatis, quæ de octo fuerat aureis, primi fœderis percuſſione anguſtatus, oppreſſusque & temporis & loci opportunitate Dalmaſius, in ſe variis angebatur anxietatibus, torquebaturque ad frequentes converſus ſupplicationes, multorum reiteratione nuntiorum, ut ſibi, ſuisque pacta ſervarent, quibus & ſua ſponte compati, ac contribuere, dum in hybernis ſuffultos neceſſariis ſocios continere valuerit. Nec hæc pertinaces ſeu penuria coarctante, ſeu concepta violentiæ perſeverantia, Venetos movere. Banus horum omnium per transfugas gnarus, edoctusque, primo clanculum Venetos de pace per internuncios interpellavit: In amicitiæ fiduciam Zadrenſes accipiant, humilioribus obſequiis ex liberalitate ſervituros, quam ſi violenta obedientia premerentur, ſit eis actualis, non verbalis libertas, ſpontanea quam coacta gratior Zadrenſibus, utiliorque Venetis eſto. At Venetorum in Zadrenſes Majeſtas ſolida cum ſubditis indignata paciſci, nil oblatorum admiſit, offenſa magis libertate petita. Bannus irremiſſus, ſic ferentibus rerum ſucceſſibus ad Dalmaſium loco, tempore, & vexantibus Venetis circumventum converſus, ut rebus ſic afflictis, ut ipſe noverat, clandeſtine ſollicitavit. Demùm tacitis per internuncios allocutionibus ſuggeſtione facta Venetis, ut pro utriuſque colloquio ad ipſorum Venetorum vota res componi poſſent, convenere Banus, & Dalmaſius. Quumque inter utrumque fœdus eſt jurejurando emologatum, at Venetorum caſtris egrediens in Zadram cum ſuis pergat, accepturus a Bano in præſentiarum florenos aureos mille, præſitque Zadræ regimini annua florenorum M. mercede cum determinatis ad impenſarum uſum grani, vini, & animalium fulcimentis. His, dum ipſi Dalmaſio libuerit, ad id tempus duraturis, ſitque in ejusdem optione, ſi maluerint in Apuliam migrare, & quandocunque ei libuerit in tuto traiiciendus ſit vaſis, & impenſis Banni cum ſui & ſuorum armis, & equis. Regreſſus Dalmaſius, uti indignatione infecti negotii, cum Banno ad certamen ſub oppidi mœnia movendum ſignis claſſicis, militarique fragore, ſero conſtituit. Suorum primores ſecretis, quid in ſequentem fuerat acturus, monitis edocuit. Poſtquam autem illuxit in Kal. Septembris anni XIII. CC. milleſimi inſtructis aciebus, deſtitutis caſtris, Zadram cum ſuis intravit incolumis. Veneti collectis extemplo ſarcinis, admiratione, metuque ſimul ſtupefacti, ad naves ſe, ſuaque contulere; inſultum habituri erant in eandem Claſſem niſi ſecedentes e portu curſu celeri remigaſſent. Sic

Zara rebella diſcazando lo ſo Conte M. Michiel Moreſini, lo qual ſo aſcoſo per favor de Nobel in Zara in la caſa de io nobel della che nome-

parum feliciter rebus geſtis graviſſima perpeſſi Veneti, nec ipſi bellorum Italicorum impunes fuere. Zadram ingreſſus, acceptusque magna alacritate Dalmaſius, ut hujusmodi proditionis infamiam, ſi qua notabatur in virtutis obſequium transferret, affectos oneroſo bello Zadrenſes ad pacem, quam ſe illis ſaluberrimam dari ſpopondit, hortatus eſt; quos ubi pronos, tractabilesque percepit, ſubito Legatos ad Venetos miſit, qui ſe non ob alias in Zadram translatum cauſas aſſerant, niſi ut quod victores nulla obſidionis preſſura facere nequiverat, ampliori, utiliorique pacis fœdere hac ſimulatione efficeret: velint ipſi tantum poſitis iracundiæ ſtimulis, evidentibus ſuis commodis acquieſcere, plurium potituri hoc ingenio, quam armis: patianturque, ut tam male diſpoſitis ad ſua commoda rebus ſibi conſulat, quodque in Zadram ſe tranſtulerat, non fraudi, dolove; ſed frugi, laudabilique propoſito adſcribant. Veneti tanto in anfractu, diſcrimineque afflictis ſic rebus ad opem converſi, grates amico circumſpectoque viro tantæ mediationis egere, reſpectuque dilationis, ut conſulto Duce id agere queant, dato illius ſe petituros conſiliis reſpondere Duci ſenatuque Venetiarum, quos aliter potiundæ, Zadræ ſpes deſeruerat, hæc grata acceptaque viſa, juſſique primores exercitus ut antequam ſui excidii (quod jam increbeſcat) fama prodeat, cuique fœderi, quod ſpem pacis habeat, intendat, exequaturque. Irremiſſi peragente Dalmaſio, optantibus leniter Zadrenſibus pacem ictam ad omnium nationes publicavere, acturi de conditionibus per utriusque partis arbitros Dalmaſio medio: interea inermes Veneti inter mœnia recepti fiducialiter prælato ex ſe uno, qui ad inſtar primarum conſuetudinum Communitatis jus Venetis diceret, in urbe verſabantur, comiterque comitia agebant per ſocialia fœdera. Nec minus jugiter, & in dies de pacis conditionibus agebatur. Cumque (ſicut aſſolet) in tractatuum diſceptationibus ſuper articulis diſcolæ partes decertarent, paulo ante ſedati incaluere animi, habitusque Dalmaſius utrinque ſuſpectus, ne vacillans rurſus alteram fallat, alteri adhæreat, ipſumque aſiutiſſimum hæc non latuere, qui Zadra cedere, ſi incolumis valeat, conſtituit: Concione igitur habita, quæ ſuper pace egerat, rememoravit, bono animo, ingentique ſolertia res ſalubres hinc, atque hinc exercuiſſe, rebus æque ad utriusque partis bonum commune diſpoſitis, abire velle, vaſa, navesque onerarias, quibus equos & ſarcinas in Apuliam traiiciat, poſcit. Ab utrisque grates actæ, naveſque conſtitutæ quinque, quas præmiſſas pelagi tempeſtas inceſſit, abegitque, ut ſcopulorum cautes incuterent, eliſæque fretum ſubirent. Dalmaſius omnium vitandarum inſidiarum aſtutia noctu lembum ingreſſus, in Apuliam devectus eſt.

Hæc illorum temporum ſcriptores de Iadrenſi defectione; quibus addi poſſunt, quæ aliqui Chroniſtæ Veneti tradunt; defectionem enim Anonymus referens ait.

Iadra defecit exauctorato a civibus Comite Michaele Mauroceno, qui a Patritiis in domo Saladini de Saladinis occultatus aufugit, habitu

nomeva f Saldin de Saladini, e con cauto muodo veſtido a muodo di fratre inſi fuor dela terra, & ſcapolo, li 2. conſe jeri del dito Conte ſo f Zan Zuſtignam e f Marcho Dandolo retegnudi e meſi in prexon. & infra.

Zuanne Soranzo Doſe 1312. *Item in queſto tempo habiando l' animo atento de reaquiſtar Zara la qual ſteva ancho forte, e coſtante in la ſua dureza nobel eſercito per mar ello manda ad aſſe diar quella della qual ſo mandado Cap. General f Belletto Zuſtignan, lo qual ſiando ſtado per io tempo avanti Zara molto el ſo agravado de infirmitade a tal che ſoto el dormiva per ſalute della ſo perſona, la qual coſa preſentando Zaratini aparia occultamente ſuo navilii, & una notte che ſo mal e peſſimo tempo & da grande obſcuritade le galie ſe meſe la ſera l' una luntan dal altra como eſercito che ſe poteva dir non aver cavo per la grieve malatia del Cap. antedito, e de Zaradini algun dubio elli non avevà & ſpecialmente in quella notte per lo iniquiſſimo & fortunal Tempo che jera, li Zaratini inſi fuora del ſo porto con algumi ſo navilii armadi e deſarmadi, & ande a ferir in la galia del Cap. & de io de i altri ſoura comiti e quelli prexe con lo Cap. e ſoura comito e tutta la Zurma anenti chel ſubſidio dell altre galie ſe podeſſe aver e tutti meſe in le ſuo prexon de Zara, lo qual Cap. ſi per la infirmitade che lo aveva chomo de gran melinconia & deſplaſer de tanto infortunio che li jera occorſo ananti che foſe fatta la paſe el mori in le preſon de Zara. Vegnuda tal nova al Doſe receve meſtitia non puocha, & de preſente manda a Zara con pluxor galie f Vido de Canal per Cap. Gral. li Zaratini molto inſuperbiti non curava del Comun de Vueniesia e finalment Zachuua delle parte deſideroſe de paſe ſi comeza a trattar acordo e ſo fatto Zoe conſignando entro le altre coſe per pati como Zara ſe deva al Comun de Veniesia el qual in tutto debia rezer lor contre ſuo Zudeſi che elli li dadara Laſſando l' arbitrio a lui ſolo de violentia, robaria de Strada, & incendio & far ſecondo li ſuo ordini, la qual parte, aconzo, o vero patti ſo firmadi in* 1313. *adi . . de Settembrio & alorali Zaratini eleſſe per ſo Conte primam I. Vidal. Michael.*

Monacali indutus : duo vero conſiliarii ejus Ioannes Iuſtiniano & Marcus Dandulo capti & in carcerem conjecti fuere. & infra.

Ioannes Superantio Dux 1312. *Item hoc tempore recuperationi Iadrenſi intentus Claſſem inſtruit præpoſito Capitaneo Generali Beletto Iuſtiniano, qui multo tempore in obſidione Iadrenſi moram trahens ægrotavit, hacque de cauſa intra conſtratum navis dormiebat, quod cum Iadrenſes reſciviſſent, occulto navigia parant, & obſervata maris tempeſtate, propter quam triremes una ab altera longe in ſtatione ſe locaverant, ſubſequutaque nocte obſcura excuntes cum lembis armatis & inermibus, triremem Imperatoriam itemque & aliam ceperunt una cum ipſo Imperatore, & præfecto alterius, omnibusque remigibus, prius quam ſubſidia ab aliis triremibus advenire poſſent, captosque in carceribus poſuerunt (qui Capitaneus tam ob infirmitatem, quam ob mœrorem infortunii obiit in carceribus antequam pax fieret) quo audito Dux ægerrime tulit, & elegit novum Imperatorem Vitalem Canalem, pluresque triremes inſtruxit. Iadrenſes elati Commune Venetorum ſpernebant, tandem ambæ partes cupientes pacem ea concluſa fuit, & inter cætera pactum, ut Iadrenſes ſe dederent, regimenque Civitatis in poſterum penes Comitem, & tres Iudices ab ipſis Iadrenſibus electos eſſet, relicto ſoli (Comiti) arbitrio in violentiis, graſſationibus, & incendiis ſecundum eorum ſtatuta hæc concluſa fuerunt* 1313 *. . Septembris, & tunc Iadrenſes elegerunt primum Comitem Vitalem Michaelem.*

In qua Iadrenſi obſidione Arbenſes a Iadrenſibus damnificatos, memoria reperitur. Hæc ſcriptores & monumenta illorum temporum, de tertia Iadrenſi defectione, rebuſque ea occaſione geſtis ad pacem uſque reconciliatam referunt; Sed nuſquam cauſa, occaſione defectionis ejusdem apparet, idcirco indaganda eſt, ut & relata melius percipiantur, & quæ deinde anno 1345. evenerunt clarior evadant.

Iadrenſes contracta antiquitus cum Venetis ſocietate, rectores Venetos ſæpe habuiſſe ex jam dictis conſtat, eorundemque opibus fretos, Croatorum moleſtias avertiſſe, agrique fines protuliſſe; ſed cum rectores, qui annui eſſe ſolebant, perpetuos habuerint, idque ſervitutem ſibi inducere interpretarentur, primo tumultuantes rectorem ejecerunt; ſed eundem recipere coacti, occaſione oblata aperte defecerunt, tunc mutua damna, & inde odia orta ſunt, Venetique occaſionem captantes, Francorum auxilio Iadram everterunt, Iadrenſes vero patriam reſtaurare aggreſſi, inſularum recuperandarum gratia, quietoque Civitatis ſtatu Venetum rectorem iterum recipere coacti fuerunt; Sed cum calamitas patriæ acerba recordatione civium animis obverſaretur, inani ſpe apparatus Friderici oſtentata, rectorem ejecerunt, Ungaricique Regni quamvis a Tartaris deſolati protectioni ſe tradere coacti fuerunt, ex quo improvido conſilio, cum muros nondum reſtauratos defendere nequirent, patriam deſeruerunt, mox, ut in eandem reciperentur, conditiones, quas Venetis placuit ſubierunt, ſic ex ſociis ſubditi effecti ſunt: & non ſolum jure eligendi Comitis privati, ſed etiam loco conſiliariorum Civium, duos Venetos Iudices habuere, caſtrumque & præſi-

dium

dium Venetum tolerare coacti sunt, ut relatum est. Quod quidem quam grave fuerit Iadrensibus, qui proximas civitates maritimas suo arbitratu Comites eligere, nulloque militum præsidio imminuta libertate frui cernebant, facile intelligi potest; Tamen cum præsidium pellere simulque & Castrum expugnare per se impotentes essent, ab Ungaricoque Regno variis casuum successibus perturbato, nullum auxilium contra Venetorum potentiam sperarent, quiete vivere coacti, privatis utilitatibus ex libera navigatione incumbentes opes auxere, sed cum Breberienses dilatata per Croatiam & Dalmatiam potentia, Comitatus reliquarum Civitatum maritimarum consecuti, unicum quod ipsis deerat Iadrensem, summopere desiderarent. Teupulanaque conjuratione res Venetorum perturbatæ fuissent, & ob interdictum Papale per proximas Civitates Dalmaticas inquisitio fieret *an post prohibitionem Domini Papæ aliquid Venetis venderetur, vel ab eisdem emeretur*, inde commerciis impeditis, & commoto ut conjici debet populo, Iadrenses capta occasione Banique Pauli freti auxiliis, re maturius quam prius constituta, Castrum occuparunt, præsidium oppresserunt, Comiteque & Consiliariis Venetis retentis, Mladinum Bani filium Comitem elegerunt; Sed cum Mladinus Iadræ Comitatu adepto titulo Principis Dalmatiæ uti cœpisset, inde veriti, quod sicuti Banus pater in Bosna & Croatia dominationem fere arbitrariam exercebat, ita Comes libertatem eorum opprimeret, eandem relato Privilegio Regio firmare studuerunt, insulasque a Venetis occupatas ope ejusdem Regis recuperare nisi sunt, ut ex relatis Epistolis apparet.

1310. 23. Octob.

Sed cum Bani mors intercessisset Mladinusque filius in Banatu Dalmatiæ & Croatiæ Bosnenfique ditione successisset, & Rex eodem anno in Ungaria superiori victoriam de rebellibus consecutus fuisset; Inde Mladinus timens ne sibi quoque dominationis arbitrium compesceret, Iadrenses cum Venetis de pace agere permisit, sed cum ii Dalmasium cum Catalanis conduxissent, Classemque parassent, nihil conclusum fuit, inde militibus transfretatis Iadram obsederunt, Banus autem in subsidium venit, & conscius discordiæ inter Dalmasium & Venetos ortæ, iterum Venetis reconciliationem cum Iadrensi Comitatu obtulit, sed cum Veneti sperarent, se Civitatem expugnaturos, cum subditis quasi cum libris pacisci dedignati, conditiones respuerunt; idcirco Banus Iadrenses cum Dalmasio composuit, Comitatuque Iadræ eidem concesso, Venetos delusit, qui transfugio Catalanorum territi, spemque potiundæ Iadræ frustrati, verentes, ne *Zadra quæ situm maris Adriatici ad tutum navigantium transitum possidet, cursus marinos impediat*, ideo *hoc sui exitii momentum initiumque intolerabile amovendum*, Iadram ex manibus Bani & Catalanorum quibuscumque conditionibus eripere, decrevere, & electione Comitis Veneti Iadrensibus permissa, confirmationeque tantum sibi reservata in reliquis arbitrium permiserunt, & veluti cum sociis æquo jure convenerunt, sic ex compositione cum Venetis Iadrenses Mladini: & Dalmasi dominatum evitarunt, insulasque recuperarunt, destructoque Venetorum Castro, Civitatem suo arbitratu regentes, navigationemque reassumentes, denuo socii nominis Veneti evaserunt, qui absolutione a Summo Pontifice recepta, navigationes quietas & dominium Culfi continuarunt. Mladinus autem Venetorum amicitiam consecutus, omnia ex arbitrio suo disponens, cunctis onerosus evasit.

CAPUT XIII.

De potentia Breberiens. in Tyrannidem versa.

Comites Breberienses in relatis de Regno Ungarico controversiis potentiam suam mirum in modum auxerunt; nam Comes Paulus Stepconis olim Bani filius Dalmatiæ & Croatiæ Banatum consecutus, dominium quoque Bosnæ adeptus est, & Gregorius ejus frater Comitatus omnium fere Civitatum maritimarum tenens, Comes maritimus dictus fuit, cui alter Gregorium nepos Pauli prædicti Bani filius secundus dictus successit, & cum ad ejusdem petitionem intercedente Maria Caroli Roberti Avia Bonif. 8. Sibenicen. Episcopatum (in vanum reclamantibus Tragurinis) erexisset (ut in patriæ Chron. latius) & a summo Pontifice Comes Civitatum Dalmatiæ vocatus fuisset, hunc titulum Gregorius retinuit, & deinde in Comitem Dalmatiæ mutavit, exindeque Nona, Scardona, Sibenicum, Clissum, Almisum, quamvis Croaticæ Civitates, & legibus Croatorum viventes, uti a Comite Dalmatiæ rectæ inter Dalmaticas simul cum Trag. & Spalato numerari cœpere, & quasi postliminio Dalmatiæ restitutæ fuere. Banus vero clientelas simul cum jurisdictione dilatando, cognationeque Comitibus Corbaviæ junctus, ipse in mediterraneis, filii vero in maritimis dominium fere absolutum usurparunt: Banaliaque jura ex arbitrio distribuebant; nam Paulus, vivente adhuc Ladislavo Rege Banatum consecutus, Cives Scar-

1298.

donenſes aliquas poſſeſſiones ſibi vendere coegit, deinde eisdem ſervitia Regiis Caſtellanis præſtari ſolita remiſit, pedagia in perpetuum locavit, aliaque Regali more ſtatuit ut ex ſequenti patet.

1281.

Nos Capitulum univerſum Cathed. Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis de Scardona, ſignificantes memoriæ commendamus univerſis quibus expedit præſentem paginam inſpecturis, quod accedentes ad noſtram præſentiam viri Nobiles Cives Scardonæ, videlicet Luba fac filiusque Bartodruzzi, Cosmar, et Michael filiiq; Dobroſii, cognomento Tuardouh; Pribinus, et Boſanus, Berislavus, Dominicus, Laurentius: et Zune pro parte ſua, ſuorumque civium omnium Scardonæ, pro parte vero altera, V. Nob. nomine Purthio q. Streimeri in perſona D. Bani Pauli tamquam per pactum, pro eo quod dictæ Civitatis Cives tenebantur ad Caſtrum Scardonæ, in quibusdam ſervitiis videlicet vigilias, ſeu cuſtodias ſervare, vineas et terras colere, et aquam portare, itinera, et alia ſervitia conſueta facere, his et aliis cupientes abſolvi, et eſſe liberi, et frui libertatibus civilibus, convenerunt cum præfato D. Bano, et ſe obligaverunt eidem annuatim et in perpetuum ſolvere duo millia librarum, et pro pedagio portarum Civitatis ejusdem, pro piſcaria, pro macello, et pro arboragio porti, et pro tranſitu barchanei lib. 600. Ven. par. Item iidem VV. NN. obligaverunt ſe in perpetuum facere conducere Monaſterio S. Elizabeth ubi deget D. Stanislava ſanctimonialium ſoror dicti D. Pauli Bani, et hoc neceſſitate ipſarum Dominarum, et Capellanorum eorundem de lignis quatuor vicibus in anno in feſtivitatibus videlicet omnium Sanctorum, in Nat. Domini, in carniſprivio, et Pentecoſte omni vice quatuor barchas vulgariter dictas Baſtaſſizas, hoc tamen facta ſatisfactione prius dictæ Civit. Civibus vid. Vuladislavo filio Petri, Stoyslavo, et Luce filiorumq; Berizci et Comiti per d. D. Paulum Banum pro quibusdam territoriis, ſylvis, et campis, pratis, aquis et aquarum conductibus, quas idem cives et Communitas Scardonæ vendiderunt d. D. Paulo Bano, et conſorti ſuæ D. Urſæ Baniſtæ pro tribus M. lib. et 144. quorum quidem territorium venditorum per dictos Cives et Comitem ſunt termini, ſive confines . . . (omiſſis terminis) . . . & deſcendunt ad fluvium Karca vulgariter vocata, prout continetur in litteris, ſeu inſtrumentis confectis ſuper factum præfatæ venditionis, et annuatim devinciant debitum ſuum, ſive obliga: dua M. et 600. lib. quitando, donec fiat ſatis pro utraque parte, quod ſi aliud dicti Cives ſecus fecerint, vel eſſent auſi contraire dictæ compoſitioni ſe obligaverunt duplum ſolvere, et ad priſtina ſervitia redire præſentibus videlicet Rev. in Chriſto Pat. et DD. Damiano Dei et Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopo Scardon. nec non et Viris Nobb. ſcilicet Comite Neliptio filio q. Georgii, et Comite Budislavo Corbavien. filio q Curiaci et aliis quampluribus ad hoc vocatis ad noſtrum ſecretarium, in cujus rei teſtimonium præſentes juſſimus per noſtrum Notarium in carta publica redigi, redactum ſigillo Capituli noſtri prætacti una cum ſigillo Communitatis Scardonæ, munimine ſub appenſione conſignari. Datum Scardonæ Cathed. Eccleſiæ A. Nat. 1284. Indict. 2. Pontif. Bene. PP. die 11. men. Februarii.

Privilegia quoque inſtar Regis confirmavit.

Paulus Banus Croatorum, et Dominus Boſnæ omnibus Chriſti fidelibus quibus expedit præſentes litteras inſpecturis, Salutem in omnium Salvatore. Quoniam dignæ petitionum deſideriis dignum eſt nos facile præbere conſenſum, et ea quæ in tempore fiunt, ne ſimul cum tempore labantur, expedit, ut patrocinio litterarum roborentur. Hinc ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod conſideratis dignis, et juſtis petitionibus egregii, providi et ſapientis viri D. Marci Michaelis Hon. Arben. Comitis, nec non Iudicum Conſiliariorum et univerſorum ejusdem Civitatis, omnes terras, poſſeſſiones, paſcua, et nemora, quæ vel quas in Dominio noſtro habent, et poſſident eisdem et eorum hæredibus, hæredumque ſucceſſoribus, ſecundum quod in eorum Privilegiis Regalibus et Banalibus tam de Caſtro Iablanich, quam de aliis plenius continetur, perpetuo, et irrevocabiliter, pacifice, et quiete cum omnibus ſuis pertinentiis habendas, et poſſidendas, et tenendas ſine contradictione aliqua per nos, et noſtros ſucceſſores in perpetuo confirmamus, collaudamus, approbamus, atque jure perpetuo, et irrevocabiliter roboramus; In cujus rei memoriam, et majorem firmitatem præſentes litteras conceſſimus, ſigilli noſtri munimine roboratas Datum Scardonæ die 4. intrante Ianuarii 1307.

Extat etiam alterum ejusdem diploma, in quo reddit immunes Arben. a datiis, tributo, tergovina, & omni alia exactione per totum dominium & Banatum, & per omnes partes Curiacæ, Comitis cognati ſui dilecti, & fidelis. Datum Scardonæ die & anno ſupradictis. Carolo deinde adhærens, bellumque cum Rege Raſciæ gerens, Naronam Claſſem miſit, ibique Mladinus ejus filius captus fuit, qui vivente adhuc patre Bani titulo uſus, regali more Spalat. Privilegia indulſit.

Nos Mladinus Banus Boznien. omnibus quibus expedit, tenore præſentium ſignificamus univerſis, quod nos diligenter conſideratis, et inſpectis fidelitatibus, et ſervitiis Nobilium et Communes Spalati obſequioſe hactenus impenſis, et in poſterum toto poſſe impendendis, hanc gratiam noſtram damus, donamus, et confirmamus ſpecialem. Quod omnes mercatores Spalat. per univerſum dominium noſtrum Chroat. et Boznæ emere, vendere, comparare, mercimonia apportare et auferre libere valeant, et poſſint. Nihilominus hi omnes alii mercatores ſua mercimonia in Civ. Spalat volentes, et deſiderantes apportare, non careant eadem gratia noſtra ſupradicta, quoniam ipſis mercatoribus ſuper fidem noſtram Deo debitam yllare promittimus obſervare: ſuper quo omnibus Comitibus noſtris, Rectoribus, officialibus et cuſtodibus viarum pro tempore conſtitutis Croatiæ, et Boznæ per hæc ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus præfatos mercatores Spal. et omnes alios in prædictam Civ. Spal. cum mercimoniis

venien-

venientes, et redeuntes in nullo aliqualiter moleſtare, vel etiam impedire præſumatis, ſed potius eisdem veſtrum conſilium, et auxilium ſi opportunum fuerit, impendatis, ſub obtentu noſtræ gratiæ plenioris, quod ſi quis veſtrum auſu temerario ſecus fecerit, et hujusmodi mandati noſtri transgreſſor extiterit, novit ſe pro certo ſuæ perſonæ propriæ periculum incurriſſe: et quia ſigillum noſtrum Banale nondum erat paratum, præſentes antiquo noſtro ſigillo fecimus ſigillari. Datum in Hocucha in craſtin. Pentecoſtes ſub anno Domini 1302.

Coronato tandem Carolo, & ad conſolidandum ſibi Regnum implicito, eo confidentius Banus, & filii uſurpatam dominationem in Provinciis exercebant; cumque Iadra ad eos defeciſſet, univerſum continentem Dalmatiæ, & Croatiæ conſequti ſunt: & cum paulo poſt Banus Paulus e vivis exceſſiſſet, Mladinus filius, & ſucceſſor, tali titulo utebatur *Mladinus Croatarum Banus, Comes Iadræ, Princeps Dalmatiæ, et ſecundus Bosnenſis Banus* deluſisque Venetorum conatibus, Iadram recipere conditionibus, quibus ipſi placuit ſuaſit; Sic quaſi in paterna hæreditate ſuccedens, omnes provincias, & univerſas Civitates maritimas ex arbitrio regebat, ob id in ſuperbiam elatus, inſolitis oneribus, et contributionibus Croatas, & Civitates maritimas vexavit, Raguſinisque infeſtus fuit, Corbavienſes quoque Comites, quamvis cognatos, a ſe alienavit, cæterisque Comitibus Croatiæ oneroſus evaſit, & cum Tragurienſibus et Sibenicen. in apertum bellum prorupit; Gregorius autem ejus frater ſecundus dictus cum eo ſentiens, quamvis Comitatus Civitatum maritimarum quaſi hæreditarios gereret, eisdem tamen oneroſus & infeſtior in dies evadebat, & ex lucri cupiditate Almiſanis piraticam per Privilegium confirmare veritus non eſt.

Vniverſis et ſingulis ad quos literæ præſentes pervenerint. Georgius ſecundus Civitatum Dalmatiæ Comes, ſalutem in omnium veriſſimo Salvatore, juſtum eſt æque, atque conſonum rationi, quod Dominus ſuos fideles non ſolum in ſuis juribus, & conſuetudinibus antiquis conſervet, verum etiam eis ampliores, & ſpecialiores gratias ac libertates condonet, ut ex hoc fideliores efficiantur, & promptiores ad ſerviendum, ac etiam cæteri animentur ſibi atque deſiderent famulari; quocirca vobis præſentium declaramus tenore, quod conſiderantes fidelitatem, & continuæ fidelitatis obſequia, quæ nobis & domui noſtræ Nobiles, & populus, ac tota Communitas Almiſii jugiter & maxime in neceſſitatis tempore præbuerunt, ſuis non parcentes expenſis, laboribus, vel perſonis, ſed eas periculis, & morti liberaliter exponentes, ipſis donavimus libertates, & gratias infraſcriptas vid. tractantes, & ſedentes cum Nobilibus Almiſii, ponemus eis placabilem unum Caſtellanum, qui ſi eis moleſtias, & injurias fecerit depoſitione condignas, quas ſufficienter probare poſſint, ipſum deponemus, eligentes alium ſicut prius. Item quod Iudices & alios Civitatis officiales nob & conſiliarii de anno in annum eligant ad ſuæ arbitrium voluntatis. Item quod ſimiliter juxta voluntatem ſuam ſibi ſumant, & recipiant Sacerdotem. Item quod omnes terræ, vineæ, domus, & aliæ ipſorum poſſeſſiones, a quocumque, ac quomodocunque occupentur injuſte, ipſis libere revocentur, & quod de cætero non auferatur aliqua res ab aliquo violenter. Item quod uſque Salonam, & non ultra cum ligno 18. *remorum in noſtro ſervitio ire teneantur omnibus ſuis expenſis, longius autem nobiscum, & ad noſtras expenſas, quot quot voluerimus ſi potuerint ire per mare, penitus teneantur. Ab exercitu vero per terram, ac alia ſervitute facienda tam per mare, quam per terram, volumus eos eſſe liberos, & exemptos. Item quod Caſtellanus, vel V. Caſtell. quemquam eorum judicare non poſſit, abſque Iudicibus, neque aliquem conſtringere ire ad Caſtrum ad juſtitiam coram eo, ſed ſedens cum Iudicibus inferius quæſtiones audiant & judicent ſecundum ſuas conſuetudines, & ſtatuta. Item quod coram nobis ad juſtitiam ultra Zernounizam, vel alio vice noſtri proficiſci minime teneantur. Item quod dictus Caſtellanus, vel alius loco ſui non poſſit aliquem eorum capere, ſeu captivare qui ſuas terras, vel alias poſſeſſiones habet, aut poteſt fide juſſionem dare ſufficientem. Idem quod nullus poſſit aliquam vineam a feſto Nativitatis Domini usque ad feſtum S Michaelis, de menſe Septembris circuire, ſed qui vineam circuire voluerit, eam a dicto feſto S. Michaelis usque ad Nativitatem valeat circuire: Terram autem aratoriam, quæ ſeminata fuerit, circuire ſimiliter nemo poſſit, quosque fruges exiſtentes in ea collectæ non fuerunt, ſive meſſe, & ſi per aliquem aliter circuiretur, talis circuitus ſit irritus. Item quod quando aliquis eorum ſine hæredibus moriretur, poſſit libere ſua bona hæreditaria vid. diviſa, & bona acquiſita, ſive diviſa, ſive indiviſa, cui ſibi placuerit dimittere, ac judicare, ſi vero ab inteſtato decederet, omnia ejus bona plene remaneant ſuis proximioribus propinquis uſque ad ſextum gradum, & non ulterius computando. Item quod datium macelli, ſive aliud Comiti pertinens colligi & recipi faciant ſicut voluerint. Item quod a portantibus ſalem, vel alia mercimonia Almiſum, ſive ſint Cives, ſive hoſpites, nihil per violentiam auferatur. Idem, quod ſiquis eorum iret extra Civitatem, ad recipiendum aliquid alicui, & probare poſſet per idoneos teſtes, Caſtellanus, & V. Catell. miſit eumdem tantum, quantum de re accepta ſibi retinuiſſe, ac habuiſſe dignoſcetur, & non plus reddere teneatur. Item quod ipſorum jobagiones nihil nobis, vel noſtris officialibus ſolvere teneantur, ſalvo quod quando accedemus ad eos nobis cœnam vel prandium præparabunt. Item quod Civitati Almiſæ nullam collectam imponi penitus permittemus; Item quod de tributo Civitatis & marena cum Nos medietatem habemus, & aliam medietatem Commune Almiſen. Item quod quando irent in curſum cum ligno* 40. *remorum & ultra, lignum ſextam partem habeat expenſarum, & quintam partem lucri, & lignum a* 24. *remis uſque ad* 40. *ſextam*

partem lucri, & sextam partem habeat expensarum, sed lignum X. remis usque ad 24. pro duobus hominibus partem recipiat, a decem autem remis infra de parte unius hominis contentetur. Quæ quidem omnia supta. & alias eorum consuetudines, & libertates antiquas, quas habuerunt temporibus D. Regis Belæ & aliorum Comitum confirmamus, promittentes sub juramento cum filiis, & Nobilibus nostris, ipsis & hæredibus suis per nos, & hæredes nostros, nunquam contra facere, vel venire. Et has omnes libertates, vel gratias volumus etiam quod Chaclani, Hnienses, Ragoznicenses, Brecellanen. & alii inter ipsorum positi metas habeant pleno jure. In quorum omnium testimonium, & firmitatem perpetuam, præsentes literas nostri sigilli appensione fecimus communiri. Datum Clissæ A D. MCCCXV. Ind. 13. die penultimo Maii sed omnibus jam exosus effectus Mladinus. Quomodo tandem victus, & in vinculis in Ungariam ductus fuerit Mladinus refert.

Cap. 17. De rebellatione Civitatum Sibenici & Trag. contra B. Mladenum. Anno Domini curren. MCCCXXII. men. Ianuarii luce 16. Civitas Sibenici & Civitas Trag. unam ligam insimul fecerunt, contra Banum Mladenum, & suos fratres, guerram promoventes, adhærendo se, & Civitates suas Communi & dominationi Venet. Audiens Banus Mladenus rebellationem Civitatum Sib. & Trag. turbatus est valde, & venit cum exercitu suo ante Sibenicum, ubi stetit per mensem, devastans campum, & culta de Sibenico incidens arbores, & vineas prædictæ Civitatis impugnando; Sed cogitans quod nihil potest prævalere contra Civitatem, & ipsos de Civitate offendere, misit pro filiis Heliæ fratribus Cosæ vid. Saraceno Michaele, & Helia, Cosa autem frater eorum mortuus fuerat in carcere D. Bani Mladeni, quos idem D. Banus in campo prædicto fecit mori gladio; devastato quidem campo Sibenici venit cum exercitu suo ad campum Trag. ad devastandum illum, & cœpit devastare campum prædictum in parte; tandem ipse B. prævidens quod nihil potest ipsis nocere, recessit de campo Trag. volens facere colloquium cum Baronibus de Croatia. Certi quidem Barones sui scilicet filii Curiacy filii, Stephanich de Bosna, filii Mikovilovich de Clivena, & Georgii Isani cum Comite Paulo fratre D. Bani prædicti qui sibi serviebant metu Bani præfati, eo quod erat ipsis minatum per prædictum B. Mladenum ipsos fuisse cum Cosa, & fratribus suis in Consilio, & juramento prout dicitur ad interficiendum B. Mla. & recesserat ab eo, contra quem Banum ipsi facientes societatem insimul promoverunt exercitum magnum adhærentes ipsos auxilio filiorum Babonique, & Banorum de Bosna, quorum auxilio venerunt cum exercitu prosequentes Mladenum usque ad Blischam: hoc facto Trag. & Siben. cum galeis Venetorum & stipendiariis, per Venetos ipsis concessis, una nocte de Trag. exeuntes ceperunt Almisum, & Scardonam derobantes, & comburentes domos, res, & homines, atque barchas, & ligna quæ erant ibi ducentes secum Trag. & Siben. cum magna victoria.

Cap. 18. De conflictu B. Mladeni per Banum Ioannem.

Tandem Banus Mladinus videns se esse confusum, & devictum sine bello misit Comitem Georgium fratrem suum ad Regem Hung. ut sibi impenderet auxilium, semper adhæsit amicitiæ & auxilio Ulacorum & Policianorum. O Dei clementia quæ nullum malum permittis impunitum, nec bonum irremuneratum, ostendens in hac vita super peccatores judicium cum misericordia, nolens tolerare tot mala, quæ in Regno Croat. atque Dalmat. per rectores, & officiales ipsius Bani perpetrabantur quotidie. Nam reditus Ecclesiarum auferebant, matrimonia secundum Deum quæ erant facta, minime observabant; mulieres, & puellas virgines violabant, mercatores deprædabant, nec non terras, & possessiones civium maritimarum, & Dalmatinorum per vim accipiebant, & inter se per sortem ipsi dividebant, asserentes, quod nobis subjacent omnia, quæ extra Civ. sunt, tam in jure paterno, quam in jure potentiæ a Deo nobis concessæ. Item obsides faciebant suspendi & Nobiles decapitari; ideo Deus & Dominus justus Iudex nolens tanta mala commissa per prædictos tolerare, vel sustinere, voluit providere de regimine ipsorum, & sic in brevi contra ipsos suscitavit gentem, quæ ipsorum dominio adversaretur, & sic defecit prædictorum dominatio, quia scriptum est, deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Et est sciendum, quod tantæ misericordiæ sit Deus, quod non statim punit adversarios, sed sententiam diu distulit, ut magis homines terreantur, & revertantur ad bonum faciendum: sed prædicti Deum præ oculis non habentes, committebant quotidie ea, quæ Deo displicebant. Ergo non est mirum, si Deus non vult differre sententiam super ipsos; sed in brevi auferre ab eis Regnum & dominationem. Ubi ergo est Bane Mladeni potentia tua, qua pro nihilo reputabas omnes Reges terræ? Ubi est sublimitas tua, qua Deum Cæli contemnebas & Ecclesiam Catholicam? Quoniam ordinabas Episcopos, Abbates & Abbatissas? Ubi est superbia tua, qua exspoliabas & depauperabas Civitates Dalmatiæ & Croatiæ, volentes in pace vivere et in jure suo permanere? Ubi est discretio tua, qua plus diligebas susurrones audire, quam bonos consultores, solebas frequentare in legendo Bibliam, sed non observabas verba Bibliæ; Ideo Deus punit te, & deposuit exspoliando te Regno suo. Item Ioannes Banus Babonig cum suis sequacibus persecutus est Mladenum usque Blischam, ibi pugnam fecit magnam cum Ulacis non modicam quantitatem bestialium hominum, & jumentorum accipiens, & B. Mladenus fugit Policium, & venit Clissiæ, ibique stetit 15. dies, postmodum recesso exercitu Ioannis Bani, & aliorum de Croat. præparavit se Banus Mladenus veniente Comite Georgio ire ad Regem Hung. honorifice cum donis & exeniis.

Cap. 19. De captivatione Mladeni per Regem Carolum Hung.

His diebus D. Carolus Rex Hung. apud Castrum Tinien. Banum Mladenum ad se diligenter suscepit, & in Comitatu suo ipsum duxit secum usque Zagabriam, habendo super eum custodiam armatorum, in fine autem auditis rumori-

moribus de Hung. qualiter exercitus, quem miserat in auxilium Ducis Austriæ fuerat devictus, & amissis multis equis, ibidem de exercitu suo propter infirmitatem equorum ipse Rex, captivato etiam Mladino Bano, fuit reversus in Hung. ducens secum B. Mladinum pro captivo.

Occasione cujus guerræ Almisanos Piraticam renovasse, Tragurienſibusque infestos fuisse, prout etiam Scardonenses Sibenicensibus censendum est; qua de causa expeditio suprarelata Venetis auxiliantibus contra eosdem facta esse debuit; Mladini superbia tandem relatum finem habuit, Comes autem Gregorius ejus frater, reliquique Breberienses quem finem sortiti sunt, in Chronico patriæ refertur.

CAPUT XIV.

Quomodo Veneti reliquas Civitates continentis consequti sint, Comitesque Croatiæ proximos sibi devinxerint?

BReberienses Comites sicuti sæpe Banatus honorem gesserunt, ita maritimas Civitates favoribus prosequentes, familias quasdam sibi conciliantes, Comites earundem electi fuere, inde præter salarium Comitatus, quod (quamvis in Croatia degerent) recipiebant, ex immunitate rerum suarum ad mare devectarum, utilitatem non modicam percipiebant, & cum quædam familiæ in Croatico solo beneficium Regum, vel Banorum prædia adeptæ fuissent, sicuti ab ipsis Banis, vel Comitibus Croatis pendentes, clientelas, & servitia non modica in proximis agris sibi paraverant, ita inter cives eminentiores effecti causas dissensionum præbuere: Nam Banus Mladinus cum hos obsequentes haberet, ipsorum nutu, proprio tamen arbitrio Dalmaticas Civitates regi volebat, quod cum de directe esset contra antiquam Dalmatarum libertatem, Regumque Ungariæ Privilegia, idque Cives facere recusassent a Bano bello petiti fuere, & exercitu inducto agri Siben. & Trag. vastati, inde civibus in partes divisis, præsertim Sibenici, & Trag. mutuæ cædes, familiarum expulsiones, bonorum publicationes, domorum destructiones perpetratæ sunt, & extrinsecorum & intrinsecorum odiosa nomina emersere: Comes vero Georgius Bani frater (Comes Dalmatiæ vocatus) cum fratre sentiens, & utilitatem tantum Comitatuum suscipiens, de tumultibus nullam curam capiebat, Potestates autem (qui ex Marchia Anconitana ut plurimum voluntate tamen Comitis eligebantur) a distractis civium animis spernebantur, unusque eorum patria Firmanus in Tragurienſi tumultu occisus fuerat; inde cives partium studiis involuti, per se modum quietis invenire non valentes, Venetiis Potestas accersivere Spalaten. & Tragurien. qui nutantem Civitatum statum tunc composuere: Sed cum Banus & Comes ob id magis excandescissent, Spalatensium animis conciliatis, eosdem contra Trag. & Sib. incitarunt; ideo cum Tragurienses extrinsecos, quos expulerant, timerent, ut Bano, & Spalatensibus resistere possent, discordias, quas cum Sibenicensibus habebant, composuerunt, pacemque & ligam insimul fecerunt mediatoribus Venetis, ut ex 1321.
pœna pro eisdem pacta conjicere licet; 4. *Ian.*
olim enim pœnam utrique spreverant, tunc autem pro majori pactorum firmitate pœnæ medietas Venetis pacta fuit, uti iis, qui auctoritate pollentes facile exigere possent a contravenientibus; Tandem tot angustiis præssi, Breberienſibus Comitibus repudiatis, propriisque Consulibus regimine Civitatis tradito, ut patrias ab ærumnis eriperent, more majorum Siben. & Trag. Venetorum tutelæ se crediderunt: quibus in protectio- 1322.
ne susceptis, Veneti Spalatenses requisivere, ne ipsis molesti essent, Banove auxilium contra eosdem præstarent, ut ex epistola Ducis Spalatensibus scripta apparet.

Ioannes Superantius D. G. Dux Ven. & . . . . . Nobb. & Prud. viris N. Potestati, Consilio, & Communitati Spalat. amicis suis salutem, & sinceræ dilectionis affectum: Scire vos credimus quod Banus contra terras Dalmatiæ crudeliter sæviebat, nitendo eas ejus subjicere servitute, ad supplicationem, & instantiam hominum Sibenici, & Tragurii, ipsas terras sub dominio & protectione nostra recepimus, proponentes eas & Cives ipsarum salubriter gubernare, & statum, & augmentum ipsorum pro viribus procurare; nam sic plene & gratiose ipsos in nostra gratia, & fidelitate admisimus, ut facta eorum propria reputantes, amicos suos pro amicis, & inimicos pro inimicis totaliter habeamus: sed quia Commune & homines Spalati intime semper dileximus, & ad nostra invenimus beneplacita liberales, & sic eos dispositos de cætero ad honorem nostrum credimus invenire, cum in omni beneplacito suo de nobis & communi nostro spem poscit confidenter gerere specialiter Nobilitatem & dilectionem vestram requirimus, & rogamus tenore præsentis, quatenus, cum ad defensionem omnium volentium impugnare, & offendere fideles nostros Dalm. nostra intentio firmiter dirigatur, velletis nostræ contemplationis intuitu ab omni eorum offensione, & gravamine omnino desistere, & nullum Bano, vel aliis contra nostros, imo contra nos favorem vel auxilium exhibere, ut nostrum amorem, & gratiam vobis merito conservetis omni causa procul amota, sicut de vobis confidimus, & speramus, super quo, vestræ responsionis beneplacitum possimus nobis mitti. Dat. die 5. Aprilis Indict. 5. id est 1322. Quod Chronista quoque Venetus suprarelatus refert.

Item in queſto tempo algune terre di Dalmatia che iera in grandiſſima deſolation non poſſando li Cittadini dentro habitar ne viver con ogni humiltade, & reverentia ſe ſottomeſe ſponteam^te ſotto la protetion del ditto Doſe e ne ſo prima Sebenzani in 1322. del meſe de Marzo con molti patti & condition, & la per lo mazor Conſejo de Veniexia per la forma de patti per 4. man de eletion li ſo mandado per ſo Conte primieram^te f Dradi Bembo, quelli de Trau ſe ſotto meſſe in lo ditto Millo. e ſoli mandado per Comte per lo modo antedito f Marin Moreſini.

Item eodem tempore aliquæ Civitates Dalmatiæ maximis perturbationibus agitatæ, ſponte ſe ſubdiderunt protectioni dicti Ducis, & prima fuit, Sibenicum 1322. menſe Martii multis cum pactis & conditionibus, a majorique Conſilio Venet. juxta formam pactorum per quatuor manus electus fuit Dardus Bembo & miſſus pro Comite Sibenici. Tragurienſes quoque ſe dediderunt eodem anno. & fuit miſſus modo antedicto Marinus Mauroceno pro eorum Comite.

Pacta autem deditionis harum duarum Civitatum uniformia fuiſſe, elicitur ex fragmento quodam mutilo Sibenic. pactorum, quod fere eadem verba habet, quæ Trag. in quo electio quoque Comitis per 4. manus fienda exprimitur, prout Chroniſta Venetus eiſdem promiſſam refert. Tragurien. autem pacta quæ integra extant talia ſunt.

Exemplum pactorum quæ ſunt inter Illuſtr.
D. Ducem & Commune
Ven.
ex una parte.
Et Commune & homines Civ. Trag.
ex altera.

In Dei nomine Amen. Anno Nat. ejusdem MCCCXXII. Indictione V. die XVII. menſis Aprilis in Ducali Palatio Venetiarum, in Camera D. Ducis præſentibus ſapientibus & diſcretis viris Dominis Nicolao dicto Piſtorino Vice-Cancellario Ducatus Venetiarum, Iohanne Marchiſini, & Andrea de capite Aggeris Not. & Scribis ejusdem Ducatus, Leonardo bullatore bullæ plumbeæ D. Ducis, & aliis pluribus teſtibus ad hæc vocatis, & rogatis.

Ibique cum Nobiles Cives Civitatis Tragurii, & tota Univerſitas dictæ terræ conſiderarent debilem ſuum ſtatum, & qualiter Civitas ipſa multis periculis ſubjacebat; Ipſius Nobiles, & tota Univerſitas ſupradicta longa jam dudum, & matura deliberatione præhabita, ſtatui ſuo providere ſalubriter cupientes, & conſiderantes juſtitiam, Benignitatem, clementiam, & humanitatem, atque ſuave Dominium D. Ducis, & Communis Venet. ſub quorum dominio, fidelitate, & protectione univerſi ipſorum D. Ducis, & Communis Venet. fideles & ſubditi in ſuis gradibus benigne reguntur, & æqualiter gubernantur, ac de bono, in melius multiplicantur & creſcunt, pro eorum ſalute, & ſtatu tranquillo Civitatis jam dictæ, quem indeſinenter quærebant Nob. Viros Danielem Iacobi, Iahannem Petri, & Fredericum Mathei ut Syndicos, Procuratores, & Nuntios ſpeciales Dominorum Conſulum, Nobilium, & totius Univerſitatis prædictæ, Venetias transmiſerunt ſpecialiter ad ſubjiciendum, & ſubmittendum, ad tempus, vel in perpetuum Univerſitatem dictæ terræ, Civit. & Comitatum ipſius, & bona omnia Civitatis præfatæ, fidelitati, Dominio, Regimini, protectioni, & defenſioni D. Ducis & Communis Ven. humiliter ſupplicando, quod D. Dux, & Commune Ven. dignetur eos ita recipere, tractare, & habere ſicut ſemper de ſuis fidelibus, & devotis gratioſe, & benigne facere conſueverunt, ſalvis honorificentiis, & juribus D. Regis Hungariæ, quæ haberet, vel deberet habere in Civ. prædicta; De cujus Syndicatu conſtat publico Inſtrumento facto ſub Annis Domini 1322. Ind. 5. die 22. Martii, ſcripto manu Andreæ Petri de Ancona Not. Imperiali auctoritate, & ſigillato ſigillo pendenti cereo dictæ Civ. & Communitatis Trag. cujus tenor de verbo ad verbum inferius eſt inſertus. Qui vero Syndici, poſtquam cum ſupradicta oblatione, & pleno Syndicatu coram præſentia DD. Iohannis Superantio Dei gratia Venet. Dalmat. atque Croat. Ducis Inclyti, & Domini quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, ſuique Conſilii, ſe dicto nomine præſentarunt. Poſt multas collationes, tractatus, & deliberationes plurium Nobilium ſapientum ad hoc deputatorum habitis, ſponte, libere, & ex concordia, ac pro bono, & ſalubri ſtatu Civit. jam dictæ per virtutem, & poteſtatem ſibi traditam a Conſulibus, Nobilibus, & univerſitate tota Trag. ipſam totam univerſitatem, Civitatem, Comitatum, & diſtrictum, & eorum bona fidelitati Dominio Regiminis, Obedientiæ, Protectioni & defenſioni memorati Domini Ducis pro ſe, Conſilio, & Communi Ven. ibidem recipientis in perpetuum dederunt, ſubjecerunt, contulerunt, & ſubmiſerunt, ſalvis honorificentiis, & juribus D. Regis Hungariæ, quæ haberet, vel deberet habere in Civ. prædicta. Quapropter memoratus D. Dux cum ſuis Conſiliis audita & intellecta oblatione facta per Syndicos ſupradictos, ac ipſam oblationem ſua benignitate admittens Dei Nomine invocato ad laudem, & reverentiam Beatiſſimi Marci Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ipſam Civitatem Trag. homines, diſtrictum, & Comitatum, & omnia ſua bona ſub ſuo dominio fidelitate, defenſione & protectione in perpetuum benigne recepit juxta formam ſupraſcriptæ oblationis Syndicorum ſupradictorum, ſalvis honorificentiis, & juribus Domini Regis Hung. quæ haberet, vel deberet habere in Civ prædicta, providendo benigne, & gratioſe, quod homines Trag. & eorum bona de cætero tractentur, et habeantur ubique in Venetiis, et extra, quemadmodum tractantur, et habentur aliqui de partibus Dalmatiæ, qui ſint magis liberi, et fideles D. Ducis, et Communis Venetiarum.

Poſtquam ſubmiſſionem oblatam, factam, et per ipſum D. Ducem pro ſe et Communi Ven. acceptam. Item D. Dux cum ſuo Conſilio ſua liberalitate infraſcripta providit, ſervari voluit,

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

luit, et mandavit ipsis Syndicis volentibus, consentientibus, et approbantibus.

Primo enim, quod per D. Ducem, & suum Consilium singulis duobus annis mittetur ad regendam dictam Civ. Trag. unus ex Nobilibus de majori Consilio Venet. qui nuncupabitur Comes Trag. qui eligetur in Venet. in majori Consilio per electionem, & vice qualibet per duos annos, cujus Comitis electio fiet, & nunc, & de cætero per quatuor manus in dicto majori Consilio ad unum, & ille qui habuerit plures ballottas habendo majorem partem sit firmus, etsi nullus haberet majorem partem Consilii, illi duo qui habuerint plures ballottas vadat unus per medium alterius, & si aliquis esset electus per tres manus, sit firmus sine aliqua probatione.

Item quod Comes iturus Trag. in causis civilibus teneatur regere dictam terram cum quatuor Iudicibus de Tragurio, qui eligentur in Trag. secundum eorum consuetudines, & statuta, vocando ad promulgandas sententias quatuor Consiliarios, qui simtliter eliguntur in Trag. secundum consuetudines, & statuta dictæ Civ. Trag. in omnibus autem causis criminalibus ipse solus Comes habeat liberum arbitrium, procedendo tamen in ipsis secundum formam statutorum Communis Trag. & non possit in condemnando excedere formas statutorum Trag. sed pœnas in ipsis statutis contentas, & expressas mitigare valeat, sicut sibi videbitur, habito respectu ad conditiones personarum & excessuum commissorum; Verum in violatione mulierum, incendiis, fraudolentiis, & homicidiis habeat liberum arbitrium solum Comes, sicut suæ discretioni apparebit. Habeat etiam ipse Comes liberum arbitrium in proditionibus Civitatis hoc modo, quod contra accusatos sibi de proditione Civitatis possit inquirere, testes examinare, & accusatos carcerari facere, sicut sibi videbitur, sed in condemnando debeat contra ipsos sic accusatos procedere, secundum formam statuti Communis Tragurii.

Præterea dictus Comes iturus Trag. habeat, & habere debeat a Communi Trag. pro suo salario quolibet anno libras MCC. ad par. recipiendo solutionem ad rationem de triginta duobus denariis parvis pro quolibet grosso, & nihil aliud habere possit, sed omnes reditus, & introitus Communis Trag. & jurisdictiones, & bamna, & condemnationes deveniant in dictum Commune Trag. & debeat dictus Comes ire, & redire ad ipsum regimen omnibus suis expensis, & teneatur dictus Comes habere, & tenere secum in dicto regimine continue unum socium, & decem servitores omnibus suis expensis, & si staret plus, vel minus duorum annorum recipiat salarium pro rata.

Item quod dictus Comes Trag. non possit esse ad aliquod convivium alicujus Civis Trag. in dicta Civitate Trag. nec possit aliquos de Trag. convitare, clamare, seu clamari facere ad comedendum secum in Civ. prædicta, & non possit per se, vel alios ipse, seu aliquis de familia sua ab aliquo Cive, vel habitatore Trag. dona aliqua recipere, vel potentes aliquo modo, vel ingenio, nisi uvas, & fructus recentes, & insuper non possit, nec debeat per se, vel alios facere, vel fieri facere mercationes, neque in mercationibus uti, vel uti facere de suis denariis per se, vel alios aliquo modo vel ingenio, donec fuerit in regimine supradicto in partibus regiminis supradicti.

Item quod homines Trag. possint sine dacio extrahere de Venet. lignamen, lapides coctos, & coppos pro eorum domibus, & conducere Trag. dummodo illi qui vellent de prædictis rebus conducere præsentent literas Ducali Curiæ missas a suo Comite, & sigillatas sigillo Communis Trag. quod ipsæ res, quas requirent, sint eis necessariæ pro usibus suis & suarum domorum.

Prædictas autem dationem, & summissionem, ac omnia & singula in præsenti contractu contenta, discretus vir Baxanus Not. & scriba Ducatus Venet. Syndicus & Procurator supradicti D. Ducis Consilii, & Communis Ven. ut de Syndicatu constat publico instrumento facto sub annis 1322 Indict. 5. die tertia decima Aprilis, scripto manu Iohannis Vacundeo Not. & bulla plumbea ipsius D. Ducis pendenti munito ad hoc specialiter constitutus, Syndicario, & procuratorio nomine ipsius D. Ducis, & Communis Ven. ac dicti Daniel Iacobi Ioannes Petri & Fridericus Mathæi Syndici, & Syndicario nomine Civitatis Communis, & hominum Tragurii attendere, observare, & adimplere, ac ea omnia perpetuo rata, & grata habere, & nullo unquam tempore aliquo modo, vel ingenio contrafacere, vel venire solemni stipulatione sibi invicem promiserunt, sub pœna hinc inde promissa CCIIOO. marcarum argenti, quæ pœna toties committatur, quoties contrafactum fuerit, & pœna soluta, vel non, exacta, vel non, omnia & singula prædicta in sua permaneant firmitate. Pro quibus omnibus attendendis, adimplendis, & inviolabiliter observandis præfatus Baxanus Syndicus D. Ducis, & Communis Ven. Syndicario nomine pro ipso D. Duce, & Communi Ven. bona omnia Communis Venet. & dicti Daniel Iacobi Ioannes Petri, & Fridericus Mathæi Syndici supradicti bona omnia Communis & hominum Trag. ipsi Syndico D. Ducis Syndicario nomine pro D. Duce, & Communi Venet recipienti speciali pignore obligarunt, quæ se constituerunt invicem precario possidere; Ita ut pars attendens, prædicta partis non attendentis bona, et personas possit sine alicujus judicis requisitione sua propria auctoritato sasare, et detinere, et arrestare pro pœna damnis, et interesse, et expensis, et satisfactione plenaria omnium promissorum. Promittentes dictæ partes invicem Venet. Trag. et ubique locorum solvere, ac renunciantes exceptioni doli mali, in factum, deceptioni, simulationi, beneficio restitutionis in integrum, litteris impetratis, & impetrandis, feriis, dilationibns, et generaliter omni auxilio juris, vel facti, quo contra prædicta, vel aliquid prædictorum possent dicere, facere, vel venire; Qui Daniel Ioannes, et Fridericus Syndici Trag. ibidem in continenti corporaliter tactis scripturis in animas suas, et omnium et singulorum hominum dictæ Civ. Trag. juraverunt ad sancta Dei Evangelia, perpetuo præfatos Dominos Ducem, et suos successores, et Com. Venet. et suos Dominos suoque majores quibus subsunt, observare, obedire, et revereri, et quod regulariter singuli de Consilio dictæ Civ.

Trag. in ingreſſu ſui primi Comitis, ipſi Comiti pro dicto D. Duce & ſucceſſoribus ſuis, & Communi Ven. recipienti corporaliter ſic jurabant, nec non bona fide ſine fraude obſervare & attendere omnia, & ſingula ſupradicta.

Statim atque Tragurienſes tutelam Venetorum conſequuti ſunt C. Paulum Breberien. quamvis B. Mladini conſanguineum ad ſe trahentes, in ligam contra eundem his conditionibus induxerunt.

In Chriſti nomine Amen. Anno Nat. ejuſdem 1322. *Ind. 5. die 24. Aprilis ad honorem Dei et Beatæ Virginis Matris ejus, et omnium Sanctorum, et Sanctos Curiæ Cæleſtis, et ad ſtatum augumentum, et honorem perpetuum infraſcriptorum. Hoc eſt pactum confœderationis promiſſ. initum et firmatum inter egregium virum D. Paulum Comitem filium bonæ memoriæ D. Pauli Bani Croatarum ex parte una, et Commune, et homines Civit. Trag. ex altera; Inprimis namque ſimul et ad invicem firmant, et faciunt unionem et ſocietatem, et confœderationem tali modo videlicet. Quod dictus D. Comes Paulus debet, et teneatur rebellare, et facere vivam guerram et manifeſtam contra D. Mladinum Banum Croatarum et ſuos ſequaces, et contra quoslibet alios inimicos Civitatis Trag. eosque toto ſuo poſſe offendere, et nocere, et eis damna et detrimenta ſolicite procurare, incipiendo ipſam rebellationem, et guerram hinc ad feſtum Sancti Petri de menſe Iunii proxime, velante ſi citius poterit.*

Item debet et tenetur idem D. C. Paulus amicos Civitatis Trag. pro amicis, et inimicos pro inimicis ubique reputare, tractare, et habere, nec debeat facere paçem cum dicto Bano, vel aliis qui ſunt, vel erunt inimici Civ. Trag. ſine voluntate dictæ Civitatis et hominum Trag. & ſi dictum Commune fecerit cum aliquibus perſonis pacem, et confœderationem contra dictum Banum, et in damnum et detrimentum ipſius & ſuorum ſequacium debet ponere, et homines Trag. contentantur, & volunt eſſe in dicta unione & confœderatione contra ipſum Banum; E contra Commune Trag. tenetur, promittit & debet dicto D. Comiti facere ſicut ſuperius per omnia eſt expreſſum, ſalva fidelitate D. Regis Ung. & ſalvo D. Duce Venet. & ſuis fidelibus, & ſubjectis. Item promittit dictum Commune Trag. eidem Domino Comiti quod ſi exercitus de Tragurio exiret foras in Sclavoniam contra dictum Banum, dictus D. Comes erit vocatus Capitaneus exercitus gentis Trag. ſi ipſi Domino Comiti videbitur, & placebit. Item ſi dictus D. Comes Paulus, vel ſui homines haberent caſum, vel neceſſitatem evidentem intrandi Civit. Trag. homines Trag. promittunt & debent dictum Dominum Comitem, & ſuos homines recipere in dictam Civitatem, & eos defendere, & juvare ſicut ſe ipſos. Item ſi dictus Dominus Comes vellet, vel poſſet ſe intromittere in dominium Sclavoniæ dibent, & promittunt Trag. dicto Domino Comiti dare auxilium, conſilium, & favorem per terram & per mare ſecundum facultatem, & poſſibilitatem ipſorum, ſalva ſemper fidelitate, & honore Domini Regis Hung. ac D. Ducis Ven. & ſuorum fidelium, & ſubjectorum. Et ſi faciente Deo dictus D. Comes ad Banatum, vel ad dominium Sclavoniæ pervenerit, debet, & tenetur Civitas & homines Trag. dimittere libere gaudere ſuis introitibus honoribus, & Privilegiis, nec ſe debeat intromittere, vel aliquid petere, aut requirere a dicta Civ. vel hominibus Trag. ratione alicujus Banatus, Vicariatus, Dominii vel Comitatus, ſeu alterius præeminentiæ, & ſi pax fieret inter Banum ex una parte, & dictum Dominum Comitem Paulum, & Trag. ex alia, vel ſi Banus per alium aliquem modum obiret, promittunt & debent Trag. dicto Domino C. Paulo uſque in vitam ſuam dare omni anno ex bono amore, & propter rebellationem & guerram, quam dictus D. Comes facere debet lib. M. parvorum. Prædicta omnia promiſit una pars alteri attendere, & obſervare, & non contrafacere, ſub pœna D. marcaram argenti & ad majorem cautelam, & evidentiam omnium prædictorum duo ſcripta de prædictis omnibus in uno tenore fieri mandaverunt, quorum unum eſt munitum ſigillo Communis Trag. & illud debet remanere penes dictum Dominum C. Paulum, & aliud eſt munitum ſigillo ejusdem D. Comitis & illud debet remanere penes Commune Trag.

Sigillum Cereum pendet.

Ad hæc tempora referri debet ſuprarelata expeditio Trag. & Sibenicen. Venetorum auxilio contra Almiſum, & Scardonam facta, quam Madius refert, Almiſumque tunc captum eſſe debuit, & retentum, cum deinde Spalatenſes in ligam cum Tragurien. tracti fuerint, & eiſdem Tragurienſes pro defenſione Almiſi ligna & arma commodaverint, qua de cauſa Comes Georgius Spalatenſes ultus eſt, ut idem Madius refert. *cap. 12. De bello Civium Spal. cum C. Gregorio Cliſſi A. D. MCCCXXIII. menſe Aprilis XV. luce currente, audiens Comes Georgius quod Almiſſum Spal. invaſiſſent, cœpit dolere multum, & dolendo intravit agrum Spalati, & deprædavit totam beſtialiam Spalati & cæt.* & quamvis hic auctor Almiſium invaſum tantum non captum referat, tamen infra cap. 33. relato, quomodo Comes Georgius a Comite Neliptio victus, & captus fuerit, eundem alloquens ait: *putabas deſtruere Civitatem Spalati & auferre Almiſum, & habere ad velle veſtrum ubi eſſet curſus, & locus piratarum,* ex quo dignoſcitur cauſam belli fuiſſe Piraticam Almiſanorum, hancque eandem poſt relatam confirmationem Piraticæ per Privilegium, a Comite Georgio factam invaluiſſe conjici debet, indeque exacerbatos Venetos Sibenicenſibus, & Tragurienſibus auxilia contra eoſdem & Scardonenſes præſtitiſſe, Spalatenſesque deinde eadem de cauſa in ligam tractos, prout viciniores cuſtodiam Almiſi habuiſſe. Quam Almiſanorum Piraticam alios quoque Piratas Ianuenſium ſcilicet extrinſecos intra Culſum traxiſſe, Sibenicenſesque & Trag. eiſdem obviam ire voluiſſe ex Epiſtola Ducis Trag. ſcripta apparet.

1323. 10. Martii.

Ioannes Superantio D. G. Ven. &c. Nob. & ſap. viro Marino Mauroceno de ſuo mto. Comiti & prudentibus viris Iudicibus, & Communi Trag.

Trag. fid. ſuis dil. ſal. & dil. affectum. Litteras Comitis, & fidelium noſtrorum de Syben. nuper recepimus continentes de duobus lignis Ianuenſibus extrinſecorum qui apparuerunt in partibus Sclavoniæ damnum inferentibus omnibus, ad quorum perſecutionem ordinaverunt vobiſcum armare ligna, & mittere contra eos, & miſſa fuiſſent illa, niſi ſupervenirent quædam nova de Farra, ad quem vobis reſcribimus, ſicut & illis de Sybinico, veſtram fidelitatem & promptitudinem habitam in armando plurimum commendantes, nam inter alia nobis eſt magis carum quando noſtri fideles hujuſmodi Piratas pro honore noſtro, & ſalvamento noſtrorum fidelium perſequuntur; Verum ut hoc melius & celerius perficere valeatis, ordinamus cum noſtris Conſiliis, minori; Rogatorum, & 40. quoties armaveritis contra aliquos curſores, undecunque ſint, dare cuilibet Vogerio groſſ. unum in die ad ſuas expenſas, & Comito tres, & Nauclerio duos de diebus quibus in iſto ſervitio permanſerint, quos denarios de noſtro Communi integre ſatisfieri faciemus. Unde fidelitatem veſtram inſtanter rogamus, nihilominus præcipiendo mandantes cum præfatis noſtris Conſiliis, quatenus ad armandum contra curſores ſitis ſolliciti atque promti, tenentes ligna veſtra parata cum omnibus opportunis, ſicut de vobis confidimas, & ſperamus ut per hoc noſtram gratiam uberius vendicetis. Datum &c. die 8. Men. Iulii 6. Indictione (id eſt 1323.) ex qua quam ſedulo Veneti quieti iui Culfi incubuerint, & oblatione ſtipendii Dalmatas ad cuſtodiendum mare illexerint conſtat.

Pacem deinde cum uxore Georgii Comitis factam Madius refert. *Cap. 24. de pace Comitiſſæ Cliſſæ & Spalaten. A. D. 1325. Men. Martii die X. pax inter Dominam Comitiſſam uxorem Comitis Georgii, tunc ipſo Comite exiſtente apud Neliptium in carcere, & cives Spalati per Iadrenſes Arbitros facta, & compoſita eſt ita quod captivi, & incarcerati Spal. qui detinebantur Cliſſæ ſunt liberati & relaxati, pro quibus Civitas Spalat. fuit obligata in certa quantitate pecuniæ dare & ſolvere.* tunc Almiſum quoque eidem reſtitutum fuiſſe conjici debet: quamvis Madius id non exprimat, cum eundem & Scardonam Mladinum filium, Georgii poſſediſſe inferius patebit. Tandem Spalatenſes quoque Venetis ſe tradidere, ſed quamvis pacta deperdita ſint; tamen ex ſcripturarum collatione Tragurienſium ſimilia fuiſſe patet, ut Madius refert. *Cap. 28. A. D. 1327. Civitas Spalat. obtulit ſe Domino D. Ducis & Comiti Venetorum & habuerunt Comitem ab ipſis Venetis cum pactis obſervando honorem Regis Hung. & libertatem Civ. Spalati.*

Nonenſes quoque eodem anno ſe Venetis tradere decreverunt pactaque eadem cum Tragurienſibus Menſe Ianuarii ſequentis anni 1328 conſecuti ſunt, ut ex ſerie eorundem quæ integra reperiuntur videre eſt. Hanc Spalaten. & Nonen. detidionem relatus quoque Chroniſta tradit. 7. *Nov.*

Anchor in queſto tempo la Citade de Spalato e de Nouna li qual iera in eſtrema, & chattiva condition per lo muodo che de ſoura e ditto de Sebenico e de Traci vegendo le ditte Cittade ſottomeſſe al Comun de Venieſia de chativa condition eſſer vegnude in bona condition, e in brieve tempo, deſſe le do Cittade con le condition e patti delle altre do prenominade, e queſto ſo in 1327. che ſi de Spalatini in lo meſe di Settembrio e ſoli mandado per ſo Conte ſ. Marco Fuſcarini.

Hoc tempore Spalatum & Nona, quæ in extremo ſtatu perturbationis verſabantur, eo modo quo de Sibenico, & Tragurio dictum eſt, videntes easdem Civitates Veneto Communi deditas, brevi tempore ex malo in bonum ſtatum deveniſſe, dediderunt ſe eisdem conditionibus, & pactis 1327. Menſe Septembris & miſſus fuit Marcus Foſcarinus pro Comite Spalati.

Tunc Veneti Spalatum conſecuti Proviſoribus in Sclavonia miſſis, Spalat. Sibenicen. & Tragurien. mutuis fœderibus illigarunt, ut ex earundem tabularum fragmento Tragurii confecto ſed Spalati reperto apparet.

In Chriſti nomine Amen. Anno Nat. ejuſdem 1327. Ind. 11. die 3. Xbris. In ſala Palatii Communis Tragurii præſentibus Nobb. & Sap. Viris Dominis Marco ſecreto Hon. Comite Spaleti, Iohannis . . . . . Comite Sibenici, Iohanne Gradonico Hon. Comite Tragurii & diſcretis, & ſapientibus Viris Dominis Theodoſio Albertinis, Perino Camcini, & Dobrolio Pervoslavi omnibus de Spaleto, & . . . Ioannis, Marino Bercii, & Cypriano q. Creſnuſe omnibus de Sibenico, Georgio Salinguerræ, Caſoto Nicole, & Friderico Mathei Lucii, omnibus do Tragurio teſtibus ad hæc vocatis ſpecialiter & rogatis, & aliis. Ibique Nobb. & ſap. Viri Domini Laur. Andreæ proc. & Syndicus Communis & Civ Spalet. habens ad infra ſcripta liberam poteſtatem ut apparet . . . . . pub. inſtrumento manu Alex. Iohannis Albertini de firmo Notarii Communis Spal. rogati in 1327. Ind. 11. die 26. Novembris . . . . . Iacobus proc. & Sindicus Communis & Civ. Trag. habens ſimiliter ad infraſcripta liberam poteſtatem, ut apparet inſtrumento pub. ſcripto manu Conradi q. Domini Antonii de . . . . . Imperiali auctoritate Notarii & Iudicis ordinarii, ac Communis Trag. jurati Cancell. in 1327. Ind. 11. die Dominico penultimo Novembris, & Bogdanns Deſini & Radoslauus q. Michete procuratores, & Syn. Communis & Civ. Sibenici habentes ſibi ad infraſcripta liberam poteſtatem, ut apparet publico inſtrumento ſcripto manu Angeli Amici de Italis de Erthulo Imp. auct. Not. & Iud. ord. & Communis Siben. jur. in 1327. Ind. 11. men. Nov. die 26. a me Notario infraſcripto diligenter viſis & lectis convenientes in unum in præſentia egregiorum Dominorum D. Marci Vicluri & D. Friderici Danduli Honor. Proviſoris Inclyti Domini Domini Ducis & Communis Ven. in partibus Sclavoniæ deſtinatorum conſiderantes condit. & Status ſua-

rum Civitatum, quarum sunt Syndici, & procuratores, damna, injurias, & oppressiones, quas quandoque a circumstantibus suis vicinis recipiebant in eorum sinistrum non modicum, & jacturam, cogitantesque hoc periculum tam maximum posse evitari, & statum suum cujuslibet Civitatis prædictæ de bono in melius posse feliciter augumentari, si fraternitas, amicitia, conjunctio, & unio fierent inter eos, moti persuasionibus & monitis prædictorum Dominorum Provisorum, ac eorum consilio, utpote justo, inhærentes vice & nomine Communium & Civ. ac specialium personarum, & prædictorum locorum quorum Synd. & procur. sunt, ut superius est notatum, Amicitiam, fraternitatem, conjunct. & unionem insimul promiserunt, juraverunt, & fecerunt contra quascunque personas, Civitates, Communia, loca, & Universitates damnificare, & inimicare volentes . . . . . nicent Domino suo D. Duci & Communi Ven. & ipsius D. Ducis, & Communis Ven. fidelibus universis, ita quod quælibet prædictarum Civitatum suos amicos & aliarum duarum pro amicis, & e converso inimicos pro manifestis inimicis, tractantes amicos pro amicis, & inimicos pro inimicis in omni casu, & eventu pro sua, suorumque civium uniuscujusque conservatione, & augumento hoc pacto conventum est. Quod si casu aliquo aliqua prædictarum Civitatum, vel civis, & singularis persona earum damnum aliquod paterentur a quacunque persona, ut Commune, & damnificati ad sui satisfactionem, & loci pervenire possint juratus Communis terræ damnificatæ seu persona . . . . . auctoritate requirere debeat per suas litteras damnificatorem, vel superiorem & caput ut dammum satisfaciat, & si habita responsione non satisfecerit, tunc ipse Comes solus auctoritate prædicta ipsum damnum libeat videre, & examinare & facta examinatione, taxare, qua facta taxator iterum propria auctoritate requirere debeat ipsum damnum sic taxatum, sicut sibi videbitur ut satisfaciat infra terminum, quem ipse Comes voluerit assignare, infra quem si satisfecerit bene quidem, alioquin ipse Comes sua propria auctoritate procedat contra ipsum damnificatorem, & . . suam ac bona eorum sicut sibi videbitur esse justum, considerata qualitate, & quantitate damni recepti, quod processum notificare teneatur & debet alis duabus Civitatibus sibi unitis, quæ ipsum processum debeant, & teneatur integraliter observare & facere, observari contra ipsum damnificatorem, & . . . . suam ac eorum bona: si vero aliqui sui Cives & mercatores essent in partibus ipsius damnificatoris cum suis mercantiis, vel sine . . . . . citare, ut inde recedant quo velocius esse potest infra terminum, qui videbitur suo Comiti, assignandus, qui terminus non transeat unum mensem; quod si aliquis dam . . . . . prædictarum trium Civitatum, vel Comites ipsarum, & cum prædicta & . . . . reducentur ad alias Civitates Comes illus Civitatis ad . . . se reduxerit ipsum malefactorem, vel ipsos . . . . in hauere & personis, & facta restitutione damnificatorum procedi debeat contra malefactorem, vel malefactores sicut contra proditores. & specialissimos inimicos, & si facta denuntiatione . . . . . prædictarum Civitatum emeret ipsam prædam, Comes suus teneatur ipsam restitui facere damnificato absque satisfactione aliqua facienda ipsi emptor . . post soutisfactionem, & nihilominus possit procedere contra ipsum sicut sibi videbitur ipse Comes & si emerit . . . nationem prædictam nihilominus Comes faciat rest . . . damnificato sed remaneat in arbitrio Comitis sui defaciendo sibi restitui pretium emptionis, vel non, sicut sibi videbitur inquisitio facienda vid. si emerit ante denuntiationem.

Sic ob Breberienſium Tyrannidem, Civitatibus maritimis ſe dedentibus, integram Dalmatiæ ditionem Veneti conſequti ſunt; & prout mutuis fœderibus Civitates ſibi deditas illigarunt, ita cum proximis quoque Croatiæ Comitibus eaſdem multoties pro temporum varietate vinxerunt: & ſicut quietem in Adriatico ſemper ſervare ſtuduerunt, ita tunc terreſtres turbas & jurgia removere pacemque introducere maximopere invigilarunt; Ita Croatis quoque in amicitiam tractis, controverſias ſi quæ emergebant amicabiliter ſedabant; Comites enim Trag. & Sibenici uti arbitri differentias inter Georgium Comitem 1328.
Cliſſi, & Spalatenſes compoſuerunt: ſimiliter per arbitros inter Trag. & Sibenicen. fines diſtincti fuere, & extrinſecorum Tragurii controverſia Venetiis 1329.
finem habuit, extrinſecis Civitas reſtituta, bonaque reddita fuerunt: Inde quiete tandem in Dalmatia inducta navigationeque reaſſumpta, Cives mercimonia, terra marique libere exercentes magna inde emolumenta conſecuti ſunt. Sed, cum Breberienſibus victis, Stephanus dominium Boſnæ aliorumque locorum conſecutus fuiſſet, ejus potentia Neliptio Comiti Tininii & Cetinæ reliquiſque Comitibus Croatiæ ſuſpecta evaſit; Ideo Civitates maritimas (quibus potius eorum vicinitas, quam Stephani conducebat) ſibi aſſociantes Croatæ, ſæpe ab eiſdem pro temporum qualitate, auxilia receperunt, ut latius in patriæ Chronico refertur: Sed cum tandem Neliptius in apertum bellum cum Stephano prorupiſſet, Spalat. Trag. & Siben. fœdus cum eo mutuum percuſſerunt, auxiliaque 400. hominum eidem contra ſuos inimicos promiſerunt, ut ex earundem tabulis videre eſt, quæ Trag. & Sibenici extant.

In Chriſti nomine Amen. Anno Nat. Dominicæ 1332 15. Februarii Indict. 15. in Valle Stolponæ. Congregatis in colloquio M. & potenti viro D. Neliptio de Tininio Comite ex parte una, & egregiis, & potentibus viris D. Nicolao de Molin Spalat. Iohanne Gradonico Trag. Pantaleone Iuſtiniano Sibenicen. Comitibus, & Nob. & ſap. viris Prevoslavo Franciſci, Petrarcha Petri, Iohanne Stephani Syndico, & Nicolao Theodoſii Civibus Spalat. Daniele Iacobi Syndico Deſſa Baſtiani, Gregorio Salinguerræ, Zoro Amblaſii, Michoie Stepi, Nicola Simonis, Mengatio Doſce, Petracca Stepi Civibus Trag. & Radoslavo Michete Syndico, Marino Bercii, Mihovile Dragoy, Franciſco Bradi-

Bradinis, Radulfo Georgii . . . . et Petro Magistri Bogdani Civibus Siben. pro se ipsis et eorum Civibus et Communibus, quibus ab eorum consiliis faciendis auctoritas est concessa ex altera parte ad tale pactum concordiam, et societatem ad in vicem devenerunt, vid. Quod dictus D. Comes Neliptius debet defendere et guarentare dictas Civitates, et eorum districtus, et quamlibet ipsarum, homines, res, et bona ipsorum, et cujuslibet eorum, & quamlibet personam toto suo posse ubique locorum, ita, & taliter quod inimicos ipsarum dictarum Civitatum, et cujuslibet earum ipse D. Comes Neliptius tenebit, et tractabit pro suis inimicis tam in districtibus dictarum Civitatum, quam extra toto suo posse, bona fide sine fraude. Dictæ vero tres Civitates debent dare inter omnes tres Civitates prædictas dicto D. Comiti Neliptio in ipsius D. Comitis Neliptii auxilium 400. homines pedites contra suos inimicos bona fide sine fraude: et inimicos dicti D. Comitis Neliptii habere pro eorum inimicis exceptis D. Regem Hung. et subjectos Dominio Ducali Veneto, et ipsos 400. homines sibi dandos eidem D. Com. Nelip. possit conducere contra suos inimicos, si damnum sibi, vel genti suæ dare contingeret, in Sclavonia tantum, et hoc intelligatur quod prædictæ tres Civitates teneantur dare dictos 400. homines solummodo, quando d. D. Com. Nelip. personaliter iret contra dictos suos inimicos, et aliter non, et si contingeret per ipsum D. Com. Nelip. vel gentem suam moveri guerram, seu derobationes facere alicui personæ absque voluntate, vel requisitione ipsarum trium Civitatum, et eorum Comitum, quarum sunt Comites, quod prædicti Comites, seu Civitates prædictæ ad prædictos 400. homines sibi dandos minime teneantur. Nec contra Dominum Regem Hung. et subditos D. Ducis ad præstandum eidem D. Comiti Neliptio auxilium supradictum nullatenus teneantur. Et prædicta omnia, et singula sup. et infrascripta ab hodierna die in antea initium assumptura sint et debeant perdurare, donec de Ducalis Dominii processerit beneplacito voluntatis, pro quibus omnibus, et singulis observandis, et firmiter attendendis. Idem D. Comes Nelip. per se et nomine gentis suæ ex una parte & Ioannes Stephani Synd. et procur. Communis et hominum de Spalato, Daniel Iacobi Syndicus, et procurator Communis et hominum de Trag. Rodoslauus Michite Synd. et p. Communis et hominum de Sibinice in eorum et ipsorum quorum sunt Syndici, et Procuratores animas juraverunt corporaliter ad Sancta Dei Evangelia, tactis sacrosanctis scripturis, prædicta omnia et singula suprascripta et infrascripta bona fide sine fraude attendere, et observare, et contra in aliquo non facere, vel venire aliqua ratione, vel causa. Quibus omnibus sic peractis suprascripti Domini Comites et Nob. Civitatum prædictarum volentes inter se taxare, et dividere ipsos 400. homines eidem D. Comiti Neliptio dandos. Primo, et principaliter D. Nicolaus de Molino Comes Spalati de consensu et voluntate dictorum Nob. de Spalato. C. homines de dicta summa 400. hominum prædictorum pro Communi et hominibus de Spalato obtulit se daturum, et D. Ioannes Gredonicus Comes Trag. cum consensu et voluntate dictorum Nob. de supta. summa pro dicto Communi et hominibus de Trag. 140. homines obtulit se daturum, et D. Pantaleo Iustinianus Comes Siben. de assensu, et voluntate dictorum Nob. de Siben. 160. homines de supta. summa prædicto Communi, & hominibus dictæ Civ. Sibenici obtulit se daturum, & sic unusquisque dictorum Comitum nomine dictarum Civitatum quarum sunt Comites, & ipsi Nobiles Syndici, & procur. Civitatum prædictarum una cum eis ex auctoritate eis attributa, & concessa a Consiliis Civitatum eorum, & cujusque ipsorum promiserunt dare causis suprascriptis unusquisque quantitatem hominum per eos superius protaxatam & ordinatam, convenientes & promittentes partes suptæ. per se quod de dicta conventione, & societate quatuor conficiantur instrumenta, unius ejusdemque tenoris, sigillis pendentibus eorum, & cujusque ipsorum Civitatis, & Communis, & D. Comitis Nelip. iu suprascriptorum omnium testimonium munimine roborata. Acta fuerunt prædicta, & firmata in Valle Stelpone præsentibus Magistro Alex. de Firmo Notario & Cancell. Communis Trag. Mag. Meneghello de Cluigia, & plurimis aliis testibus ad hæc vocatis & rogatis. Ego Petrus filius q. X. Alex. de Pistorio Impe. auct. Not. & Communis Siben. Cancell. & juratus publicus prædictis omnibus interfui, & a prædictis partibus rogatus scripsi, & fideliter publicavi, signoque meo consueto signavi.

Eodem tempore Tragurien. cum Comite Mladino Clissi, qui patri Georgio successerat, controversiam de via, sive de transitu prope Clissum composuere, quæ multoties deinceps renovata, multarum simultatum causa fuit, ut in patriæ Chronico: variæ deinde inter Comites Croatiæ contentiones emersere, Comesque Neliptius cum Breberien. bellum gessit, in quo Spalat. Trag. & Siben. fœderato Neliptio faventes, Clissam obsederunt, castellumque ibi construxerunt; pax deinde sequuta est Castellum destructum, viæque hinc inde apertæ, ut latius in patriæ Chronico. Hos tamen tumultus Carolo Regi displicuisse Breberiensibusque iratum in Croatiam venire decreviisse ex sequentibus patet. 1333. 1. Ianuar. 1337.

Carolus D. G. Rex Ung. &c. fidelibus suis rectoribus Iudicibus, & toti Communitati Civ. Trag. Sal. & gratiam: Nullum dubium habuimus, nec habemus de vobis, quoniam semper nostræ Majestatis & sacræ Coronæ Regiæ cum omni fidelitate fueritis & sitis in præsenti, quoniam nostrum bonum pro vestra quiete, & vestro bono est, & e contra; ob hoc velut nostros fideles dulciter rogamus, admonemus, & inducimus, quatenus nostris rebellibus, & illis qui nobis justi non sunt, nec favore, nec consilio, & auxilio assistatis, specialiter eisdem nulli hospitalitatem facientes. Datum Isegrad. Sab. proximo ante Dominicam Reminiscere 1338.

Nob. & Sap. Viris DD. . . . . Hon. Comiti judicibus, & Consiliariis Civ. Trag. amicis suis Carissimis, & tamquam fratribus peramandis Gregorius Comes Corbaviæ Sal. & prosperis successibus abundare. Ex adventu prospero nuntii nostri ad D. Regem Ung. cum

plena intentione, & literis gratiosis nobis directis multo nobiscum congaudere debetis; dedit enim nobis idem Dominus Rex per suas literas in mandatis per nuntium nostrum, vobis ut fidelissimis sacræ Regiæ Majestatis ipsius literas destinare, habemus etiam ex præcepto ut protector, & favorabilis assistam in adjutorium, & juvamen filiorum q. Pauli Bani, & nepotum ipsius, cum ipsi cupiunt gratiam, & concordiam invenire cum suprascripto D. Rege, asserens se omni dilatione postposita ad partes maritimas properare. Scriptum in Bichigio in cœna Domini feria quinta.

Ex quibus apparet Comitem Corbavienſem pro Breberienſibus cognatis apud Regem interceſſiſſe : Regem vero geſta Neliptii improbaſſe, ipſumque jam tum inter *rebelles & ſibi non juſtos* reputaſſe, quod tunc obſcure prolatum, deinde clarum apparuit. Sed cum imitatione Mladini Neliptius quoque vicinis moleſtus evaſiſſet, & Conſtantinum Comitem Clave ſuum nepotem, in Sibenicenſi territorio caſtrum conſtruentem, juviſſet, indeque inter ipſum, & Sibenicen. mutua damna inferrentur ; Neliptius, nepoti favens, Sibenicenſem agrum vaſtavit ; & cum Veneti damnorum refectionem ex vi fœderum poſtulaſſent, refectionem ſuperbus ſprevit, & Comites Croatas a ſe alienavit ; tunc Veneti maritimas Civitates cum Comitibus Corbaviæ, Oſtrovizæ, Scardonæ & Cliſſi, in ligam contra eundem jungentes, ad refectionem damnorum faciendam, caſtellumque deſtruendum coegerunt, paxque ſequuta eſt his conditionibus.

In Chriſti &c. 1343. *Ind.* 12. *die* 4. *menſ. Octob. cum inter alias virtutes & humanas operationes pax obtineat principatum, quam pacem tanquam munus præcipuum Deus noſter Omnipotens in ſui nativitate præ cæteris in terris per ſuos Angelos voluit nuntiari, & nuper inſtigante humani generis inimico qui Zizaniam ubi libet ſatagit ſeminare pro damnis, violentiis, & injuriis illatis hactenus & commiſſis Communi & hominibus Sibenici fidelibus Domini Ducis, Communis Ven. per Comitem Neliptium Tinienſem, & ejus nepotem Comitem Conſtantinum, & gentes, & ſequaces eorum guerra, & diſſenſio foret orta inter præfatum Illuſtrem, & Magnificum DD. Andream Dandulo D. G. Venet. Dalmat. atque Croatiæ Inclitum Ducem Dominum quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, & ipſum Commune Venet. & fideles ejus prædictos ex parte una, & præfatum egregium & potentem virum D. Neliptium Tinienſem Comitem ex altera. Recogitans idem D. Nelip. Comes quot bona ex pace proveniunt, & per conſequens quot mala per guerram generantur, & pericula in quibus tota contracta Sclavoniæ propterea ſubjacebat, Deum habens præ oculis, & ipſius veſtigia cupiens imitari cum egregiis & Nob. Viris Dominis Nicolao de Priolis, & Nicolao de Piſanis Civibus Honor. Venet. & de mandato ejusdem D. Ducis & Communis Ven. & fidelium ſuorum prædictorum. & aliarum partium Sclavoniæ Proviſoribus deſtinatis recipientibus nomine & vice dicti D. Ducis & Communis Ven. nec non ſibi adhærentium habentibus libertatem ab ipſo Domino Duce, & Commune Ven. pacem cum prædicto D. Comite Tinien. Neliptio, & ejus nepote Comite Conſtantino, & gentibus eorundem concordiam &c. firmandi de qua libertate conſtat litera quadam aperta, & ſua bulla plumbea ſolita communita tenoris infra ſcripti viſa, & lecta ad pacem & concordiam in hunc modum venire curavit. Primo quidem promiſit idem D. Nelip. Comes pro ſe, & ejus nepote Comite Conſtantino, & omnibus eorum gentibus, ſe ſequacibus præfatis Dominis Nicolao de Priolis, & Nicolao Piſani Proviſoribus recipientibus nominibus quibus ſupra, quod habebit, tenebit, obſervabit bonam, puram, & integram pacem cum Communi, & hominibus Sibenici fidelibus dicti Ducalis Dominii, & cum omnibus aliis Civitatibus terris & locis & earum civibus, & fidelibus Sclavoniæ ſubjectis dicto Ducali Dominio, & quod dicto Communi & ſingularibus hominibus Sibenici, nec aliis terris, & fidelibus ſupraſcriptis, vel eorum, ſeu earum alicui non faciet, nec fieri permittet, nec etiam attentabit per ſe vel nepotem Comitem Conſtantinum vel gentes, & ſequaces eorum, vel alicujus eorum ſeu alios nomine ſuo, ſeu cujuscunque eorum injuriam, damnum, violentiam ſeu moleſtiam aliquam ſub pœna infraſcriptæ plezariæ modo aliquo vel ingenio. Item quod omnes homines, & mercatores Sibenici, & aliarum terrarum Sclavoniæ prædictarum fideles ejusdem D. Ducis & Communis Venet. poſſit ire ſtare, vel redire libere, ſecure, & expedite cum ſuis mercationibus, rebus, & bonis per Caſtrum Tinini, & per alia Caſtra, loca, diſtrictus, & territoria dicti D. Comitis Neliptii, & ejus nepotis Comitis Conſt. & ſuorum ſequacium ſine ſolutione alicujus datii tergovine, telonei, ſeu male ablati, ſeu quocunque alio nomine nuncuparetur directe, vel indirecte, niſi ſecundum quod ſolvebantur per tempora præterita ante præſentem guerram. Item ſi tempore aliquo damna, moleſtiæ, injuriæ, ſeu offenſæ fierent Communi, & hominibus Siben. vel aliquibus aliis fidelibus, & Civibus aliarum Civitatum terrarum, & locorum prædictorum fidelibus dicti D. Ducis & Communis Ven. vel etiam attentarentur per dictum D. Comitem Nelip. & ejus nep. C. Conſt. vel eorum aliquem, ſeu per gentes, & ſequaces eorum, vel cujusque eorum, vel alios nomine ſuo, vel alicujus eorum, de quibus querela fieret Comiti terræ illius, ſub cujus ditione dicta damna vel offenſæ forent commiſſæ vel commiſſa, quod idem Comes terræ prædictæ dicta damna & offenſas dicto Domino C. Nelip. notificare teneatur ; Qui D. C. Nelip. teneatur facta notificatione prædicta comparere perſonaliter per ſe vel ejus nuntium, ſeu procuratorem ſufficientem coram Comite prælibato ad faciendum ſuam excuſationem de dicto facto infra unum menſem, & ſi per dictum D. Nelip. C. vel ejus procuratorem talis excuſatio fieret, quæ dicto Comiti terræ prædictæ rationalibus & juſta appareret quod idem Comes terræ illius libertatem habeat dictum D. Comitem Nelip. a petitione prædicta libere reddere abſolutum, & ſi finaliter ſententiaretur præfatum D. C. Nelip. ad refectionem dicti damni exiſtere debitorem, quod*

tunc

tunc dictus D. C. Nelip. damnum ipsum infra mensem unum satisfeciſſe, se persolviſſe integre teneatur, & si non solveret, cadat de tertio, verum si de dicta sententia C. prædti. teneretur se gravatum addictum Ducale dominium possit habere recursum, & si per dictum Ducale Dominium diffiniretur, quod male per dictum Comitem sententiatum fuisset, non solum prædictus D. C. Nel. a petitione damni prædicti absolvatur ; Sed etiam expensæ quas supportasset reficiantur, & sibi per partem ejus adversam per quam querela facta fuisset integre persolvantur. Et e contrario si in contrarium a Com. diffiniretur, quod non solum dictum damnum, sed etiam expensas factas in dicto facto infra prædictum mensem solviſſe teneatur. Item quod egregius & potens vir D. Paulus C. Ostrovize, & egreg. & potens vir Mladinus Cliſſi, & Scardonæ Comes, qui dicto D. Duci & Communi Ven. in guerra ista adhæserunt se, & egregius, & pot. vir D. Greg. Comes Corbaviæ, & quilibet ipsorum cum omnibus gentibus Castris, terris, & locis suis & cuique ipsorum sint, & esse debeant in dicta pace, & eis, & eorum cuilibet, & gentibus suis Castris, terris, & locis servari debeat per prædictos C. Nel. & ejus Nep. C. Const. & gentem, & suos sequaces, & eorum quemlibet pax suprascripta in omnibus & per omnia, & sub illis pœnis, promissionibus, obligationibus & cautelis supra appositis, & pro terris & fidelibus dicti D. Ducis & Communis Ven. inferius ponerentur ; Dantibus ipsis nihilominus & eorum quolibet talem fidejussionem, seu pignus de non offendendo dictum D. Nel. C. & nepotem & gentem & sequaces eorum, quales seu qualis dabitur per D. C. Nelip. antedictum, & si dare recusaverint sint extra pactum. Item cum damna data Sibenicen. per dictum D. C. Nel. & nepotem suum C. Const. & gentes suas taxata fuerint per egregium & Nob. virum D. Martinum Cornario Comitem Sib. in lib. 15. millibus parvorum, cujus pecuniæ quantitatem per formam pacis nuper tractatæ, & firmatæ cum aliis Provisoribus solvere promiserat, & contentus extiterat, quod de dictis damnis taxatis in præd. lib. 15. mil. teneatur dictus D. C. Nel. solvere solum lib. 13. mil. in auro, & si animalia dare vellet, dare teneatur tot magna, & parva, quæ valeant quantitatem prædictam 13. mil. lib. quæ vero animalia æstimari debeant per tres æstimatores per ipsos dominos Provisores eligendos, incipiendo dare de dictis animalibus usque ad dies decem mens. Sept. & compleſſe usque ad festum S. Lucæ de mens. Octob. præsent. & si animalia quæ consignaret non æstimata forent ascendere quantitatem prædictam quod residuum in pecunia usque ad integram & perfectam solutionem lib. præd. 13. mil. ad terminum subradictum supplere debeat, & complere, & insuper damna data post pacem prædictam firmatam sibi remittantur ; pro quarum MM. lib. & aliorum datorum post pacem prædictam remissione teneatur dictus D. Nelip. C. castrum dicti sui nepotis C. Constantini in totum usque funditus hinc usque ad Kal men. Martii nuper venturi facere ruinar, & quod tempore ullo non possit per dictum D. C. Nel. vel ejus nepotem C. Const. seu gentes suas vel alios nomine suo reædificare seu reædificari facere castrum prædictum, vel aliud de novo construere in dicto loco, vel alio, de quo, & per quod Communi & hominibus Sibenici posset inferri damnum aliquod, vel jactura, sine licentia & assensu dicti Ducalis Dominii, & de hac, fidejussionem seu pignus de lib. X. mil. dare teneatur, quod dictum Castrum in totum erit usque ad dictum terminum funditus ruinatum sub pœna prædicta, salvo si de dicti castri ruinatione per dictum Ducale Dominium sibi non foret terminus elongatus, possendo dare pro dicta fidejussione, & Communa terrarum Trag. & Spalati, & speciales personas de quibus contentari habeant Domini Provisores præfati sicut sibi videbitur. Item quod dictus D. C. Nel. depositum quoddam in Ven. de lib. 20. mil. facere teneatur, quos denarios dictum Duc. Dominium recipi faciet & deponi ad Cameram suam frumenti cum lucro & conditionibus omnibus dictæ Cameræ consuetis, dando de dicto deposito usque ad diem quartum dicti men. Sept. Duc. M. & residuum quam cito poterit in aliqua terrarum Trag. & Spaleti deposuisse. Item pro prædictorum omnium observantia teneatur idem D. C. Nelip. in possessionibus, vel pecunia, vel aliis sufficientibus securitatibus, de quibus contentare habeant domini Provisores præfati plezariam præstare de lib. X. mil. in Civ. Trag. Sib. vel. Spal. cum adjectione quod si non observarentur omnia supradicta per ipsum D. C. Nelip. & ejus nepotem C. Const. vel aliquem eorum seu per gentes, & suos sequaces in omnibus & singulis Capitulis suprascriptis quod licitum sit, dicto Communi Ven. excutere seu excuti facere de possessionibus prædictis, vel pecunia seu ab illis qui constituisset, & se constituerent fidejussores omne id in quo foret propterea contrafactum, & non observatum. Præfati vero Eg. & N. viri Domini Nicolaus de Priolis, & Nicolaus Pisani, Cives Ven. & Provisores prædicti pro se & nominibus quibus supra promiserunt D. Nelip. C. supto. quod facta solutione de damnis prædictis, & facto deposito, & datis plezariis ut suprascriptum est quod omnia bona dicti C. Nel. sui nepotis, vel suæ gentis ubicunque forent sequestrata de mandato dicti Duci Dominii occasione processum libere relaxabuntur, & quod ipse, & omnes ejus gentes possint ire & intrare Civitates, & de eis exire cum suis personis, rebus, & bonis, ut ibant & exibant ante dictos processus, & si aliqui occasione istarum novitatum tam per unam partem, quam per aliam forent, propterea positi in banno aliquo de ipso libere extrahantur. Item promiserunt nominibus quibus supra quod idem D. C Nelip. & ejus filius in cives recipientur Venet. Item ut omnia cum claritate fiant, & pax prædicta sit perpetuo inviolabiliter duratura, contenti fuerunt Domini Provisores præd. & sic iidem D. C. Nel. prodicto suo nepote C. Const. se obligaverit in omnibus capitulis suprascriptis, quod si tempore aliquo reperiretur ipsum C. Const. recesſiſſe in totum a C. Nel. supto. & nihil teneret, vel possideret ab eo, dictus ejus nepos Const. vel aliquid cum eo agere non haberet. quod idem D. C. Nelip. in nullo pro dicto suo nepote sit, nec esse debeat obligatus. Quæ omnia & singula suprascripta promiserunt prædictæ partes pro se & cujusque ipsorum, hæredes, & gentem,

tem, ac nominibus quibus supra ad invicem, & vicissim solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus attendere, & observare, & in nullo contrafacere, vel venire aliqua ratione occasione, vel causa sub pœna lib. M. den. Ven. par damnorum interesse & expen. litis, & extra-stipul. promissa in singulis capitulis suprascriptis solvenda per partem contrafacientem parti fidem servanti, ita tamen quod dicta pœna soluta, vel non, nihilominus omnia & singula suprascripta plenam obtineant roboris firmitatem: Et insuper ad majorem cautelam, & firmitatem perpetuam præsentis pacis & concordiæ & omnium supradictorum prædicti Domini Provisores in animabus dictorum Domini Ducis & Communis Ven. & fidelium suorum prædictorum ex parte una, & præd. D. Nel. C. pro se ipso, & gente sua ex altera juraverunt ad Sancta Dei Evangelia tactis sacrosanctis scripturis, in loco infrascripto, in præsentia plurium virorum Nobb. mei Not. & testium infrascriptorum prædictam pacem & concordiam, & omnia suprascripta & singula in præsenti contractu contenta & inserta pro se, & eorum, & cujusque ipsorum hæredes contenti. Firma & rata perpetuo habere, & tenere, non contrafacere aliquo modo, casu, vel ingenio, seu aliquo quæsito colore, & omnia supra. & singula in præsenti contractu contenta & inserta bona fide, & sine fraude, dolo, vel malitia aliqua attendere & observare. Obligantes una pars alteri ad invicem, & vicissim pro prædictis omnibus & singulis per se ipsos, & nominibus quibus supra, & eorum, & cujusque ipsorum hæredes bona mobilia, & immobilia, præsentia & futura. Actum in loco vocato Slap in flumine Kercha, ubi sunt molendina in districtis, sive a latere Scardonæ jura & molendina Communis Sib præsentibus Reu. in Christo Pat. Domino fratre Nicolao Dei & Apostolicæ sedis gra. Episcopo Tinense, Egregiis & Nob. viris Dominis Budislavo q. C. Vgrinich de Breberio Duyminoe q. Martini Ludovich. Sap. Viro Angelo Amici de Ytalis de Asculo Canc. Communis Sib. Nob. Dominis Caxoto q. Nicole Caxoti de Trag. & Ioanne q. Egidii de Spalato, Providisque viris Franco. Alberto de Padua, Milantano q. Ioannis de Parma, Vitale Nigro filio Marini Nigro de Ven. & Rudolpho Betini de Bononia, & aliis testibus ad prædicta vocatis specialiter, & rogatis. Tenor literarum a parte de qua supra fit mentio. Nos Andreas Dandulo D. G. Ven. &c. Dux Notum facimus . . . . . Datum in nostro Duc. Pal. die 9. mens. Sept. intrant Ind. 12.

Ego Guido Ciuran. Imperiali auctoritate Not. & Duc. Ven. Scriba prædictis omnibus interfui & rogatus scripsi.

Hæc in Dalmatia, & Croatia gesta, ab Historicis prætermissa referre placuit, ut clariora evadant ea quæ sequuntur.

CAPUT XV.

De obsidione Iadrensi, ejusque causis.

IAdram ad Ludovicum Ung. Regem defeciſſe ſcriptores vulgati, tam Veneti, quam reliqui referunt; Venetos magnis viribus eandem obſediſſe, & valido machinarum apparatu oppugnaſſe conſentiunt. Regem maximis copiis ſtipatum adveniſſe, & poſt Baſtidæ (ab Ungaris Scekach dictæ) oppugnationem, receſſiſſe, ut Veneti quidem fugatum, ut Ungaria vero, munita Civitate, ob commeatuum inopiam ſponte reverſum; de cauſis tamen altum apud omnes ſilentium: cum autem hoc bellum longum, & celebre fuerit, extetque ejusdem manuſcripta hiſtoria a religioſo quopiam viro, qui interfuit, conſcripta (ut ex genere quo utitur orationis, facile intelligi poteſt) quæ in multis convenit cum Chroniſta Veneto Anonymo ejusdem ævi ſcriptore, ideo ex eodem, illorumque temporum monumentis ipſius obſidionis ſeries, ejusque cauſæ, a Vulgatis prætermiſſæ melius elici poterunt, ſi ſtatus rerum, qui tunc fuerit, prius deſcribatur. Regnum Ungariæ extincta univerſa virili ſtirpe Regum, inter deſcendentes per lineam fæmineam controverſum diu fuit, & Carolus Robertus decem annis poſtquam Ungariam attigit, ope ſummorum Pontificum vix coronam adeptus eſt, in Regno tamen ſedando multos annos inſumpſit, limitaneaſque Provincias, præſertim Croatiam, ſemper ſibi parum obſequentem expertus eſt: Mladinus etenim, cum ob merita patris in Banatu Croatiæ ſucceſſiſſet, gratiaque Regia abuſus inpotenter, & ſuperbe dominaretur, ejusque arrogantiam Rex reprimere non valuiſſet, maritimas Civitates adeo preſſit, ut Venetis ſe tradiderint, & quamvis deinde per Ioannem Babonich Banum & alios Comites Croatiæ ab ipſo alienatos victus fuerit, Rexque ſuperveniens ipſum ſecum in Ungariam captivum duxerit; tamen cum idem quoque Banus Ioannes dicto Regis audiens non eſſet, alter Banus Nicolaus contra eundem miſſus, victo Ioanne, pacem tamen cum eodem facere a cæteris Comitibus Croatiæ, qui eum totaliter deſtructum nolebant, perſuaſus fuit, ipſoque Nicolao recedente, Comites, ſibi quiſque a Rege timentes, cum maritimis Civitatibus, & Venetis fœdus inierunt; exindeque cum Mihac Banus ſuperveniſſet, quamvis ab omnibus honorifice receptus fuerit; tamen Croatiæ Comites maritimis Civitatibus junctos aggredi auſus non eſt, ſed caſtris tantum filiorum Banonich in poteſtatem reductis, receſſit, ut latius Madius refert, & quamvis deinde Neliptius Comes Tinii multa in Croatia contra jus faſque geſſerit, tamen quidquam amplius Ca-

1323.

1326.

ro-

rolum in Croatia tentaſſe memoriæ proditum non eſt. Sed cum mortuo Carolo unico Roberti Regis Apuliæ filio, Robertus neptem ex eo, Andreæ, altero ex Caroli Regis liberis, deſtinaſſet, in ſpem recuperandi Regni erectus Carolus, Comitibus Croatiæ ſuum ſtatum retinere permiſſis, Andream filium ſeptennem Neapolim ipſe duxit, & ſub tutela Roberti reliquit; quem tamen ſucceſſione ejus Regni potitum, ob mortem, qua interim præventus eſt, videre non potuit. Ludovicus autem in pacato Ungarico Regno patri ſuccedens, ob deſtinatum ſibi ab avunculo Caſimiro Poloniæ ſceptrum elatus, ſtatim magnos illos ſpiritus, quos jam tum in prima ætate præferebat oſtendit, Saxones namque, & Tranſylvanos non omnino ſibi parentes, conjunctus Avunculo (ne quid ſibi in ſucceſſione Polonica obeſſet) domuit, deinde Regnum Apuliæ, ſive Neapolitanum ſibi per fratrem jungere conatus eſt; mortuo namque eodem tempore Roberto Matrem pro inveſtitura Andreæ a Sede Apoſtolica impetranda in Apuliam transfretare fecit, ſuprarelataſque turbas, quas tunc in Croatia C. Nelip. ſpreta regia auctoritate ciebat, compeſcere diſtulit; Sed eo mortuo Tininium oppidum propter opportunitatem loci ad obtinendam oram maritimam apprime neceſſarium, primo tentavit, & mox per Nicolaum Sclavoniæ Banum cum exercitu quatuor millium galeatorum obſedit, ex cujus adventu Vidua Neliptii territa, nunciis (permittente Bano) Regi miſſis, caſtrum certis conditionibus obtulit; Sed cum Regi in recipiendis ſuæ ditionis oppidis nullas leges admittere certum eſſe videret, a cæteris autem Croatiæ Regulis ab ea deditione (ut pote illorum rationibus maxime adverſa) vehementer deterreretur, tradere diſtulit, Banique expectationem delusit; quapropter Rex anno ſequenti cum exercitu viginti millium galeatorum equitum, & Bano Boſnenſi in Croatiam mediterraneam Bihachium uſque pervenit; inde territi Comites Croatiæ Maritimæ, Ioannes Neliptii filius Tininium Regi tradidit, *& Comites Corbaviæ cæterique claves caſtrorum Regi in ſignum fidelitatis obtulerunt*, ut in obſidionis hiſtoria habetur, &

1328. 1333. 1342. 1343. *Obſidionis Auctor.* 1345.

Carolo Roberto Re de Hungaria nel 1333. *l' ultimo Luglio con Andrea ſuo ſecondo figliolo de ſette anni venne a Beſtie in Puglia ſpoſo la figliola magiore del Duca de Calabria li 27. Settembre e poco doppo parti.*

Exinde dignoſcitur Carolum, uſque quo in Regno Ungarico ſedando implicitus fuit, nullamque ſpem Regni Neapolitani ſibi prærepti recuperandi habuit, Sibenicenſibus, quamvis Ven. ſubditis, anno 1322. die 8. Octobris facile Privilegia confirmaſſe, ſed oblata ſpe eundem per filium recuperandi, nihil tunc de rebus Dalmaticis ſtatuere voluiſſe, ob id Privilegia Spalaten. conThuu. & Bon. tradunt. Breberienſes vero Comites Oſtrovizam, Scardonam, & Cliſſam loca mari proxima, tenentes, ſœderibuſque Spalaten. Trag. & Siben. juncti, Venetorumque ſiſi potentia, neque Regi caſtra tradiderunt, neque a Rege moleſtiam ullam acceperunt, propterea quod is, ut conjectari libet, vanos omnes ſuos conatus adverſus oppida maritima, ſine Claſſis auxilio, futuros facile intelligebat.

Maritimæ autem Civitates ſub Venetorum patrocinio reductæ, ſedatis civilibus diſcordiis, Magiſtratibuſque & Conſiliis imitatione Reipublicæ Venetæ reformatis, cum proximis Comitibus Croatis mutuis fœderibus illigatæ, quiete vivebant. Bano, præter partem portoriorum, antiqui tributi nomine tradi ſolitam, nullæ contributiones pendebantur, nullaque ſervitia extraordinaria præſtabantur; ſalaria Poteſtatibus & Vicariis Comitum Croatarum dari ſolita ceſſaverant, dationes exeniorum nomine iiſdem Comitibus amplius non dabantur, ſed ab uno tantum Comite patritio Veneto, ſolito Comitatus ſalario ſibi conſtituto, unaquæque Civitas regebatur, inde vectigalia communia neceſſarios Civitatum ſumptus ſupplebant, ob id impræſtita, & coltæ, maximo civium incommodo exigi ſolitæ, in deſuetudinem abierant, omnesque certatim, partium obliti, mercaturæ in dies magis dediti, & ex commoditate pacati maris, longinquas etiam navigationes, majori quam unquam alias poſt Imperii declinationem, Dalmatiæque a Slavis occupationem quæſtu exercentes, terreſtremque maritimæ induſtriæ jungentes ad frequentiam civium, opesque non modicas excreverant, ut latius in patriæ Chronico.

Veneti vero Iadra utcunque recuperata propter Croatarum diſſenſiones, cæteras quoque maritimas Civitates conſecuti, easdem cum proximis Comitibus Croatis fœderibus ſtrinxerunt, exinde pacatum mare experti cum in Aſia Turcorum vires dilatatæ fuiſſent, ne in Europam tranſirent viriliter eisdem ſe opponebant, & uſque quo Carolus in ſedando Regno Vngariæ implicitus fuit, Comitesque.

Carolus Robertus Rex Ung. anno 1333. *die ultima Iulii venit Veſtam Apuliæ una cum Andrea ſuo minore natu ſeptemni, qui deſpondit ſibi filiam Ducis Calabriæ natu maximam, die* 27. *Septembris, et paulo poſt diſceſſit (Rex.)* firmare renuiſſe; Veneti tamen cum utroque Regno amicitiam colentes, cum nihil moveretur, Dalmatiæ poſſeſſionem habuerunt quietam, & quamvis in Italico ſolo æſtuaria tantum tenerent, tamen ob neceſſitatem mercium præſertim Orientalium ab ipſis devectarum cunctos vicinos ſibi obſequentes habebant, & divitiis affluentes, ex pecuniæ

fœnore obligatos reddiderant; sed cum interim Scaligeri Veronæ domini ditionem per Lombardiam dilatassent, & ex Patavii & Tarvisii consecutione Venetis vicine effecti, castello prope paludes constructo eos irritassent: ideo Croatiæ inter se certabant nullam occasionem de rebus Dalmaticis dubitandi habuerunt; sed cum Robertus Neapolitanum Regnum Andreæ filio Caroli destinasset, ex horum Regnorum unione Venetis Dalmatiæ amittendæ suspicio injecta est, quam deinde negata Spalatensibus veterum Privilegiorum confirmatio auxit. Rex namque Carolus in Apuliam pergens Modrusiæ Ambasciat. Spalaten. audivit eisdemque scripsit.

Carolus Rex Hung. &c. fidelibus suis Jacobo Gradonico Comiti, Iudicibus, Consilio, Communi Civit. Spal. Sal. et gratiam Ven. in Christo pater D. Dominicus per eandem Archiepiscopus Spalati, Nobilesque viri Theodosius Alberti, et Petrus Franciſci per vestram fidelitatem missis in nostram præsentiam venientes vestras legationes eis injunctas nobis attente audienti retulerunt, et missa munera apportarunt, quæ grata habuimus, gratiorem tamen vestræ fidelitatis constantiam, et voluntatem subjectionis debitam fore sinceram, per multorum operum exhibitionem cognovimus e præsenti processu nostro concedente, Domino feliciter expedito, dum ad nos homines vestros miseritis uberem gratiam, et omnes petitiones vestras licitas, et honestas a nobis credatis vos effectualiter obtenturos. Privilegia quædam vestra ad præsens propter quod nequivimus confirmare, dictis D. Archiep. cum dictis suis sociis verbotenus recitabit cum cæteris responsis. Datum Madrusii 17. *Kal. Aug.* annum autem in Epistola omissum Ioannes Villanus supplet. l. x. cap. 225.

Veneti fœderibus jungentes omnes Regulos Italiæ, quibus Scaligerorum potentia suspecta erat, eisdem multa loca ademerunt, pacemque facere coegerunt, in qua Patavium Gararienſibus restitutum fuit, Tarsisium vero Venetis cessit; quam primam Civitatem in Longo-
1336. bardico solo Veneti consecuti sunt. Sed cum mortuo Carolo Ludovicus successisset, & investituram Regni Neap. a Summo Pontifice fratri procuraret, prospicientes Veneti, quam facili negotio Comites Croatiæ, præsertim mediterranei, inter se minime concordes a Rege opprimi poterant, intellecto Bani Nicolai adventu Civitates maritimas petentes armis instruxerunt, & cum
1344. deinde rumor de Regis adventu spargeretur, quid in Dalmatia evenire posset suspicantes; more ipsorum solito discussus in senatu opinionibus considerasse oportet: Reges fratres, alterum Regnum Neapolit: & Provinciam possidentem, variasque Italiæ partes meridionales in protectionem habentem, Classem quoque in Tyrrheno paratam tenere, alterum Ungariæ Regnum opulentum bellicosumque & in dies Regno Polonico auctum iri, Patriarchæ Aquileiensi & Anconitanis Venetorum æmulis in Italia amicitia junctum, ambos juvenes, gloriæque avidos, ipsorum intermediam maritimam potentiam frangere cupidos conjectantes; verentesque, ne junctis viribus Dalmatiam terra marique aggrederentur, & occupato Adriatico reliquam Italiam inter se divisam in eorum potestatem redigere, & cum Regibus Franciæ, & Navarræ consanguineis, Capetanorum ditionem, Carolingorum Imperio æquare tentarent: In hoc ergo timore Venetis constitutis Dalmatiæ prospiciendum erat, & sicuti insulas Classe quam tenebant in obsequio retinere facile poterant, ita Civitates continentis, tam metu proximorum Ungarorum, quam earum familiarum in ipsis Civitatibus existentium, quæ prædia in Croatico solo possidentes a Croatiæ Dominis pendere cogebantur. De Spalato Trag. & Siben. Comitibus Breberien. vicinis Regi adhuc non obtemperantibus, Venetorumque auxilia implorantibus, nulla solicitudo requirebatur; de Nona autem & Iadra Comitibus Tiuinii, & Corbaviæ vicinis jam a Rege subactis maximopere solicitos esse oportebat; Nonam igitur non reluctantem valido præsidio firmarunt; Provisoribusque in Sclavoniam missis Classem parabant, omniumque actiones sedulo observabant. Iadra etenim ab eo tempore quo ex interpositione Bani Mladine Venetum Comitem receperat, nullum militem, præsidiumve admittebat; Nam Comitem ipsi eligentes Iadrenses, Civitatem per se custodiebant, suisque legibus, & moribus regebant, & cum vicinis Croatiæ Comitibus, prout & cæteræ maritimæ Civitates Venetis assentientibus fœderibus juncti erant, mercaturamque & navigationem in Tyrrheno Sardiniam, & Cataloniam usque protulerant, in Arsenatu duas galeas, aliasque plures varii generis naves habebant, inde opes, & frequentia Civium aucta est. Sed libertate sua adeo inconsulte utebantur, ut *Fragmenta epist. Iadræ.* omnia sibi licere arbitrabantur, quæ olim expirante jam in Adriatico Græcorum potentia, per novam tunc contractam cum Venetis societatem, sibi licuisse recordabantur, & sicuti ex pactis cæterarum Civitatum latioribus ad unam tantum fidelitatem Venetis teneri rebantur, ita nullam superioritatem, vel judicium Ducis Senatusve Veneti subire volebant; nam cum Sibenicenses petiissent Insulas Srimac, Zuri, & Iarte, quas tempore quo a Tragurienſibus victi fuerant sibi Iadrenses occu- 1323.
paverant, ob idque eos in judicio coram Duce vocassent; Iadrenses asseruerunt Venetos teneri ex pactis sibi servare insulas a se possessas, neque extra suam Civitatem a quocumque in Iudi-

cio trahi debere protestati sunt, ut ex ejusdem controversiæ tabulis melius videre est, quæ in Archivo Sibenici servantur.

In Christi nomine Amen: Dum die infrascripta post Missarum solemnia et ante tertiam Marcus DD. Ioannes Superantio D. G. Inclytus Dux Ven. &c. in loco qui dicitur Cancellaria Ducalis Palatii cum suis Consiliariis pro tribunali solemniter more solito resideret, de voluntate dictorum suorum Consiliariorum de 40. & Rogatorum . . . . . .

Item allegamus et exponimus cum omni reverentia, ac honore vestræ Ducali Excellentiæ et vestro sapienti Consilio quod prædictis Sibenicensibus respondere non debemus, et hoc ex pactorum forma per V. Dominationem nobis benigne et gratiose concessa, ubi continetur quod Commune Iadræ debet habere unum Comitem qui sit de majori Consilio Civitatis Ven. qui cum tribus Iudicibus rogat, et judicet prædictos Iadratinos ut in pactis plenius continetur, cujus rei causa ex pactorum forma non possumus, nec debemus coram vobis ad judicium citari rationabiliter vel vocari: Unde si ad placitum, vel ad respondendum prædictis Sibenicensibns traheremur, vel vocaremur, nobis pacta, ut evidenter apparet, minime servarentur, quod nostra fidelitas eximiæ benignitati vestræ credimus absque dubio non placere. Item non debemus nec possumus cogi Sibenicensibus de prædictis insulis aliquid respondere, nec cum ipsis rationabiliter placitare, qui secundum omnem bonam consuetudinem, et secundum jura, siquidem prædictæ insulæ nostræ sunt jure præscriptionis, , nam prædictas insulas libere tenuimus, atque possedimus, et possidemus tanquam rem propriam pacifice ultra annos 46. Idem allegamus punctum illud in pactis contentum dicens. Quod omnes insulæ Iadratinorum possessiones et bona in eis positæ, et posita Iadratinis libere dimittantur, ut ibidem plenius continetur, quare si nos cogeritis venire coram vestram præsentiam ad respondendum de prædictis insulis Sibenicensibus, nobis prædictas insulas non dimiseritis libere juxta pacta, quod (absque dubio credimus) vestræ benignitati displicere. Item super prædicto negotio allegamus punctum illud pactorum dicens. Quod Iadratini habebunt et tractabunt inimicos Venetos pro inimicis, et amicos pro amicis; verum si ipsi amici fuissent, vel facerent aliquid in præjudicium Iadertinorum, seu Communis Iadræ, sit licitum Communi Iadræ procedere contra illos tales, prout sibi melius videbitur, exceptis fidelibus Domini Ducis, quibus D. Dux mittit dominium, dicens de tempore tunc præsenti quando prædictum fuit factum, quare tunc temporis quando pacta facta fuere non mittebatis illis de Sibenico dominium, possumus contra dictos Sibenicenses de jure et de facto nostrum beneplacitum facere, absque ulla injuria Ducalis Excellentiæ et Communis Ven. unde si ob dictas Insulas ad eorum petitionem ante vestram Serenitatem vocaveritis, manifeste fit nobis contra pacta quod vestræ Dominationis stateram justitiæ indubitanter credimus adhærere, et quamvis ad præsens sit Sibenicum sub vestro dominio non derogat pacto, quod semper in suo robore permanet, ac etiam firmitate. Item super prædicto negotio allegamus punctum illud pactorum, quod Dux et Commune Ven. omnia pacta quæ ipsi Iadertini habent vel habebunt, tam cum fidelibus Venetiarum, quam cum personis, seu communitatibus aliis quibuscunque ante præsentia pacta facta ratificat, et confirmat, quare si per D. vestram nobis ad præsens ob dictam causam hæc novitas fieret, nos de modo, et forma pactorum, quæ cum Civitatibus Dalmatiæ habuimus, ab antiquo trahendo, vocantes nos ad ipsorum petitionem coram vestram præsentiam, pacta omnia, quæ cum prædictis Civitatibus habuimus ab antiquo irrita, et annihilata fierent, atque nullius valoris, esset que nobis contra pacta quæ per Ducalem Dominationem nobis gratiose sunt concessa, nobis gravamen fieret manifeste, quod vestræ benignitatis justitiam refugere credimus tanquam pravum, quia ex hoc nobis multa damnosa, et Communi Iadræ periculosa pervenirent, et inconvenientia sequerentur, quia simili modo quælibet Civitas seu Communitas, ac etiam singularis persona posset Commune nostrum, & Civem, vel Cives passim coram vestra præsentia citari facere, vel vocari. Item similiter continetur prædictis punctis nobis concessis quod Iadertini sint liberi, & franchi sicut erant ante prædicta pacta: unde si prædictis Sibenicensibus supra prædictis per vestram Dominationem cogeremur respondere, nec habuissemus pristinam libertatem, nec franchitatem cum manifeste, & notorium est Dominationi vestræ quod nec ante præsentia pacta, nec post per aliquem Venetum, vel per aliquam personam ob aliquam causam, vel rem per vestram Dominationem unquam fuimus coarctati aliquid coram Ducale Dominium respondere: sed si aliquis cujuscunque generis, seu conditionis super Commune, vel homines Iadræ aliquid petere voluerit, seu voluit, tam ante pacta præsentia, quam post semper petierunt, ac etiam petunt coram præsentia D. C. Iad. qui Ducalem Excellentiam repræsentat, ut de jure & rationabiliter debet, quæ omnia suprascripta, sive superius narrata, vel pro nobis allegata dicimus, posito sine præjudicio non responsionis causa, diximus, nec respondemus, propterea quod dici posset nobis quod aliquo modo subintravimus litem, placitum, sive quæstionem, ut supradiximus, quod de jure facere non debemus, tum ratione pactorum, & conventionum, tum ratione consuetudinis diutius approbatæ inter nos & ipsos; sed ea, quæ dicta sunt, sunt dicta causa honoris Ducalis Excellentiæ, ut nostra fidelitas, puraque intentio, & innocentia vestræ Dominationi cum reverentia clare & manifeste appareat & habeatur . . . cum ostensum sit, & constet, Iadertinos violente expoliasse Siben. prout in petitione Sibenicen. continetur. Quod dicti Sibenicen. in possessionem Insularum Srimaz, Zuri, & Iarte restituantur, & ponantur infra unum mensen postquam requisitum fuerit per nostras literas Commune Iadræ salvo jure omnium . . . lecta &c. 1324. die 5. mensis Decemb. octava Ind.

Quam sententiam Iadrenses iniquo animo tulere, sæpeque deinde easdem nsulas recuperare nisi sunt, ut suo loco refertur. Ita Iadrenses nullo judicio Venetorum se obnoxios existimantes, quid-

quid sibi placebat, inconsultis Venetis, prout temporum occasio ferebat, decernebant.

Cum etenim Comes Neliptius relata damna Sibenicen. intulisset, & ob id Veneti, missis in Sclavoniam Provisoribus, Croatas & Dalmatas fœderatos Sibenicensium contra eundem excitassent, Iadrenses ab illis requisiti, Neliptium quidem Venetorum hostem effectum, suum quoque hostem declaravere, commerciumque cum eo ejusque subditis, ut ex pactis cum Venetis initis tenebantur, interdixere, sed neque contra eundem arma sumpsere, neque Sibenicensibus arma mutuo petentibus tradere voluerunt, sed quasi arbitri, & amici se pacem tractaturos obtulerunt, idemque Bano Bosnensi significantes ad pacem tranctandam eundem hortati sunt, intentionemque suam declararunt scilicet *nullam novitatem extra eorum districtum facturos.* Ludovico deinde Regi galeas petenti pro transfretatione maris in Apuliam inconsultis Venetis concessere, ut ex eorundem Epistola patet: *Illustri & Excelso Domino suo D. Andreæ Dandulo, Ioannes Sanuto Comes, Iudices, & Commune Iadræ vestri fideles inclinationem debitam & devotionem: Excellentiæ vestræ notum facimus & significamus per præsentes Regis Ungariæ nos accepisse literas continentiæ infrascriptæ. Ludovicus &c. dilectis sibi Comiti Iudicibus, & Comiti Civitatis Iadræ salutem & omne bonum. Noverit bonitas vestra quod Serma. Principissa Domina & D. G. Regina Ungariæ genitrix nostra carissima, ad visitandam Dominam Ioannam eorundem Regnorum Reginam . . . suam carissimam in Apulia transfretare proposuit; cum igitur pro transfretatione ipsius & gentis suæ, galeæ & vasa seu ligna . . . bene armata bonitatem vestram petimus diligentia qua majori possumus, quatenus ex parte vestra duas galeas quas habetis, & ligna, seu vasa nobis accommodare, seu impræstare. Segniam transmittere Dominæ Genitrici nostræ pro transfretatione sua, & gentis suæ velitis & placeat bonitati vestræ istud facere sine mora. Nam ecce ipsa Domina Regina genitrix nostra sub spe firma galearum, & vasorum prædictorum per vos mittendorum, arripiet iter suum eundi in Segniam, & difficile est eam cum dominabus in sua societate euntibus in maritima expectando galeas & vasa diutius commorari. Datum in Visegrad die 15. men. Maij. Cujus rei causa dictas literas legi fecimus in generali consilio Iadræ, & ibi captum extitit, quod dictæ galeæ, & ligna concederentur juxta petitionem contentam in litteris Regiis antedictis, quæ ad notitiam vestræ celsitudinis nostra reducit fidelitas præsentium per tenorem. Factum Iadræ die 7. men. Iulii XI. Ind.*

Frag. ep. 1343. 21 Mart.

Has Iadrensium actiones usque quo vicini Comites Croatiæ Regi non obtemperabant nullas suspiciones Venetis attulisse, tamen ipsis inconsultis sequutas, approbatas non fuisse censendum est, & cum Reginam Venetorum galeis, & expensis transvectam Chronistæ Veneti cum Ungaricis conveniant, ideo Iadrensium concessionem delusam fuisse dicendum est: sed adveniente deinde Rege Bihachium, Tininiumque, & cætera loca in sui potestatem reducente, quid tunc evenerit Historia obsidionis refert. *Civitates siquidem Dalmatiæ ad dictum Regem in dictis metis Bihach castrametantem solemnes, destinant nuntios, sive legatos pariter cum præclaris exeniis, præcipue Iadra elegit tres Ambasciatores Nobiles quorum nomina scribuntur: Martinussius de Butovan Michael de Blasii Soppe, et ultimus Nicolaus Machi de Galellis cum optimis donis ad dictum Regem destinandos, et transmeantibus ipsis honoranter, sed lento gressu quoddam vulgare ad ipsorum notitiam extitit, deductum videlicet, quod præfatus Rex secessit ab illis partibus, Ungariamque perrexit; concipientibus itaque ipsis nuntiis tales rumores Iadram pariter cum exeniis redierunt, de quorum reversione universi ingenui, atque plebei vehementer conceperunt cordis turbationem, increpantes eosdem de ipsorum itineris reversione, quamvis alter eorum Michael Tirrannis opponebat; sed quia duo ut major pars, et vis, oportuit aquiescere eorum voluntati. Immensam suscipientes Veneti lætitiam propter Regis reversionem præter Iaderanorum industriam ac asserentes Iadram fore fidelem Regi, ac ejus inductu omnia Castra Croatica Regi tradita ipse viriliter gubernat, propter quod incitati ipsi Veneti durissimum furorem contra Iadertinos eructarunt, sicut Deo concedente studui propolare.* 1345.

Quæ cum admodum obscure dicta sint, paulo clarius exponenda videntur: Sed cum præter hanc obsidionis Historiam nullæ rerum per ea tempora gestarum extent scripturæ, nihil quidem explorati afferri potest; conjecturis tamen aliqua assequentur. Non solum Iadram, sed cæteras Civitates Dalmatiæ ad Regem legatos misisse auctor tradit; sed animadvertendum est, reliquas Civitates Venetis se dedisse *salvis honorificentiis, et juribus D. Regis Ungariæ, quæ haberet, vel habere deberet*, nomenque Regium in scripturis retinuisse, Ducique præposuisse; & Venetis consentientibus confirmationem Privilegiorum Sibenicen. a Carolo obtinuisse, Spalaten. vero eandem confirmationem consequi tentasse, ut relatum est; Iadrenses autem sicuti quibusnam pactis cum Venetis convenerint (cum non extent) non constat: ita cum Regis nomen in scripturis non reperiatur, sed tantum Ducis; Ideo nihil Regi Ungariæ in eisdem pactis reservatum fuisse, solumque Venetum nomen Iadrenses coluisse verisimile est, prout ab antiquo usu receptum fuerat, antequam ad Belam tertium Iadrenses defecissent, & deinde ab anno 1204. quando Comitem Venetum iterum receperant, usque ad secundam defectionem anni 1242. Hoc Iadrensium ergo consilium Regis per Legatos adeundi non solum inconsultis Venetis, sed ipsis invitis initum esse dicendum videtur, & sicut ex reversione eorum non adito Rege *cunctos ingenuos et plebeios perturbatos fuisse* memorat,

ita

ita *immenſam lætitiam Venetos percepiſſe, propter Regis reverſionem præter Iaderanorum induſtriam* ſcilicet præter id, quod Iadrenſes ſperabant, eveniſſe; ex quo conjici poteſt, univerſos Iadrenſes aliquid ſpei in Regio adventu repoſuiſſe, & multo plura privatos, Regiis partibus addictos, ſpeque fruſtratos *Ambaſciatoribus lentum greſſum*, & celerem *reverſionem itineris increpaſſe*, quæ *Michael* collegis *apponebat*, & prout in civitatibus liberis evenire ſolet, ubi imprudentiores, quo inconſultius loquuntur, eo magis libertatem patriæ ſe tueri exiſtimant; ita tunc in illa univerſali *increpatione Ambas* multa verba prolata fuiſſe oportet, quæ præſentium Venetorum animos offenderint, ſuſpicionemque vehementem intulerint, adeo ut *Iadram fore fidelem Regis* affirmaverint, Iadrenſibusque exprobraverint *eorum inductu omnia Caſtra Croatica Regi tradita*; hæc autem exprobratio, absque pactis quæ Iadrenſes cum eiſdem Comitibus Croatiæ habuerunt, intelligi nequit; quæ quamvis non extent, tamen ex relatis pactis, quæ Siben. Trag. & Spalat. cum proximis Comitibus Croatiæ habuerunt auxilia præſtare obligatos fuiſſe, & tunc vel timore Regii exercitus denegaſſe, vel ne Regem offenderent diſtuliſſe, ita ut Comites Tinini, & Corbaviæ, propriis viribus diffiſi, & externis auxiliis deſtituti, pavore præſentiæ Regalis perculſi, Caſtra eidem tradiderint: cum deinde recedente Rege iterum Comitem Corbaviæ Veneta ſtipendia meruiſſe Caroldus memoret; eademque, vel ſimilia quæ Iadrenſes tunc perpetrarunt, Venetos Iadræ exiſtentes eisdem exprobraſſe dicendum eſt: Venetiis autem talibus rebus auditis (& ſi quæ Iadrenſium epiſtolæ ſecreto Regem vocantium interceptæ fuerunt, ut Caroldus inuere videtur) quæ, etiamſi poſt reverſionem Regis imprudentiæ Iadrenſium tribui poterant, tamen prudenter expenſa tales ſuſpiciones pro aperta defectione a Venetis receptæ fuerunt, ut illorum ſcriptores referunt; & cum ſuſpicio animo ſemel incuſa, multa etiam longe remota ſuſpicantibus coram admoveat, & quæcunque evenire poſſunt, jam eveniſſe fingit, ideo Venetos, ea perſuaſione imbutos, quamvis Rex jam receſſiſſet, dubitaſſe, & rationabiliter oportet, ne Iadrenſes ſuo arbitratu Civitatem regentes, Regi oppidum traderent, vel aliquam ex familiis prædia in Croatico ſolo poſſidentem, ob id Regi addictam, ab eoque gratiam inire cupientem, facultatem illi potiundæ urbis per dolum præberet; Vel Regem ipſum oblata agri dilatatione Civitatem, vel familias præcipuas ad ſe tracturum; ſic quacunque ratione, amiſſa Iadra, Claſſe Neapolitana ſuperveniente, magnum quoque amittendæ Dalmatiæ, & univerſæ Adriaticæ ditionis periculum adituros: cumque his ſuſpicionibus prævifiſque periculis liberari recta ratio omnino ſuaderet, antequam Iadra vel a quopiam occuparetur, vel externis præſidiis muniretur, præventione utendum eſſe, eandemque in ſui poteſtatem quocunque modo redigere decreverunt: quomodo autem decretum ipſum executi ſunt Chroniſta refert.

Chorando el dito mileſimo zo ſo 1345. *Zara la ſeptima fiada revella in lo tempo del dito Mſ. Andrea Dandolo in queſto muodo, che tutto il di ſchriveva Zaratini allo Re d' Ongaria che veniſe zoſo a tuor el dominio de quella, e queſto ſentido in Veneſia ſo fato Chapetaneo M. Pietro de Chanal de gallie cinque el qual per muodo de vixitazion de quelle parte zonſe a Zara e mando per llo Conte de Zara, e per quelli de Venetia, et per molti altri Zentillomeni de Zara, digando a quelli de voller algun fatto chon lor hordenar per lo ben della terra, e chollor montando in gallia e fexe llevar lle galie e tiraſe fuora dignando ſignuori de qua partir non ve puodete ſe uni non faxe vegnir Veniziani e tutte lloro choſe con ſalvamento in lle noſtre gallie, conſtreti ſo queſto, e fato ſo zo che volſe.*

Anno 1345. *Iadra ſeptimum defecit, tempore dicti Andreæ Dandulo, hoc modo. Quotidie ſcribebant Iadrenſes Regi Ungariæ ut veniret, et reciperet dominium Civitatis. hoc audito Venetiis electus fuit Præfectus quinque triremium Petrus Canalis, qui per ſpeciem viſitandi illas partes venit Iadram, accerſivit Comitem, Venetos et quamplures alios Patritios Iadræ, quaſi vellet aliqua cum eiſdem communicare pro bono Civitatis, quibus in triremem advenientibus retro ceſſit a litore, et exiit extra (portum) dicens hinc non diſcedetis niſi prius Veneti et omnia eorum bona ſalva devecta fuerint in triremes, qui aſtricti fuerunt quod juſſi fuerant.*

Hiſtoria autem obſidionis cap. 16. *mane quidem facto duodecimi diei ipſius menſis Auguſti dictus Petrus Capitaneus Generalis decem galearum juſſu Ducali ex parte Quirinali portus Iadræ ultra ſagularum obſedit Iadram, ita quod exeuntibus et intrantibus penitus erat via arctiſſima, ad quem Marcus Cornario, tunc Comes Iadræ, cum comitiva duorum Nobilium de Civitate, quorum unus Bivaldus Gregorii de Botono, alius Gregorius Franciſci de Carbonoſis appellati ſunt, transfretarunt. Conſiderantibus itaque Iadertinis, quod eorum Comes ad regimen Civitatis accedere minime gliſcebat, de hujus actu inter ipſos Cives Iadræ grandis dicitur fuiſſe admiratio, cum ſimile opus cujus non habetur memoria extitit perpetratum; ibique idem Capitaneus cum dicto Marco Comite in multorum arcanorum verborum prolatione ſimul pertraxiſſe fertur, nec non ipſum, ac ejus collegas in Claſſe detinuit, redireque in Civitate eos non permiſit. Denique ſuaſu et rogatu præfati Comitis Bivaldum ejus ſocium libere relaxavit, ac Iadram conduci ſalvum fecit, et Georgium reliquum conſortem in Claſſem detinuit, nec ipſum abire permiſit.*

ſit. Nam totam familiam & ſupellectilia ipſius Comitis ejus juſſu ad galeam fecit transfretare, & relato, quomodo Iadrenſes elegerint tres legatos Venetias mittendos ad ſe excuſandos ſubdit c. 17. *& ipſo die nominatus Capitaneus per ejus galeas publice juſſit voce præconis promulgare. Ut omnes Veneti Iadræ morantes pariter cum eorum mobilibus & bonis omnibus uſque ad quatuor continuos dies a Civitate Iadræ recedere debeant.* & relato quomodo frater Nicolaus ordinis Prædicatorum die 13. Auguſti Capitaneum adierit, & ut Legatos Venetias mitti permittat petierit, cui Capitaneus tale Senatus decretum aperuit. *De duabus unum eligant, aut hujus Urbis mœnia omnia circumvallata funditus evertant, nec non omnia Caſtra, fortitudinesque tam ſitas intra, quam extra Civitatem tradere ac deſignare ſine alicujus ambiguitatis obſtaculo velint in potentiam Ducis & totius Communis Venetiarum; hoc addito, quod tribuant Comiti electo per ipſum noſtrum Commune liberum & expreſſum dominium in omnibus juſtitiam meditando juxta ipſius nutum, & voluntatem; nihilominus jura poſſeſſionesque eorum omnes in uſum & utilitatem juxta ipſorum beneplacitum & libitum convertant, aut ipſi contra Venetorum potentiam viriliter procurent reſiſtere, cum multo plus puto fore ſanctius eis velle ad primum applicare partitum, percipiensque tales rumores nuntius cum comitatu Civitatem rediit, relationemque ipſis Civibus indicavit. Decernentes pro ſanctiori velle potentiæ Venetorum reſiſtere, quam tunc eorum videre Civitatem in ruinam præcipitare, nec tali conſentire pacto, & ad talem devenire conditionem.* deinde prolixe narrat, quomodo ad defenſionem ſe præparaverint, muros refecerint, machinas conſtruxerint, commeatuſque introduxerint, reliquaque neceſſaria procuraverint.

Tertio deinde die 16. Aug. Ambaſciatorem ad Regem Ungariæ ablegant ad auxilium implorandum, et cum Venetis de concordia denuo tractant, ſed Capitaneo eadem reſpondente, Civitas a mari acrius obſidetur uſque ad jactum lapidis, cunctique Iadrenſes per dominium Venetorum captivantur, Inſulæ prædantur, caſæ comburuntur, et 200. millia pecudes ſurripiuntur. Exercitusque Venetorum Nonæ cumulatus equitum, et peditum 20. millia tribus diebus agros vaſtat, villas comburit, ideo agricolæ fugientes numerum virorum in Civitate augent, qui ad 28. millia aſcenderunt, quorum armati ſex millia erant. Catena deinde ex tredecim tignis confecta portum clauſerunt die penultimo Auguſti; die vero primo Sept. ad Andream Regem Neapolim, Ambaſciatorem clam mittunt, die 8. Sept. Epiſtola Regis Ung. auxilia promittentis pervenit, qua lecta, tunc Iadrenſes abjecto nomine Venetorum in galeis et ſcutis inſignia Ungarica ponunt; die 17. ejusdem menſis Iadrenſem miſſum Andreas Siciliæ Rex benigne audivit, auxiliaque prompta promiſit, ſed clareſcente die ſequenti a ſuis Tyronibus impia nece extitit interfectus, ob id Iadrenſes lugubres induunt veſtes, eo quod grandem ſpem, et fiduciam in ipſo Rege retinebant, et niſi talis eventus contigiſſet, jam Iadertini liberationem ſuæ patriæ percepiſſent. ex quibus ſicuti apparet, Iadrenſes nulla ſubſidia Ungarorum, vel Regni Neapolit. niſi poſtquam obſeſſi fuerunt, imploraſſe, nomenque Venetum etiam obſeſſos, deſperataque reconciliatione uſque ad Regiarum literarum adventum per menſem fere retinuiſſe; ita eo uſque revera non defeciſſe, ſed ex inconſulta libertate, qua utebantur, Venetis juſtam defectionis ſuſpicionem præbuiſſe; Patriamque in ærumnas inopinatas præcipitaſſe. Obſidionem diutinam fuiſſe ex ejuſdem hiſtoria patet, hanc eandem Ioannes Iacobus Caroldus Civis Venetus in opere ejus nondum edito l. 7. ex monumentis publicis deſcribit, & cum prædicta hiſtoria in pluribus convenit, nam ſicuti auctor obſidionis, auro Veneto corruptos Boſnenſem, & Croatiæ Banos, cum exercitu juſſu Regio in ſubſidium Iadræ collecto, Uranamque uſque deducto retroceſſiſſe ſcribit; ita Caroldus hanc pecuniæ ſolutionem a Senatu commendatam refert, & ſicut idem Caroldus Gregorium Comitem Corbaviæ ad ſtipendia Venetorum contra Iadram conductum, ſimul cum Comitibus Paulo Oſtrovizæ, & Mladino Cliſſi refert, ita auctor Obſidionis eundem C. Gregorium a Rege ad inſtantiam Iadrenſium in gratiam iterum receptum ſcribit, quod & Ungarici memorant Scriptores; quamvis Iadrenſes non nominent; ex quibus dignoſcitur Comitem Corbaviæ, ſimul cum Freberienſibus a principio Venetis adhæſiſſe, ſed obſeſſa Iadra, Ungarisque exercitum in Croatia in ſubſidium ejus colligentibus ejuſdem timore, fœderatisque Iadrenſibus mediatoribus, gratiam Regis obtinuiſſe, additque Caroldus Iadrenſes Venetorum navibus plura damna, præſertim circa Piſcariæ, & Ortonæ litora intuliſſe, 1346. Ianuarii Venetos Caſtrum S. Damiani cepiſſe & cathenam magno conamine galearum & machinarum aggreſſos, quamvis difficili, tamen fregiſſe, abduxiſſeque; prolixo ſermone refert obſidionis auctor, quæ omnia paucis verbis relatus Chroniſta tradit.

Honde lla vera da quella hora avanti chomenza e fo mandado Chapetanio per terra Mſ. Marcho Zugſlignian. llo dito ando con molta Zente de chavalo, e da pe é fexe apreſo Zara ia Baſtia ella ſe inforti e allzamolti mangani Zitando di, e note in Zara e dapuol molte emollte choſe fate e prexi i caſtelli a S. Damian e S. Michiel chiera ſuxo lle ixolle per mezo de

Inde bellum cœpit, miſſuſque fuit Dux terreſtris militiæ Marcus Iuſtiniano. qui cum multo equitatu et peditatu Iadram obſedit, Baſtidam excitavit, catapultas conſtruxit, quæ die nocteque jaciebant in Civitatem . . . . . & poſt multa certamina captæ fuerunt arces S. Damiani, et S. Michaelis, quæ contra Iadram in Inſulis ſitæ ſunt; Cives cathenam ad oſtium

por-

Zara e li Zitadini havea Zitada ia chadena all porto di Zara e ſo per forza rote e galli? e barbo te intrava dentro e de fuore del porto al ſuo plaxer.

Carolus multa memorat, tunc Venetiis pro conſequenda Iadra decreta fuiſſe, inter quæ ſenatui innotuiſſet, Iadrenſes Anconitanorum & Ianuenſium auxilia imploraſſe, miſſo Legato Anconitanos nihil innovare perſuaſos refert, de Claſſe autem Ianuenſium, quam Adriaticum venturam adiverant, ſimulque Regem Ungariæ cum ingenti exercitu in ſubſidium Iadræ; ob id alios Proviſores miſſos nominat, qui cum reliquis Collegium XI. conficerent; quorum majori parti auctoritas ipſius ſena-

Sidiada adoncha lla tera per mar e per terra ſiando mando Mſ. Piero Ziuran. e vanti mandado iera Mſ. Marin Fallier, e in queſto Mſ. Aluiſe Re d' Ongaria vene Zoxo chon inumera belli Hongari per ſechorer Ziara, entrando dentro da puol ſe meſe a chombatter lla Baſtida de Veniziani da ia parte e Zaratini dal' altra parte, donde chon molto afano ſo ſoſtegnuda allora chom batando lla dita baſtia Mſ. Piero Ziuran chon tutte le gallie meſe popa in tera, e de grandiſſimo giovamento ſo a ſoſtegnar la baſtia alla fin Vongari non poſando . . . . . lle ſua intention de volta per tornar alle lor tende e Vuogo dove lli era meſſi a champo allora lla Zente della baſtia de ſuora e non ave i Ongari ſe non lle ſpalle e chaza i diti de Champo laſando i ſuo difizi e mangani e tende e molte altre choſe de vallor honde el dito Re ſe parti della ſeneſtra mente, e chon molta ſua vergogna e tira con tutti ſo Hongari ſuxo alla Urana, e puo torno verſo Hongaria cho llo chuor mollto inflado.

tus inpartita fuit, & de Claſſe Ianuenſ. commiſſum, ſi Regem cum exercitu in Apuliam transfretare in vindictam fratris Andreæ occiſi vellet, nullumque impedimentum obſidioni Iadræ inferret, ſinerent quietum iter peragere, & ante adventum Regis Iadram acerrime ſed incaſſum oppugnatam refert, deinde adveniente autem Rege Baſtidam ab eodem oppugnatam Regemque ipſum ad montes fugientem receſſiſſe. Chroniſta autem relatus ſequitur.

Obſeſſa igitur terra marique Civitate, poſt Marinum Faletrum miſſus fuit Petrus Ciuranus. hoc interim Aloiſius Rex Ungariæ advenit cum innumerabili exercitu Ungarorum in ſubſidium Iadræ, & ingreſſus eſt. Poſtea oppugnare cepit Baſtidam Venetorum ex una parte, & Iadrenſes ex altera, tamen viriliter defenſa fuit, & Petrus Ciuranus deſcenſione ex triremibus facta, maximo adjumento fuit. Tandem Ungari cum non poſſent . . . . . ſua intenta reverſi ſunt ad tentoria ſua; milites vero e Baſtida exeuntes Ungaros terga vertere coegerunt, & e campo pepulerunt, relictis machinis, tentoriis, & aliis rebus pretioſis: inde dictus Rex diſceſſit . . . . cum ſuis Ungaris Uranam, & inde in Ungariam corde tumido.

Obſidionis autem hiſtoria eadem prolixo ſermone refert, quæ ſummatim eisdem verbis excerpta ponuntur.

1346. 26. *Martii litteræ Regis promittentis ſuum adventum cum tota potentia ſua Iadram delatæ fuerunt. Venetique audientes apparatum victualium pro adventu Regis ſticatum ſive Baſtidam ex Orientali parte Iadræ ad fonticulum poſitam, altioribus propugnaculis firmant Erat enim Baſtida ex lignamine a tribus lateribus conſtructa, longitudinis paſſuum fere 200. & latitudinis 100. in Orientali parte cujus erant turres X. in Occidentali totidem, in Boreali vero 14. validæ, firmæ, pulcroque artificio confectæ, ex Auſtrali parte ubi Claſſis ſæpe appetebat, erat inanis, (machinarum apparatu ommiſſo) erat exercitus 25. millium, exceptis illis, qui a remotis partibus venerant rumore oppugnationis & die 16. Maji. 36. galeis, variisque generibus navium turritarum, & aliis machinis artificioſiſſimis muros adoriuntur, & deſcenſione facta a minoribus lembis, muros ſcandere ſubruereque conantur, terra marique ſimul Civitatem acerrime oppugnant; Sed Iadertini ubique viriliter reſiſtentes Venetos 800. occidunt, & retrocedere cogunt, die 27. Maij ob adventum Regis, Veneti minorem Baſtidam ultra portum deſtruunt. die 2. Iunii. Rex cum centum millibus equitum Semelnici ſeptem miliaribus a Iadra diſtans, caſtrametatus eſt, die X. Iulii cum duobus mille electis equitibus prope Civitatem advenit, ad quem Iadrenſes accedentes hilariter ſuſcepti fuere, eisdemque promiſit liberare vel ibidem ſepeliri, & revertitur ad tentoria, die 11. Ambaſciatores Iad. ſolemniter adeunt Regem, Claveſque Civitatis offerunt; die 16. advenit Rex cum toto exercitu, qui erat ex Ungaris, Croatis, Boſnen. Philiſtin. Cuman. Bohem. & Teutonicis, & aliis pluribus nationibus, Baſtidam obſedit, machinaſque de Civitate pro ea oppugnanda extrahi fecit, quas duo mille equites Ungarici & 800. pedites Iadertini tutabantur, die 20. Bernardus Aquileien. Patriarcha Civitatem ingreditur, Rex autem noluit, donec liberaret: Veneti tunc procurant cum Rege colloquium, ſed non admittuntur, cum Bano Boſnenſi & Laſcovicio tamen amicitiam faciunt, (quos auctor corruptos malique eventus inſimulat) primo Iulii Baſtida oppugnatur, in qua erant 16. Millia propugnatorum: Iadrenſes tres mille, cum vexillo S. Griſogoni procedunt contra eandem, & cum eis 50. Ungari oppugnant vehementer, machinæ ex utraque parte exercentur, jam una turris cremabatur, exercitus Ungarorum armatus proſpicit, ac Veneti ſolerter extincto igne, extra Baſtidam cum ſex mill. peditibus & 600. equitibus proſiliunt, Iadrenſes repellunt, machinas in oculis Ungarorum comburunt, Ungaris ſe non moventibus, præſertim Laſcovicii conſilio; Ideo Iadrenſes ſpe ſolvendæ*

vendæ obsidionis frustrati, Regem adeunt, & rogant, ut eos cum Venetis componat, quod libenter promittit, treguam tractat, mittit muntium Venetias, sed ut postea compertum est, non hac de causa, die 30. Iulii Rex cum exercitu rediit Uranam, inde in Ungariam. Cortusiorum autem fratrum Patavinorum, historia lib. 9. cap. 6. *Civitas Zadre est juxta mare fortis & dives viris, & armis, quæ in aliquo Venetis tributaria sperans libertatem auxilio Regis Ungariæ Venetis revelavit. Unde Veneti per terram & aquam auxilio Magni Iacobi (id est Cararien.) Zadram potentissime obsederunt Anno Domini* 1345. *mense Augusti; Anno sequenti Zaninus Dandulus regimen Paduæ inchoavit, Veneti multas pugnas fecerunt contra Zadram: Habebant enim galeas munitas, castris magnis & trabuchis, pontibus, & omnibus necessariis ad bellandum. Fuit utriusque partis occisio, obtinuit tamen pars pro libertate pugnantium mense Madii. Mense vero Iunii Rex Ungariæ fuit in auxilo Zadræ cum ducentis millibus, castra Venetorum, & Bastias impugnavit, & direxit machinas contro eos. Veneti fortissime impugnati: Desperantes de defensa exeuntes castra contra Ungaros pugnaverunt, & combustis machinis, & multis occisis obtinuerunt victoriam gloriosam mense Iulii. Eodem mense Nobiles Legati Regis Ungariæ fuerunt Venetiis recepti magnifice. Post hæc Rex tantarum gentium relicta Zadra in tenebris remeavit.* Caroldus notat Venetiis audito felici exitu oppugnationis Bastidæ, scriptum fuisse collegio XI. ut tractatum cum Bano Bosnensi cœptum, de compositione cum Rege prosequerentur, dantes auctoritatem promittendi Regi centum millia Floren. Baronibus vero 20. millia Legatosque duos Ung. Regis X. die Iulii Venetias venisse cum Cortusiis concordat, sed cum Rex Legatos Venetos quos ad eum mittere destinarant recipere abnuisset, nisi obsidio Iadræ prius solveretur, nihil conclusum fuisse, obsidionemque continuatam: deditionemque deinde Iadrensium describentes iidem Cortusii sequuntur. *Andrea Dandulo Duce, Andrea Moresino per mare, & Marco Iustiniano per terram Capitaneis contra Zadram, Cives Zadræ, qui voverant patriam defendere, vel per ipsam sepeliri, de auxilio Regis Ungariæ desperantes, & fame maxima laborantes, de defensa ulterius non sperantes, Venetiis Domino Ducis & Communi de misericordia supplicantes obtulerunt dominium Civitatis, & habuerunt gratiam postulatam. Sic Veneti habuerunt Zadram pacifice. Sic bellum peractum longo tempore & expensis mille millibus florenis, fuit pacis lenitate sopitum.* Chronista autem Venetus supra relatus itidem sequitur.

Dapuo Zaratini chostreti vezendo se a mal partido, e siando per tal muodo asidiada che i non avea chemanzar e ia gran parte de llor prexi per molte bataje dade qual Ms. Marco Zustygnan dado havesse lla bataja per tera chomo fexe Ms. Piero Ziuran per mar per zerto lla zitade per fuorza prexa jera anchora dado lla battaja nov se havese tyrado fuora chon i navilli inchastelladi e batajadi. In quello zorno i se rendeva prexo havea el stimo de far chonsy: chonzo fo che lla pllui parte dellor morti e feridi ierea mo llomo non puol saver tuto lo stado del suol inemigo che molte chose farya chel non fa, pure alla fin per la chason perdita chonstreti fo a render lla Zittade lliberamente ai diti Chapitani; fo mandado in Va. molti Zaratini de nobelli per hostaxi della dita tera i qual stete piu tempo in Venetia e allguni rompe el chonsin e ando in Hongaria e mai non pose fina chel dito Re fexe venir Zoso a tuor Ziara chomo per adredo trateremo, honde per spazio de anni do e mezzo lla dica vera dura e Veneziani ave la tera adi 12. Decembrio intro di de San Tomaso corando anni 1347. *E diebia saver tuti queli che dapuol vignera che lla Zitade de questa Zara infinita mortellitade e spexa al Chomun de Va. e benche brevemente rezitando quella messia passado de schriver vojo che se sapia che lla dita Zara chostava al Chomun de Va. duc. 40. fina 60. millia all mexe; chonzo fose che tal hora pur all hoste de tera fato fose 16. page, holtra questo in questa guera jera gallie 30. e altri navilii infiniti, honde che al presente la dita e tuta la Schiavonia non e pllui soto el zovo de Veniezia, ma e sota e Zovo del Re d' Ongaria*

Obsidionis vero auctor ea prolixe tradit, quæ summatim excerpta sunt re-

Iadrenses videntes se tam arcte obsessos, annonam deficere, magnamque partem civium captam, in præliis, in quibus si Marcus Iustinianus terra rem gessisset, ut Petrus Ciuranus mari fecerat, certe illo die Civitas in dimicatione vi capta fuisset, quin etiam nisi post certamen naves cataphractæ inde recessissent, Cives se dedidissent: ita optime factum judicavit: sed plerumque Duces in magna rerum, quæ apud hostes geruntur ignoratione versantur, quas si perspectas haberent multo aliter, ac faciunt, bellum administrarent. Tandem ob prædictas causas deditionem sine ulla exceptione in manus Ducum facere coacti sunt Iadrenses; quorum plures Patritii Venetias missi fuerunt pro obsidibus, diuque ibi manserunt, aliqui tamen in Ungariam aufugerunt, neque Regis solicitandi finem fecere, donec illum ad expeditionem pro recuperanda patria suscipiendam impulerunt, ut referemus: bellum ad duos annos & sex mensium spatium protractum est, Venetique Iadram die 12. Decembris anni 1347. *ingressi sunt. Sciant posteri Iadram constitisse infinita mortalitate & impensa, & quamvis breviter retulerim, volo tamen obsidionem notum fore stetisse Reipublicæ duc. 40. usque ad 60. millia singulis mensibus in militum stipendiis, quæ 16. fuere, præterea erant triremes, 30. aliaque navigia innumera, nunc autem Iadra, & universa Sclavonia non est amplius in ditione Veneta; Sed Regis Ungariæ.*

cedentibus Unris Iadrenses auxiliis destituti animos demittunt, pinguioresque de plebe tumultuari

cepe-

cepere die 19. *Iulii. Civitatem regebant tres Rectores dicti cum* 12. *ſapientibus, vel oratoribus dictis, qui omnimodam poteſtatem habebant, hi mittunt duos Nobiles & unum plebejum ad Venetos ; Sed cum eadem, quæ prius reſpondiſſent nihil concluſum fuit, ideo plebs eo magis furit, & cum certa quantitas pecuniæ in egenos diſtributa fuiſſet, neque ob id tumultus ſedaretur, quibuſdam caſtigatis cæteri ſiluerunt ; die* 5. *Auguſti Veneti Caſtrum S. Michaelis in Inſula capiunt. Iadrenſes audito Bani adventu cum ſubſidio ut eum expectare poſſint commeatuum deſcriptionem faciunt, & parce in dies diſtribuunt, erant Iadræ tantum* 80. *ſtipendiarii die pro. Octobris Veneti denuo erigunt aliam Baſtidam ſtrictiſſime Civitatem obſident, ita ut de ſubſidio Bani nihil amplius audiri poterat, inde dira fames per Civitatem graſſabatur, die* 25. *Novembris Conſilium generale fere* 200. *mane & ſero congregatur, plebs in foro armata paciſcendum clamat, tandem cum lacrimis deditio decernitur, ſex Ambaſciatores eliguntur, Venetias eunt, Civitatem libere tradunt, ibique pro obſidibus remanent. Veneti non amplius pacta ſed Privilegium concedunt, die* 21. *Xbris januæ cemento firmatæ reſerantur, traduntur exercitui turres, & fortalitia. Regium vexillum e foro cives removent, & S. Marci cum laudibus reponunt. A Venetis Civitas diligenter cuſtoditur. Novæ conſtitutiones proclamantur die* 23. *convocatur Conſilium, juramentum fidelitatis præſtatur ; die* 24. *Plebs in foro ſimiliter jurat.* 1347. *die* 24. *Ianuarii arma Civibus adimuntur, & die* 27. *mandato Ducali* 50. *Nobiles Cives Venetias transmittuntur, Baſtidæ utræque deſtruuntur, & in cuſtodia Civ.* 400. *pedites &* 200. *equites relinquuntur, die* 18. *Martii alii X. Nobiles Venetias ablegantur.*

Hunc exitum habuit celebris illa Iadrenſis obſidio, in qua admiratione non caret, audito S. V. decreto de murorum proſtratione, Cives, quorum bona pars ex maris neceſſitate Venetis addicta erat, neque præſenti tam valida Claſſe territos, neque exercitus Nonæ exiſtentis propinquitate confuſos, animos deſpondiſſe ; Sed ſpe auxiliorum tam Ungarorum, quam Neapolitanorum Claſſis fultos Iadrenſes, jam per 32. annos ex arbitrio proprio Civitatem regere aſſuetos, patriam muris ſpoliare, animos non tuliſſe, concordeſque obſidionis ærumnas viriliter ſuſtinuiſſe, adeo ut mirum fuerit homines navigationibus & mercaturæ deditos, nullius belli expertos, proprio Marte arma adeo viriliter, in tam longa & acri oppugnatione tractaſſe, machinas conſtruxiſſe, & adeo ordinate ſe geſſiſſe, ut hoſtes ſæpiſſime maximo cum damno repulerint, & niſi fame coacti, ſe dediderint. Regem autem juvenem oſtentatione virium ſuarum, numeroſiſſimum quidem exercitum equitum, variarum gentium cumulaſſe in aperto campo, cum qualibet potentia congredi aptiſſimum, ſed expugnandarum urbium inexpertum, nullum apparatum machinarum deduxiſſe ; Ideo in anguſto ſitu, machinis etiam a Iadrenſibus ſumptis impedito, contra Baſtidam multitudine ſua uti non potuiſſe. Venetos vero paucis equitibus Longobardis, & exercitatiſſima peditum, præſertim baliſtrariorum manu adeo ſolerter uſos, ut & Iadrenſes repulerint, & machinas in oculis Ungarorum cremaverint : Rexque, nullo Venetis illato damno, nullo ſubſidio Civitati præſtito, multitudine ſua gravatus, fugato ſimilis intra biduum receſſerit ; Ita ut exinde Veneti Regem fugiſſe ſcribant. Sed non inutiliter quis quærere poſſet, qua de cauſa Veneti qui tanto apparatu Claſſis machinarum & numeroſi exercitus poſt longam obſidionem Iadra potiti, armis Civibus ademptis, obſidibus ſexaginta ſex Venetias deportatis, muros, quos a principio deſtructos volebant, integros conſervarunt, & quare Iadrenſes a principio varias conditiones proponentes eodem reſponſo repulerint, ipſi deinde per ſe ad concordiam pluries invitaverint ; Sed tempora obſervanti, cauſa clara patebit : Vivente enim Andrea Rege Neap. Veneti priori decreto inſiſtentes, alias conditiones Iadrenſium repulerunt ; Sed ſtatim atque ejus mors audita eſt, quæ uxori tributa fuit, in cujus poteſtate Regnum Neap. erat, cum hanc Regis Ungariæ inimicam effectam cernerent, ſimulque Claſſem Neapolitanam amplius non timerent, Conſilium pro temporum varietate prudenter mutantes, Iadrenſibus alias conditiones ipſi propoſuere, ut obſidionis auctor refert, ſed quæ nam fuerint non tradit, mitioribus tamen conditionibus recepturos, eventus docuit, ſi Iadrenſes Regi datam fidem violare, ut ipſe aſſerit, vel ſpem, quam in ejus viribus conceperant, abiicere voluiſſent notandum quoque eſt, deſperata obſidionis liberatione, ſeditionem a pinguioribus ex plebe ortam, ſcilicet ex iis, qui mercaturæ, & navigationibus dediti (quibus res quas poſſidebant ſalvas eſſe Veneti concedebant) de jurisdictionibus autem Civitatis, quæ penes Nobiles erant, quas Veneti eisdem adimere volebant, plebem non curaſſe apparet ; hinc coniici poteſt, ſi a principio Veneti murorum proſtrationem non propoſuiſſent, diſſentiente a Nobilibus plebe, facile Iadrenſes ad compoſitionem ineundam coacti fuiſſent ; Sed cum murorum proſtratio ab univerſis improbaretur, Cives ad deſperationem deductos, concordes obſidionem toleraſſe, oppugnationemq; viriliter repuliſſe ; donec neceſſitate animos ſeparante, quiſque rebus ſuis conſulere coactus fuit ; Sic Iadra potiti Veneti, Marcum Iuſtinianum Comitem, Marinum Superantium, & Iacobum Delfinum Conſiliarios ad eam regendam miſerunt, ut Caroldus refert ; Hunc finem bellum Iadrenſe habuit, Venetiq; deinceps arce reædificata, Iadram ſuo arbitratu, prout olim ab an. 1343. rexerunt, Inſulamque Pagenſem a jurisdictione Iadrenſium exemerunt.

CAPUT XVI.

De iis quæ ad parandum sibi Regnum Neapolitanum Ludovicus Rex Ungariæ gessit.

IGnominiosa cædes Andreæ designati Neapolitani Regis adeo generosum Ludovici ejus fratris Regis Ungariæ animum exacerbavit, ut statim in ultionem tanti facinoris exardesceret, omnesque cogitationes in bellum Neapolitanum converteret, & quamvis apud Iadram nihil ei ex sententia succesſisset (quippe urbem potestati Venetorum permittere coactus est) atque una spem transmittendarum per mare copiarum abjeciſſet, ut relatum est, nihilo tamen secius terrestre iter susceppit, adortusque Neapolim, fugata Regina Ioanna, Regnum recepit, inque affines patrati in Andream sceleris carcere, & morte animadvertit, ut auctores, illorum temporum late scribunt; Sed cum hoc Neapolitano bello Dalmatia intermedia Ludovici conatus retardaverit, ideo nonnulla consideranda sunt, quæ ad instituti hujus operis pertinent; pro quorum clariori intelligentia operæ pretium est recensere ea, quæ Andreæ mortem præceſſerunt, ut causæ occasionesque rerum gestarum clariores appareant.

Carolus II. Rex Neap. omnes vires suas, opesque intendit, ut Regnum Ungaricum Carolo Martello filio natu
1295. maximo pararet, eoque mortuo in iisdem Consiliis cogitationibusque pro Carolo Roberto Martelli filio, quanquam adhuc puero, perseveravit, ut
Sup. Cap. X. relatum est. Regnum vero Neapolitanum Roberto alteri filio cum destinaſſet, a Bonifacio VIII. constitutionem favorabilem obtinuit, qua id jure facere
Rain. 1297. *n.* 53. videretur: Carolo autem vita functo anno 1309. die 5. Madii, antequam Ca-
Idem. n. 17. rolus Robertus Ungaricam sacram Coronam adeptus est, Robertus Avenionem profectus a Clemente V. inveſtituram Regni pro se & descendentibus obtinuit, quod sine controversia plures per annos possedit, eo quia Car. Robertus (quamvis de Regno sibi prærepto conquereretur) in sedando Regno Ungarico ita implicitus fuit, ut maritimarum quoque Civitatum Dalmatiæ deditiones Venetis factas tolerare, exindeque spem Neapolit. Regni adeo abjicere coactus fuerit, ut neque Principatu Salernitano, & Honore montis Sancti Angeli, quæ jure paterno sibi
Rain. debebantur, frui permiſſus sit. Sed
1331. *n.* 26. cum Carolus Dux Calabriæ unicus Roberti filius anno 1328. morte interceptus sit, unica tantum filia Ioanna relicta, aliaque deinde Maria posthuma nata est, ideo Robertus mascula prole carens, has duas suas neptes Andreæ, & Stephano filiis junioribus Caroli Roberti uxores destinavit, hocque modo, Regnum Neap. stirpi Caroli Martelli restituere voluit, advenienteque Carolo Roberto, Summo Pontifice approbante nuptiæ pactæ sunt, an. 1333 & Andreas septennis apud socerum educandus substitit; sequta deinde est mors Caroli Roberti an. 1342. Ludovico maximo natu filio succeſſore Regni Ungarici relicto; nec integro vertente 1342.
anno Robertus quoque exacta ætate senex mortalitatem explevit ad diem 19. Ianuarii 1343. & antequam moreretur matrimonium inter Andream & Ioannam consummandum curavit, sed nimium amori neptis indulgens octuagenarius senex, eandem, quamvis duobus annis Andreæ juniorem, Reginam declaravit, in ejusque nomen Proceres jurare fecit; Andreæ vero curatores testamento dedit, quibus regimen quoque Regni commendavit, quoad Andreas ad ætatem 22. annorum perveniret, quo tempore tandem coronandum permiſit, qua de causa Andream ab uxore contemptui habitum Mathæus Villanus memorat; sed cum ex suprascriptis conventionibus inter Reges Carolum, & Robertum, hujusque deinde testamento consanguinei Tarenti, & Dyrrachii Principes quamvis uno gradu proximiores a spe succeſſionis in Regnum se excluſos cernerent, omnem lapidem moverunt, ut conventa turbarent; nam statim atque Robertus mortuus est, Carolus Dux Dyr. favore Cardinalis Talayrandi avunculi sui, dispensatione Pontificia subrepta Mariam Reginæ sororem, Stephano Andreæ fratri destinatam, adhibita festinatione, alieno a celebrandis nuptiarum solemniis tempore quadrageſimali, desponſavit, quod quidem quam ægre tulerit 1343. *Aprilis.*
Ludovicus Rex Ungariæ nemini dubium esse debet; Elisabetham enim matrem in Italiam statim ablegavit, quæ Neapolim perveniens, inveſtituram pro 1343.
Andrea a Summo Pontifice per Lega- 28. *Aug.*
tos petiit; sed cum multas difficultates in aula Pontificia experiretur, Legatis præsertim Ioannæ contradicentibus, eidemque tam jure succeſſionis, quam declarationis paternæ Coronam deberi affirmantibus, re nondum perfecta in Ungariam anno sequenti rediit, Ioannaque solemni pompa auctoritate summi Pontificis coronam accepit, tandem 1344.
post multas disceptationes inveſtitura 28. *Aug.*
Andreæ quoque ejusque coronatio in diem 16. Sept. anni 1345 decreta fuit, hac conditione, si Ioanna sine liberis decederet: Regnum ad Mariam ejus sororem excluſo Andrea devolveretur. Huc interim Ludovicus cum magnis copiis propre Iadram acceſſerat, Venetique inde Iadrensium actiones suspectas habentes, Civitatem obsederant, eandemque Ludovicus liberandam susceperat, idcirco illi, qui coronationi Andreæ

dreæ adverſabantur, cernentes vires Ludovici Iadrenſium cauſa impeditas, inde animos ſumentes, in mortem Andreæ conſpirarunt, eandemque die 18. Septembris executi ſunt, cujus ſceleris participem fuiſſe Reginam arguunt, nulla de vindicanda viri nece cura ab ea ſuſcepta, & ſtatim (quamvis uterum gereret) expetitæ ab eadem Ludovici Zarentini nuptiæ, utque ſalvis Eccleſiæ legibus id fieri poſſet cum Summo Pontifice agitatum. Audita fratris ne-
Rain. 1345. *n.* 29. ce Ludovicus Ioannam uti complicem apud Summum Pontificem detulit, & exinde Regno decidiſſe declarari, ſibique idem adjudicari poſtulavit; Sed
Idem 1346. *n.* 52. cum Pontifex in re tam gravi caute procederet, fautoresque Reginæ rem protrahere conarentur, Ludovicus moræ impatiens copias coegit, Claſſemque Ianuenſium conducere curavit, ut exercitum per Adriaticum breviori itinere tranſfretaret, cum Venetisque de Iadra componere aliquo modo tentavit, ſed eo anno irriti ejus conatus ubique evaſere, ſequenti vero cum Siculam quoque Claſſem conducere tentaſſet, Siciliæque Præfectus partem Regni Neapolitani Siciliæ proximam in præmium navandæ ejus operæ poſceret, nihil perfectum eſt; ſed cum Ioanna per luxum & licentiam Regnum adminiſtraret, Theſaurosque a patre ſibi relictos inconſulto profunderet, conſanguineique ejus inter ſe magnopere diſſiderent, inde aliqui in Piceno a Regina alienati, Ludovici vires implorarunt, qui in occaſionem intentus Legatis cum maxima pecuniarum ſumma miſſis, multisque in partes ſuas tráductis, aditum ſibi in Regnum aperuit, & terreſtri itinere cum valido exercitu Aquilam die 22. De-
Villanus. cembris 1347. ſuſcepit, rebusque ubique proſpere ſuccedentibus Averſam venit 17. Ianuarii 1348. cumque Ioanna mari, Ludovicus autem Tarentinus terra aufugiſſent, cæteri proceres & conſanguinei certatim Ludovicum conveniebant, eidemque homagium faciebant, qui omnes ea conditione recepit, niſi conſcii fraternæ cædis eſſent, conſanguineosque ad oſculum, & menſam admiſit, ſed cum inde digreſſurus eſſet, ad locum ubi Andreas ſuſpenſus fuerat perveniens, Carolum Ducem Dyr. incuſans, eidem clandeſtinas nuptias cum Maria, & dilationem coronationis Andreæ improbavit, litterasque ejus ſigillo munitas, tractatum de morte Andreæ continentes, oſtendit, ſtatimque eum jugulari, cæteros vero conſanguineos vinciri juſſit, armatuſque Neapolim ingreſſus, bivium oblata obſequia contempſit, inquiſitionemque de morte fratris fieri juſſit; & quamvis a Summo Pontifice ſibi Regnum tradi, Ioan-
Rain. namque ſupplicio affici denuo petiiſſet,
1348. *n.* 2. tamen (cum ob luem per Italiam graſſantem diſcedere decreviſſet) melius conſultus, juramentum, quod nomine Caroli Martelli Andreæ poſthumi (quem cum cæteris conſanguineis in Ungariam apud Aviam educandum miſerat) juſſu Pontificio exactum fuerat anno præcedenti, iterum repetere fecit, cumque Legatos Venetorum de pace verba facturos absque Dalmatiæ reſtitutione audire abnuiſſet, circa finem Madii de 1348.
improviſo Barletæ biremem aſcendens celeri curſu Adriaticum prætervectus, in Sclavoniam pervenit, & Uranæ paulum commoratus in Ungariam rediit; *Villonus. Script. Spalat.*
Ioanna interim ex diſtracta Avenionen. Civitate pecunia comparata Claſſe, militeque parato in Regnum rediit, quod *Rain.*
cum Ludovico innotuiſſet, Venetique 1348. *n.* 12.
tranſitum Ungaris interdixiſſent, cum ipſe nullam Claſſem haberet, ut ſuis in Regno Neap. exiſtentibus ſuppetias per Adriaticum tranſmittere poſſet, inducias, quas prius ſpreverat, cum Venetis in octennium pepigit die 5. Aug. ratasque habuit die 8. Septembris, ut Carolus refert. Neapolitani interim qui ſe a Ludovico ſpretos muſſitabant, cum partem copiarum Ludovici dimiſſam, reliquam vero partem morbo afflictam, partim dilabentem cernerent, animos erigere cœperunt, & propter inopinatum ejusdem receſſum, timore depoſito, Reginam palam revocarunt, eandemque cum Ludovico Tarentino (diſpenſatione Summi Pontif. deſponſato) venientem maximis acclamationibus receperunt, Arcesque Neapolitanæ pluraque alia loca eisdem tradita fuerunt, Ungaris tamen ſe in unum colligentibus, viriliterque reſiſtentibus dubio Marte pluribus in locis dimicatum eſt integro anno 1349. quo tempore, mortuo Carolo Martello puero, Ludovicus tertio a Pontifice Ioannam damnari ſibique jure ſucceſſionis Regnum adjudicari petiit: Sed Pontifice ſucceſſionem eidem denegante anno ſequenti *idem*
1350. præmiſſa militum manu in Scla- 1349. *n.* 1. *& ſeqq.*
voniam cum Proceribus nonnullis perveniens, paratasque ibidem galeas & naves inventas, conſcendens, proſpera navigatione uſus in Apuliam (fama ſui adventus perveniens) advectus eſt, quem certatim multitudo Ungarorum ſecuta, variisque generibus navium & cimbarum Adriaticum adeo inordinate prætervecta eſt, ut ſi triremes quas Ioanna ſero in Adriaticum miſit, prius veniſſent, tranſitum Ungarorum impediri potuiſſe Villanus notet. Sic parvo temporis ſpatio circa Regem X. millia equitum ſteterunt, qui incuſſo Neapolitanis terrore, cuncta præter Neapolim & Averſam recuperavit; Sed cum Claſſem non haberet omiſſa Neapoli Averſam aggredi ſtatuit, quam probe munitam reperiens, obſidione cinxit, agrumque Neapolitanum infeſtavit; Sed cum Averſæ obſidio in longum protraheretur, militesque inopia com-

meatus premerentur, Neapolitani terrorem deponere, Ungarosque contemnere cœperunt, & quamvis exinde Ludovicus pluribus difficultatibus premeretur, ab obsidione tamen recedere re infecta noluit, ex quo, quamvis tandem deditione Aversam cœpisset: adeo enervatæ fuerunt ejus exercitus vires, ut colloquia pacis, quæ per legatos summi Pontificis non intermittebantur, in illud usque tempus contempta, admiserit, induciæ itaque in Aprilem anni sequentis scilicet 1351. pactæ sunt, his legibus, ut Summus Pontifex de Ioanna cognosceret, si cædis mariti conscia reperiret, Regno privaret, idque Ludovico adjudicaret, si insontem, eidem relinqueret, Reginaque 300. millia aur. pro expensis Ludovico solveret, consanguineique e carcere relaxarentur; ex quibus sic recensitis maximum ad consequendam Ungariam in maritimis Civitatibus Dalmatiæ momentum fuisse ex relatis cap. X. apparet. Dissensionem autem inter Carolum Robertum, Regem Ungariæ & Robert. Regem Neap. Breberiensibus occasionem dedisse, ut relatam Tyrannidem exercerent, & exinde Veneti quoque reliquas Civitates maritimas consequuti sunt, Comitesque littoris Croatici in suam protectionem acciperent, quod Roberto opportunum accidit, ut scilicet Carolus littoralibus privatus commoditatem in Apuliam transfretandi amitteret, cum ut eum prorsus a recuperatione Regni Neapolitani averteret, neque fructibus Principatus Salernitani, & honoris Montis S. Angeli, quæ paterno hæreditarioque jure ipsi debebantur, frui permiserit, & quamvis deinde post mortem filii neptes ex eo Caroli filiis uxores destinasset, tamen suspiciones, quas de Carolo habuerat, non omnino deposuit, nam quod sibi timuerat, idem quoque nepti se timuisse in testamento declaravit, illi enim statim Regium nomen usurpandum reliquit; Andreæ vero a Regalibus titulis usque ad 22. ætatis annum abstinendi auctor fuit; ex quo cæteri consanguinei occasione capta, cum se a successione Regni Neap. exclusos cernerent, & ex Bonifatiana constitutione ipsorum major natu successurus esset, ideo quod reliquum spei erat, matrimonium Mariæ impedire procurarunt, eandemque Carolus Dux Dyrrachii, utpote maior natu ambiens, Stephani sponsalia prævertit, necisque Andreæ causam præbuit, ad quam vindicandam, quantum impedimenti amissio Dalmatiæ Ludovico attulerit, ex relatis clare constat; nam cum portubus & Classe careret, invitis Venetis transfretare in Apuliam non potuit, neque in Regnum aditum habuisset, nisi eum Picentes vocassent, quem tamen longo circuitu terrestris itineris petere coactus est, & quomodo antequam cum Venetis convenisset pestilentiam fugiens ad periculosum, & inglorium clandestinæ navigationis consilium adductus est, ita post pactas inducias non ipse solum tuto, & summa cum dignitate Adriaticum prætervectus est, sed etiam magnum copiarum numerum quibus ad recuperanda loca amissa egebat celeriter transmittendi promptam, & expeditam habuit facultatem. In Aversæ autem oppugnatione illa oppugnandarum urbium imperitia in relata Bastidæ apud Iadram aggressione memorata evidens apparuit; cum neque rationem inire potuerint Ungari, qua subitariam munitionem superarent, & nisi generosus Regis animus in obsidione perstitisset, re infecta quoque discessissent; Sed quamvis tandem eandem deditione consequutus sit Ludovicus, tamen vires sui exercitus adeo enervatæ fuerunt, ut inutiles evaderent; Inde evidenti suorum jactura edoctus incassum in Regno Neap. absque Classe, Dalmatiæque possessione bellum gerere, ut ignominiæ irriti incepti honestam speciem prætenderet, controversiæ arbitrium Pontifici permisit, visitatisque Romæ locis sacris in Ungariam terrestri itinere rediit, ut Cortusii referunt l. 9. C. 13. *Rex Vngariæ mense Octobris intravit Romam ubi erat venia omnium peccatorum . . . . . qui per Cittadellam transiens cum mille galeatis equitavit, facile iturus in Ungariam.*

Idem. n. 27.

CAPUT XVII.

Quomodo Veneti Dalmatiam amiserunt, Insulisque, & titulis ejus Ungaris cesserunt?

Nondum Ludovicus in Ungariam pervenerat, cum inter Venetos, & Ianuen. bellum cœpit, in quo sicuti Ligures Regem Ungariæ in suam partem trahere conati sunt, ut intra Culfum penetrantes ex proximis littoribus juris Ungarici commeatu & supplemento militum adjuti, continuis vexationibus Venetos urgerent, ita idem verentes Veneti, ut eosdem ab hoc proposito averterent, simulque ad propria custodienda detinerent, Regem Arragoniæ majori impensarum parte pollicita in fœdus contra eosdem induxerunt: cum interim Ioanna Regina Neap. a Summo Pontifice insons declarata fuisset, Ludovicus generoso animo quoque pecuniam remisit, & consanguineos quibusdam pactis & juramentis secretis adstrictos dimisit, militibusque revocatis Regni Neapolitani cura remissa, ad Ungaricum ordinandum se convertit,

1352. *Villan. Rain.*

tit, occasioneque sumpta belli quo Veneti a Liguribus detinebantur maritimas Civitates Dalmatiæ sibi restitui petiit, ut Villanus refert lib. 3. cap. 54.

E il detto Re (d' Ungaria) havendo promessa compagnia con Genovesi mando' a Vinegia al Comune che gli dovesse restituire Giara, l' altre Citta e terre che havieno occupate del suo Reame nella Schiavonia. I Vinic. fecino agli Ambas. quella savia rispoſta che seppono; facendosi tra loro beffe della sua domanda, non di meno non senza paura e con molta solicitudine e con grande spendio fornirono adoppio (oltre alluſato) tutte le Cita che tenieno in quella marina.

Rex (Ungariæ) societatem pollicitus Ianuensibus, petiit a Venetis, ut restituerent sibi Iadram, aliasque Civitates & loca, quæ occupaverant in suo Regno Sclavoniæ, Veneti prudenti responso Legatos dimiserunt inter se irridentes petitionem Regis: nihilominus non sine metu erant & solicite magnaque impensa duplicatis præsidiis muniverunt omnes Civitates quas tenebant in illis oris.

Subditque Villanus Ungariæ societatis spe aliquas triremes intra Culfum misisse cap. 67.

(Genovesi) per la compagnia che havieno fatto col Re d' Ongaria contra a Vin. agiunsono l' armi del detto Re; intendieno che como fossono con la loro armata in mare chel deto Re in Schiavonia havesse i suoi Ungari a fare guerra a Vin. come havea promesso, & certe galee ch' havieno all hora in concio d' armi mandarono improviso nel golfo a Viniziani, le quali fecino in quello gravi danni di rubare molti legni che vi trovarono trahendone l' havere sottile, e profondando i legni in mare . . . . . le galee della guardia del golfo che erano per novero piu che le Genovesi potendosi aboccare con loro non hebeno ardimento e la paura del Re d' Ungaria gli impacciava forte piu che de Genovesi per tema che non traboccasse loro adosso la sua grande potenzia le galee Genovesi non havendo contrasto suscirono del Golfo e andarono al loro viagio havendo fatto gran vergogna a Viniziani.

Ianuenses ob societatem contractam cum Rege Ungariæ addiderunt insignia ejusdem Regis, destinantes Classem eorum in Sclavoniam mittere, eo quia Rex a terra quoque Venetos se aggressurum promiserat, & triremes quas habebant instructas ex improviso miserunt in Culfum, quæ gravia damna navibus (Venetis) intulerunt diripientes . . . . . & submergentes plura; Triremes Venetæ ad custodiam Adriatici destinatæ quamvis essent plures quam Ianuen. ausæ non sunt cum illis congredi: magis enim Regiam potentiam timebant, quam Ianuen. verentes ne a præpotenti Rege opprimerentur. Triremes Ianuen. nullo obice reperto reversæ sunt incolumes magna ignominia Veneto nomini illata.

Ideo Veneti vires Ludovici maximopere formidantes Archiepiscopum Mediolani contra Ianuen. instigarunt, ut idem Caroldus refert & Carolum Imperatorem ut cum Rege Ungariæ se interponeret deprecarunt, ut Villanus C. 68.

Il Comun di Vin. sentendo l' armata de Gen. e le minaccie del Re d' Ungaria, e non volendoli rendere le terre marine della Schiavonia conobono che la niciſta gli stringea a trovar modo di difenderſi per mare e per terra, e pero' guarnite le loro terre per la difesa con grande e buona provisione mandarono solenne ambasciata allomperatore, pregondolo che procacciasse in loro servigio che il Re d' Ung. non movesse loro guerra a stanza de Gen. . . . . lo Imperatore ritenne a sue preghiere il Red' Ung. dal mover guerra a Vin. non senza alcuna speranza d' accordo in processo di tempo.

Veneti ob Classem Ianuen. & Regis Ungariæ minas (cum nollent restituere Civitates maritimas Sclavoniæ) cognoverunt necessitatem res suas defendendi & ideo optime munitis suis Civitatibus solemnes Legatos ad Imperatorem miserunt, rogatum, ut se cum Rege Ungariæ interponeret, ne illis bellum moveret ad petitionem Ianuen. . . . . Imperator suis precibus Regem Ung. retinuit a bello in Venetos movendo non absque spe compositionis in posterum.

Ianuenses deinde ab Arag. & Venet. profligata eorum Classe 1353. 30. Aug. Archiepiscopo Mediolani se dediderunt; contra quem Veneti cum Imperatore & Regulis Lombardiæ fœdus junxerunt, sed illi ope Archiepiscopi valida Classe reparata intra Culfum penetrantes Parentium & alia plura loca exusserunt, & Venetam Classem ad sapientiam nacti fuderunt (1354. Aug.) inde Veneti de Dalmatia soliciti varios tractatus cum Bano Bosnensi, Rege Rasciæ, Comitibusque finitimis habuerunt, Spalatensesque Trag. & Sibenicen. ad resistendum hortati sunt, ut Caroldus tradit, & latius in patriæ Chronico refertur, & cum Lelca vidua mater Mladini pueri Comitis Clissi, & Scardonæ, qui in Venetorum protectione erat, Regi Rasciæ adhæsisset. Veneti eadem loca suæ ditionis facere procurarunt ut Caroldus refert.

Fu mandato M. Giacomo Dolfin al Re di Rascia per haver li Castelli di Scardona e Clissa con li loro borghi potendo promettere lire C. M. de picoli, o vero per Clissa l. 60. M e per Scardona l. 40. M.

Missus fuit Iacobus Dolfino ad Regem Rasciæ pro consequendis Castris Scardonæ, & Clissicum auctoritate offerendi libras centum mille parvorum, vel pro Clissa libras 60. millia & pro Scardona libras 40. millia.

Multaque pro custodia Dalmatiæ decreta memorat, sed de Clissa an aliquid concluſum fuerit, nulla memoria reperitur, de Scardona vero Chroniſta Anonym.

f Bernardo Zuſtignan Prechurator de S. Marcho Cap. General vene con la ſua armada in Dalm. & habiando molti trattati fatti e parlamenti alla fine con f Lorenzo Celſi adinſembre Cap. del. Paſenadego general de Sclavonia per mo noviſſimamente mandado con f Marcho Zuſtignan Conte de Sibenicho, con f Zan Dandulo & f Fantin Moreſin Conſeieri del dito Cap. de mar, e opreſſo con f Domenego Michiel & f Maſſio Contarini Provedadori di dite parti elli obtene e ave el Caſtello de Scardona, e entra dentro in 1355. a di X. Zener con alguni pati e convention, in lo qual lo Cap. del Paſenadego antedito ando con la ſua Zente gratantemente romaxe in quello.

Bernardus Iuſtiniano Procurator Divi Marci Cap. Generalis venit cum Claſſe in Dalmatiam, & poſt multos tractatus tandem cum Laurentio Celſo Præfecto Generali Paſenatici Sclavoniæ noviſſime miſſo, & Marco Iuſtiniano Comite Sibenici Ioanne Dandulo & Fantino Mauroceno Conſiliariis dicti Cap. Generalis una cum Dominico Michaele & Maſeo Contareno Proviſoribus dictarum partium obtinuerunt Caſtrum Scardonæ & ingreſſi ſunt 1355. die X. Ianuarii aliquibus pactis & conditionibus in quo Præfectus Paſenatici antedictus cum ſuis Militibus remanſit.

Sic Veneti adventum Liguſticæ Claſſis timentes loca maritima continentis Ungarici in ſui poteſtatem redigere procurabant, ſed cum eodem tempore Archiepiſcopum Mediolani mori contigiſſet, nepotes ejus, qui ſucceſſerant, ſicut inter ſe concordes prudenter ſe gerebant: ita fœdus Longobardicum (cujus caput Veneti erant) diſſolvere cuperent, Ianuenſes, qui hactenus pacem abnuerant in ſe compromittere perſuaſiſſent. Veneti rebus ſuis proſpicientes, reputantesque ſe ex Arragonenſium ſocietate quamvis victores diſceſſiſſent, nihil omnino commodi cœpiſſe, ac niſi caverent, ne Ianuen. (cum quibus nuper male pugnaverant) Regem Ungariæ recenti de Tartaris victoria ferocem ſocium adjungerent, moleſtum ſibi hoſtem, ac prope ſuburbanum oriturum: ideo metu belli Ungarici urgente eorundem Vicecomitum arbitrium ipſi quoque accipere decreverunt, & pax Mediolani (conquerentibus ſociis) firmata die primo Iunii 1355. vulgata fuit, captivique hinc inde relaxati, & cum finis inducirarum cum Rege Ungariæ approximaretur, conditiones aliquas eidem obtulerunt, quas Rex reſpuit, Dalmatiamque omnino recuperare decrevit, &, ut Venetorum diſtraheret vires, Banum Sclavoniæ maritimas Civitates Dalmatiæ uno eodemque tempore vexare juſſit, & ipſe palam junctis Patriarchæ Aquilejenſi, & ſecreto Franciſco Carrarienſi Patavii Regulo, magnis viribus Venetos in Marchia Tarviſina aggreſſus, aliquibusque locis captis, Tarviſium obſedit, ut præ cæteris Cortuſii referunt l. XI. c. 8. *traditur in excercitu (Regis Ung. apud Tarviſium) fuiſſe equites C. millia propter iſta non ceſſabat exercitus contra Zadram, Nonam, Iſtriam & alias Civitates quas Veneti poſſidebant in Croatia & Dalmatia)* cumque agri Civitatum Dalmaticarum uſque ad muros continuo vaſtarentur, ita ut Cives egredi, fructusque colligere prohiberentur; Piratæ quoque eodem tempore mare infeſtarent, ad maximam egeſtatem Cives reduxit. Veneti vero tot anguſtiis præſſi, iterum Regi pacem obtulerunt, quam Rex iterum reſpuit, ut Mat. Vil. refert l. 6. cap. 63.

1354. 4 October

Cortuſii Villanus.

Di queſto meſe d' Agoſto del detto anno (1356.) vedendo i Vinit. eſſere recati a mal partito nella guerra col Re d' Ung. Sigre. di coſi gran potenza, e penzando che per lo cominciamento della guerra i loro Cittadini erano per le ſpeſe premuti dal Comune in ſino al ſangue; penſarono che altroſcampo non eraper loro, ſe non di procacciare la ſua pace: e pero eleſſeno parechi de magiori, e de piu ſavi Cittadini di Vin. e mandarongli al Re nel campo a Trevigi con pieno mandato informati della intentione e volonta del loro Comune, egiunti dal Re da lui furono ricevuti nohono revolmte, & eſſendo a parlamento gli offeſſono da parte del Comune di Vin. come quando poteſſono haver dallui buona pace chel Comune laſſerebbe la Citta di Giara con patto chella doveſſe rimanere nel primo ſtato in ſua liberta, e cherenderebono liberamente certe terre nomate della Schiavonia a ſua volonta, e certe altre voleano ritenere, e riconoſcere dallui con quello convenevole cenſo a dare ogni anno al Re che allui piaceſſe: e offerendoli di reſtituire per tempo ordinato quella quantita di pecunia per ſuoi intereſſi e ſpeſe che foſſono convenevoli, e ch' elli giuſtamte ſi poteſſe contentare. Al Re parve ſtrano ch'e voleſſero trarre Giara del ſuo Reame, e metterla in liberta, e che per patto li conveniſſe laſciare le

Menſe Auguſti dicti anni (1356.) videntes Veneti ſe reductos ad malam conditionem in bello cum Rege Ungariæ adeo potenti, & animadvertentes, quod propter bellum Cives diſpendiis præmerentur miſerandum in modum, nullumque aliud levamen eſſet, niſi in pace, ideo elegerunt plures ex præſtantioribus Civibus, eosque ad Regem in Caſtra prope Tarviſium miſerunt pleno inſtructos mandato - - - qui honorifice recepti fuerunt, offerentes Regi, ſi pacem concedere vellet Iadram in ſuam priſtinam libertatem dimiſſuros, certaque loca nominata in Sclavonia ad ejus arbitrium reſtituturos, alia vero retenturos cum annuo cenſu ad ejus libitum, & illam pecuniæ quantitatem pro expenſis ſoluturos quam convenirent; Regi diſplicuit Iadram Venetos ſuo Regno eripere velle, & libertati reſtituere, & quod ex pacto deberet relinquere ſua loca Venetis cum tributi pactione, quod cenſebat ſuæ dignitati minime convenire, ideo aſſentiri noluit, niſi libere relaxarentur loca Regni tui. Non defuerunt qui Regem reprehenderent, quod conditionibus ſibi utilibus aſſenſus non ſit, ut ea quæ brevi parum proſpere ſucceſſerunt documento fuere: ſed qui reſpicient ad finem & potentiam Regalem non culpabunt de reſponſo magnanimo.

ſue

ſue terre al Comune di Vin. a cenſo, e queſto riputava in vergogna della ſua corona e pero non volle conſentire a queſta pace, ne a queſto accordo ſe libera mente nolli fuſſero reſtituite le terre del ſuo Reame molti di queſto biaſmarono il Re parendo che egli doveſſe haver preſo queſto accordo con ſuo vantagio per quello ch' appreſſo ne ſeguito di ſuo puoco honore. Ma chi riguardera al fine e alla potenza Reale, nolli dara biaſimo della ſua alta riſpoſta.

Il Re D' Ungaria vedendo l' hoſte ſconcia per la ſfrenata baldanza della moltitudine delli ſuoi Ungari, e che i di fetti della vettuaglia erano ſenza rimedio ſi pente di non haver preſala concordia che potuto havea prendere con ſuo honore con Vin. ad eſſendo naturalte di ſubito movimento ſenza deliberare con altro conſiglio improviſo a tutti a di 23. del meſe d' Agoſto detto anno ſi parti dall' aſſedio di Trevigio.

Regemque in Ungariam reverſum, ut confuſionem multitudinis in futurum averteret, militiam in quatuor partes diſpertitam, unamquamque tres menſes ſingulis annis in armis eſſe ordinaſſe, ſic

I Viniziani vegendo chel Re d' Ungaria gli guerregiava in Trevigiana & in Schiavonia, & in Dalmatia con grave guerra e che gli havea preſo ordine da poterla ſenza ſpeſe, e ſenza periculo della moltitudine degli Ungheri uſati di generare confuſione continuare; cono bono che alloro era coſa incomportabile, e pero eleſſono ſolenni Ambri e mandarongli al Re per adimandar pace: volendoſi ritener Giara, e rendergli l' altre terre della Schiavonia, e dargli per tempi danari aſſai per l' amenda, e fra l' altre che dargli voleano nominarono Trau e Spalato. I Cittadini di quelle terre ſentendo che Viniziani gli volevano dare al Re d' Ungheria per loro vantagio ſi accolſono inſieme, e preſono per conſiglio di voler accettare la benivolenza del Re, e non attendere che Viniziani ne faceſſino loro mercantia; e pero liberamte ſi diedero al Re e ricevettero la ſua gente, e ſuoi Vicari in pace, e rettori, e la gente che iera per Viniziani rimandarono a Vinegia ſani, e ſalvi, el Re cogh Ambaſadori non volle acordo ſe non riaveſſe Giadra, e l' altre terre del ſuo Reame.

Et clarius Tabula a Cutheis Spalaten. relatis Ungarorum inſultibus cap. 3.

De rebell. Spalat. & Tragu. a Dominio Venetorum.

Spalat. vero non volentes ulterius tanta mala & damna ſuſtinere, & pati a gente Hungara, ſed potius volentes de opportuno remedio providere, deliberaverunt inter ſe inſimul cum Trag. ut declinarent a Dominio Venetorum & reverterentur ad dominium naturale, & priſtinum Hung. ſtatuerunt & ordinaverunt horam, in qua tam Spalat. quam Trag. caperent de nocte omnes ſoldatos, & ſtipendiarios Ven. qui tunc manebant ad cuſtodiam in dictis Civitatibus Spalat. & Trag. de anno D. N. I. Chriſti curr. 1357. die 8. men Iulii omnes Nobb. & plures populares Civ. Spal. die ſabbathi ante horam matutinalem, clam, & occulte armati inſimul congregati ſunt in Eccleſia S. Domnii. & ibi ordinaverunt ut irent per Domos, & loca ubi erant ſtipendiarii, & eos omnes caperent, & ſic iverunt, & ubicunque ſciebant quod eſſent ſtipendiarii, & ipſos ita ſagaciter & prudenter ceperunt omnes ſine prælio & rumore, & poſuerunt ipſos incluſos in carceribus videlicet in Eccleſia Sancti Matthæi, & in Eccleſia S. Thomæ, ſub Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ de Spaleto & poſtea iverunt, & acceſſerunt Nob. Spal. ad Palatium Communis, ubi Poteſtas manebat, & petierunt a Poteſtate ut daret eis claves Civ. dicentes, ut Civitatem volumus dare Domino Regi Hung. tunc Dominus Poteſtas videns non poſſe reſiſtere abſque ſtipendiariis Venetorum toti Civitati Spal. quia jam omnes ſtipendiarii capti erant a Spal. & poſiti in arctiſſimis carceribus, & Poteſtas armavit ſe omnium armorum, & exivit ex Camera, & projecit ſpatam nudam ante eos, & petebat veniam ni ſalvarent vitam, & reſtituit eis ſtatim claves Civitatis. Tragurini vero die craſtino ſequenti hora Miſſæ magnæ quando exivit ad Miſſam ad fratres Minores Poteſtas Trag. ante horam tertiam, & tunc Trag. videntes quod Poteſtas ipſorum exiviſſet de Civitate ſtatim clauſerunt portas Civ. & non per-

Relataque ſeditione inter Ung. & Teutones, ob quam ſubſequuta eſt commeatuum inopia ſubdit cap. 66.

Rex Ungariæ reſpiciens exercitum ſuum confuſum ob effrenem audaciam multitudinis Ungaricæ, defectumque commeatus eſſe irreparabilem, pœnituit eum non accepiſſe conditiones a Venetis oblatas, cumque eſſet ingenio præceps, repente diſceſſit ab obſidione Tarviſii die 23. Auguſti ejusdem anni.

rebus ſcite diſpoſitis, bellum facile continuaſſe, exinde Venetos alias pacis conditiones obtuliſſe, quæ in cauſa fuerunt ut Spalaten. & Tragurien. deficerent, ut idem Villanus refert lib. 7. cap. 82.

Veneti videntes ſe gravi bello premi a Rege Ungariæ in Marchia Tarviſina, Sclavonia, & Dalmatia, & ex ordinibus rite diſpoſitis perſeveraturum abſque impenſa, & periculo confuſionis, cognoverunt ipſis eſſe incomportabile, ideo per ſolemnes Legatos pacem petierunt, volentes Iadram retinere, reliquas vero Civitates Sclavoniæ reſtituere, & grandem pecuniam pro expenſis ſolvere; & inter loca quæ tradere volebant, nominaverunt Tragurium, & Spalatum: Cives autem illarum Civitatum audientes quod Veneti ipſos tradere vellent Regi Ungariæ convenientes invicem cœperunt conſilium occupandi benevolentiam Regiam, neque committere ut Veneti de ipſis quæſtum facerent, ideo ſponte ſe dediderunt Regi, ejusque vicarium, & præſidium receperunt pacifice: Rectoresque & milites Venetorum remiſerunt Venetias incolumes. Rex cum Legatis pacem absque traditione Iadræ & aliorum locorum Regni ſui componere uoluit.

miserunt Comitem, seu Potestatem intrare in Trag. tunc vero Potestas credens quod Spalat. non rebellassent, & ivit Spalatum? Spalatini vero honorabiliter ambos Comites Spal. & Trag. cum omnibus familiaribus & massaritiis ipsorum receperunt, & expensis Communis Spal. in barcis armatis instanter Ven. transmiserunt, & statim Spalaten. miserunt suos nuntios pro Domino Ioanne Zuus Bano, & erexerunt vexillum cum insignis Domini Ludovici D. G. Regis Hung. & statim D. Banus venit Spalatum cum suo exercitu, & Spalat. dederunt sibi Dominium Civ. Spal. nomine & vice prædicti Regis Hung. & postea prædictus Banus simili modo ivit Trag. & recepit dominium Trag. nomine ut supra. Qui quidem D. Ioannes Zuus B. gerens vices præfati D. Regis in partibus Dalmatiæ & Croatiæ habens plenum speciale, & generale mandatum a prædicto Rege, dare & donare perpetualiter villas, possessiones, & dominium cujuscunque rei, tam stabilis, quam mobilis, & cuicunque & volens dare, & donare ex parte præfati D. Regis propter fidelitatem Spalat. dominium insularum in perpetuum: Spalatenses vero putantes, quod eis non esset authenticum illud quod Dominus Banus daret, & donaret eis, & non curaverunt recipere, dicentes volumus quod D. Rex solus det nobis, & postea D. Rex non habuit curam tantam de Spalato, & aliis insulas est largitus.

Audita Venetiis Spalat. & Trag. defectione, utrisque scripserunt epistolas tenoris ejusdem.

Iohannes Delphino D. G. Venet. Dalmat. &c. Nobb. & pruden. viris . . . . . Iudicibus Consilio, & Communi Spal. Trag. fidelibus dilectis salutem, & gratiam suam. Audivimus non sine displicentia multa mentis quod inter vos fuerunt aliquæ novitates, per quas Comitem, & gentes nostras licentiasse videmini, de quibus novitatibus vehementer admirari compellimur, nescientes ex parte nostra causam aliquam processisse, sed potius oppositum, cum vos semper sicut filios & fratres tractaverimus, & tractare perpetuis temporibus conabamur, dum enim reminiscimur fideles dilectissimi de quam miserabili servitutis, & tyrannidis jugo a primordio vos in statum libertatis, & in signum gratiæ nostræ recepimus, & quam dulciter, ac benigne vestram conservationem, & bonum procuraverimus, in defensa vos, & vestros, sicut nostrosmet Venetos favorabiliter pertractavimus, nullo modo credere possumus, quod novitates prædictæ ab ullo infidelitatis fomite processisse potuerunt, quin imo eas potius ex accidentali casu aliquo sicut quotidie evenit credimus provenisse; accedit enim mentibus nostris quantis laboribus, periculis, & expensis nos, & universaliter statum nostrum supposuerimus cum D. Rege Hung. solum ob vestram libertatem tuendam, & ut in fidelitate, & gratia nostra vos conservare possemus, & cum quanto personarum, & rerum discrimine nos contra eum opposuerimus causa vestri, cum prout scitis jam lucri, vel alterius emolumenti nostri ex vobis occasio nulla erat; abinde enim, & maxime per amplas oblationes ab Ambasc. vestris pridie existentibus Venec. nobis factas illud processit, quod cum magnis nostris gravitatibus & expensis tenere continuo statueramus ducentos equestres, & multos pedestres, a quibus & liga in partibus Sclavoniæ ut vos & vestra ab Hungarorum dominio protegere valeremus. Qualiter igitur in cor vestrum possit ascendere, quod tantæ caritatis fideles, & filii tot defensi laboribus, tot conservati periculis a nostra devotione velint aliqualiter deviare, sanæ mentis potest quilibet faciliter judicare. Hortamur ergo vestram prudentiam quatenus præmissis diligenter in animo recensitis, suavitatem etiam vobis nostri dominii proponentes, ac feritate, & auctoritate dominii Hungarorum, quod sibi ipsis intolerabile prorsus est in obedientia, & fidelitate vestra solita perseverare velitis; & si quid in contrarium actum est, debite reformare, nostramque gratiam repetere, quam paratam, & promptam remissa qualibet injuria vobis offerimus cum firmo proposito vos habendi carissimos, & recommendatos, sicut unquam habuimus, & vestram conservationem, & bonum cordialiter, ac totis viribus procurandi, ac personas, & bona nostra pro vobis, sicut bonus pater facit pro filiis liberaliter exponere. Super quibus gratam vestram requirimus responsionem. Data in nostro Ducali Palatio die 15. Iulii X. Ind. id est 1357.

Notat Caroldus tunc quoque scriptum fuisse Rectoribus Iadræ, & Sibenici, ut Spal. & Trag. hortarentur reverti ad dominium Venet. & interim bona eorundem sequestrarentur, & postquam nullum responsum habuerunt ab eisdem Capitaneo Culfi, & Provisoribus Sclavoniæ dederunt in mandatis, ut contra eosdem tanquam rebelles procederent quod exequti sunt, ut idem Spalaten. refert, qui loco relato sequitur. *Statim post modicos dies, postquam sciverunt, quod Spalat. & Trag. rebellaverunt ab ipsorum dominio, miserunt aliquas galeas suas insimul cum Sibenicen. & venerunt ad Insulam Soltæ, quæ Insula est Spalaten. & deprædaverunt Soltanos, segetem comburendo, & homines mactando, ac mulieres jugulando, & Veneti cum Sibenicen. multa mala perpetraverunt in despectum & dedecus Spalat. Postea post aliquos dies omnes Civitates Dalmatiæ simili modo rebellaverunt a Ven. putantes, quod non esset bonum statum ipsorum sub dominio Venet. Iam in fastidium effecti erant Dalmatinis Veneti propter ipsorum stipendiarios & soldatos.*

Quod hic auctor de stipendiariis refert, & qui fuerint milites Paisenatici a Caroldo memorati in Chronico declaratur. Iadram deinde die 17. Septembris stratagemate captam Cortusii referunt l. XI. cap. X.

Interim Abbas S. Michaelis de Zadra cum scalis induxit per muros gentem Regis in Zadram, sed primo intraverunt viri fortissimi, & milites socii Domini Paduæ, in platea de nocte partes pugnaverunt viriliter, & ultimo obtinuit gens Regis Ungariæ Civitatem excepto Castro die 17. Septembris. idem Caroldus.

Hos autem milites Teutones fuisse, & olim a Carrarienſi Domino Paduæ Venetis concessos, Iadræ per aliquod temporis spacium moratos, deinde ab eodem Carrarienſi Regi Ungariæ transmissos cum Iadrensium extorribus Iadram noctu occupasse

cupasse Veneti Chronistæ scribunt, & Conradum Eldebordum eorum Ducem tunc occisum cum vulgatis conveniunt; interim Ludovicus Trag. & Spalaten. antiqua Privilegia confirmavit, Banusque Nonam arctissime obsedit, ita ut Veneti nullum subsidium introducere potuerint, sed Classis eorum Sibenicum, & Scardonam loca sibi in continenti proximo reliqua convenit, ubi ob classiariorum insultus Sibenicenses etiam desciverunt, & Andream Iustinianum Comitem simul cum Gregorio Drago ji Cive ejecerunt, ut Caroldus refert; Banumque Nonam obsidentem adeuntes, eidem Civitatem tradiderunt, ut ex ejusdem Privilegio patet, quod deinde Rex Ludovicus cum cæteris antiquis confirmavit.

1357. 28 *Aug.* 30. *Aug.*

Nos Ioannes totius Croatiæ & Dalmatiæ Banus memoriæ commendantes tenore præsentium significamus quibus expedit, universis. Quodcum universi Nobiles Cives & Communitas Civ. Sibenicen. per N. V. Rodoslavum Crasuuvenacich Civem ejusdem Civ. Ambasciatorem, & nuntium ipsorum specialem, habita conversione ad Dominum Regem & ejus sacram Coronam, libertates sive gratias, donationes, & consuetudines inferius declarandas a nobis instantissime sibi dari postulassent. Nos itaque justis & condignis petitionibus eorundem annuentes in persona dicti D. N. Regis infrascriptas libertates, jura, gratias, donationes, & consuetudines eisdem Civibus & Communitati supradictæ Civ. Sebenicen. jurando super signo vivificæ Crucis, Sancta Dei Evangelia, & reliquias Sanctorum concessimus, & conferimus, damus, atque donamus jure perpetuo, atque irrevocabiliter habenda, tenenda & possidenda. Primum videlicet quod omnes injurias offensiones, & excessus per ipsos Sibenicen. factos, & illatos contra Regiam Majestatem, vel ejus subditos, aut alios quoslibet usque ad hæc tempora quovis modo parcimus, ignoscimus, dimittimus, & indulgemus, nec eosdem Cives, vel quemlibet ipsorum quispiam super ipsis excessibus, & culpis possit imputare, & aggravare temporis in eventu aliqualis. Item omnes sententias, deliberationes, & acta per Comitem, & Curiam, sive per Consilia ejusdem Civitatis temporibus retroactis facta, & ordinata confirmamus, & ratificamus in perpetuum observanda. Item omnia Privilegia, gratias, donationes & libertates ipsius Civitatis per Excellentissimos Principes olim Illustres Reges Hung. datas, & concessas inconcusse, & firmiter volumus observari, in eis denique libertatibus, & donis ipsos Cives ampliare, & non minuere intendentes. Item duas Insulas Srimaz & Zuri vocatas cum eorum pertinentiis, quas olim Commune Iadrense illicite occupaverat, in quorum tenutam, & possessionem Dominium Venetum eosdem introduxit restituendo, eisdem resignamus pacifice jure hæreditario possidendas. Item quod de cætero vid. ratione præmissarum insularum iidem Iadrenses, vel alii quilibet eosdem nullatenus valeant molestare. Item molendina sive Slap cum flumine Karka, quæ nunc possidere dignoscuntur, eisdem in perpetuum gubernanda commisimus. Item nullum Castrum, nullaque fortalitia in prædicta Civitate Sibenici, nec in districtu ejusdem vel extra districtum, quæ essent vicina dictæ Civitati in præjudicium ejusdem ullo unquam tempore ædificare per quoscunque faciemus. Item totum quod per regimen ejusdem Civitatis est, & in futurum fuerit sententiatum & deliberatum, sit ratum, atque firmum, & inviolabiliter absque contradictione quorumlibet in Civitate, & districtu observatum, nec etiam iidem Cives possint citari vel cogi in præsentiam quorumvis Judicum extra dictam Civitatem. Item si per aliquos Banos, vel Tyrannos temporibus elapsis aliqua in Civitate, vel ejus districtu fuissent occupata, & detenta, ea remaneant illis qui nunc ipsa possident, nec ratione temporum aliqua molestia in eis inferatur. Item Vlahi, vel Villani in districtu ipsius Civitatis absque licentia, & voluntate Civium pascua ipsorum, seu gramina depascere non possint. Item quod nos, vel alter quivis sub dominio prælibati Domini nostri Regis constitutus, & constituendus nullum debitum, nullamque collectam a Commune dictæ Civitatis, vel ejus districtu præter jus Regium portarum, quod tributum appellatur, prout in Privilegiis eorundem continetur exigere, & extorquere valeamus, nec etiam nos, aut alii quicunque in præscriptam Civitatem Sibenicensem manu potenti venire valeamus nisi in quantitate, qua placuerit Civibus, seu regimini Civitatis, unum prandium semel in anno, & non plus ipsa Communitas nobis dare teneatur, & si ulterius in eadem Civitate voluerimus permanere super nostra expensa, & bona voluntate hospitis nostri, absque molestia quorumlibet Civium debemus manere in eadem. Item præfatus D. N. Rex & nos in persona ejusdem totis viribus et potentia ab omnibus æmulis et impetitoribus ipsam Civitatem cum districtu ejusdem defendere et protegere cum auxilio et juvamento spondemus et assumimus. Item si aliquando Dominus N. Rex, vel ejus successores de proprietatibus, et libertatibus dictæ Civitatis quibusvis, alienassent, et tradidissent ipsas alienationes idem D. Rex in irritum provocabit. Item antedictus D. N. Rex, aut nos, vel alter nomine ejusdem D. N. Regis obsides de eadem Civitate nullatenus petere, et recipere potest. Item quod prælibata Civitas Sibenicen. omnem gratiam, libertatem generalem, et specialem quam aliæ Civitates Regni Dal. habent ampliorem. Insuper attendentes fidelitatibus Civium prædictæ Civitatis Sibenicen. Villas Rachitniza, Dazlinæ, et Grabrovei citra fluvium Karka ex parte occidentali existentes. Item Villam Neuest, Coparno, Peremich et Sitniza locatas ex alia parte ejusdem fluminis, habitas, eidem Communitati Civ. Siben. addendo ad districtum ejusdem dedimus, et conferimus in perpetuum possidendas, in cujus rei memoriam præsentes concessimus literas, pendenti sigillo nostro munitas datum in obsidione Civitatis Nonæ die 14. Men. Decembris anno Domini 1357.

Rex Ludovicus confirmavit die 17. Kal. Ianuarii 1358. Regni 16. Brachienses quoque a Venetis descivere ut Chronista refert.

Item in lo ditto milleſimo del 1357. del meſe de Zener quelli della Braza revella alla Dogal Signoria. In lo qual tempo Dalmixani, Spalatini, e Tragurini con ſuo navilii andè furtivamente e bruſa Lieſina, ſiando là Poteſtà ſ Nicolo Corner, ma reduſeſe in lo Caſtello dal monte della terra ella ſe ſalui.

Nonaque tandem fame coacta ſe dedidit, ut Cortuſii cum Chroniſtis convenientes loco relato ſequuntur. *Datur Nona Regi fame conſumpta uſque ad comeſtionem equorum. Rex vero cum gaudio de Buda deſcendit in Zadram, qui Caſtrum juſſit multoties impugnari*, ſed antequam Caſtrum Iadræ expugnaretur, Pax ſequuta eſt uti iidem Cortuſii referunt lib. XI. cap. XI.

Rex ad Preces D. Franciſci de Carrario obtulit pacem iſtam quod D. Dux, et Commune Venetiarum omnes Civitates et Caſtra ſita in Croatia, et Dalmatia libere debeant relaxare, et quod in ſuis litteris de cætero dominos Dal. et Croat. ſe non debeant nominare; Ipſe vero Rex contra obtulit quod tenebat in Epiſcopatu Tarviſii. Hanc pacem magis neceſſariam quam utilem D. Dux, et omnes Cives laudaverunt: alia pacta non ſcribo quæ multa ſunt: fuit hoc Ind. XI. in Civitate Zadræ, quæ eſt caput Regni Vngariæ. Habuit in totum Rex quod optabat, ab utraque parte omnia ſunt fideliter confirmata et adimpleta.

Chroniſta autem Venetus.

Ello prefato Re ſe la ditta paſe in la Citta de Zara adi 18. de feurer del 1357. che ſo la prima domenega de Quaraeſima e quella in lo ditto Zorno fu cridada e publicada ei Veneſia fu eridada adi 23. del meſe predetto e Zurada adi 25. e tutte queſte coſe fu dute ad eſecution & effetto, Zoe chel caſtello de Zara in lo qual iera ſtado ſ Andrea Zane Cap. e mo jera Cap. Piero Badoer, e Scardona, della qual ſe haveva dominio ſo meſſa in le man del Re de Ongaria apreſſo ſo ſcritto a ſ Iacomo Corner Conte de Arbe, e ſ Iacomo Ziuran Conte de Pago, e ſ Nicolo Corner Conte de Cherſo, & Oſſero, e ſ Nicolo Corner Conte de Lieſina, e a ſ . . . . Zu zi Conte de Curſola, e a ſ Marco Sanudo Conte de Raguſi che de li detti luogbi ſe doveſſe remover con tutta la ſo famegia, e vegnir à Venexia, e de quelli plui non ſe impazar e coſi fexe per la qual paſe e mutation de ſtado tenudo per lo meio ſo reconzado lo titolo Dagal coſi (Ioannes Delfino D. G. Dux Venetiarum &c.) e per lo ſimil ſo conzada la bolla de blombo delle lettere Dogal.

Idem Rex fecit dictam pacem in Civitate Iadræ die 18. Feb. 1357. quæ fuit prima dies dominica quadrageſimæ, & eodem die publicata fuit; Venetias vero die 23. & jurata die 25. & omnia ad effectum deducta, id eſt Caſtrum Iadræ cujus Præfectus fuerat Andreas Zane, & tunc erat Petrus Badoario, & Scardona, quæ in poteſtate erant tradita fuerunt in manus Regis Vngariæ; juſſum etiam fuit Iacobo Cornelio Comiti Arbi, Iacobo Ciurano Comiti Pagi, Nicolao Cornelio Comiti Cherſi, Nicolao Cornelio Comiti Phare, ... Georgio Comiti Corcyræ nigræ & Marco Sanudo Comiti Raguſii ut a dictis locis abſcederent cum omnibus domeſticis ſuis, & venirent Venetias, & in illis amplius ſe non ingererent, & ita factum eſt: propter quam pacem; & mutationem ſtatus reformatus fuit titulus Ducalis hoc modo (Inannes Dolfino D. G. Dux Venetiarum &c.) & ſimili modo aptata fuit bulla plumbea litterarum Ducalium.

Chroniſtæ Veneti memorant olim quando cum Imperatore Græco inducias fecerunt, in litteris quas Duces ad eoſdem daturi erant, loco verborum *Dominus quartæ & dimidiæ totius Imperii Romani (vel) Romaniæ* reponere debere *aliarumque terrarum, & Inſularum Dominus* pactos fuiſſe (quamvis cæteris Principibus, ſubditiſque ſcribentes ſolito titulo Romaniæ uſos fuiſſe conſtat) ita tunc cum nihil reliquum Veneti in Dalmatia, & Croatia poſſeſſuri eſſent, non ſolum titulis eiſdem Ungaris ceſſere, ſed a reliquis, quoque Romaniæ titulis (quamvis eadem loca pacifice poſſiderent) Duces eorum ſe abſtinuerunt; inania enim titulorum non admodum in precio apud Venetos fuere. Pacis autem tabulæ tales ſunt.

Ioannes Delfino D. G. Dux Ven. &c. Rex pacificus pro redemptione generis humani de ſupremis Cælorum ad ima Mundi deſcendens, & tamen mortem ſubiens temporalem D. N. Ieſus Chriſtus poſt glorioſam reſurrectionem aſcendens ad Patrem, pacem, quæ caritatis eſt vinculum in ſuo Natali glorioſo Cæleſtium agminum multitudine nunciatam ſuis præbuit fidelibus, & reliquit ſibi ſubditos pacis inſtruens amatores, & religato odio ut fraternæ invidiæ amor regnaret, & quod noverca diſcordia ſe junxiſſet, mater concordia pacis amica ſolidaret; Proinde ad univerſorum notitiam præſentium litterarum volumus pervenire. Quod cum inter quoſdam prædeceſſores Reges, & demum ex m. DD. Ludovicum D. G. Ungariæ Regem ex una parte, & inclitos & prædeceſſores noſtros Duces Venetiarum &c. nos, & Commune Venetiarum ex altera, procurante hoſte antiquo humani generis inimico, multæ diſcordiæ, rixæ, contemptiones, derobationes, oppreſſiones, offenſiones, ſtrages, & damna ortæ fuiſſent temporibus retroactis occaſione Dalmatiæ quod prædeceſſores noſtri Duces, & nos ac Commune Ven. ab olim tenuimus, & tenebamus. Tandem nos, & tota Communitas Venetiarum poſtquam plures ambaſiatas factas hinc, & inde honorabiles viros DD. Petrum Traviſano, Ioannem Gradenico, & Benintendum Ducatus & Communis Venet. Cancel. cives noſtros ad præfatum Illuſtriſſimum D. Ludovicum Vngariæ Regem cum pleno & ſufficienti mandato, ut apparet ex

forma

1357. *Menſ. Ianuarii Brackienſes deficiunt a Ducali Dominio quo tempore Almiſani Spalat. et Trag. cum navibus ſuis incenderunt Pharum, ibi poteſtate exiſtente Nicolao Cornelio, qui ſe reduxit in arcem, et ibi ſervatus eſt.*

forma instrumenti manu Raffaini de Caresinis pub. aucto. Imp. Not. & Ducatus nostri scribæ sub 1357. die 28. men. Novemb. X. Ind. dum prælibatus D. Rex in Civ. Iadræ fuisset, transmisimus, & ipsum declaratis nostris voluntatibus ad infrascriptam pacem & concordiam perpetuæ pacis & concordiæ vinculum amicabiliter invitamus per eosdem. Nos igitur qui cum Christianis quibuslibet & potissime cum Regno Ungariæ antiqua amicitia Ducatui nostro conjuncto pacem optavimus, & optamus ad infrascriptam pacem & concordiam perpetuo duraturam cum præfato D. Rege devenimus in hunc modum. Vid. quod nos & Communitas Ven. & in nostris personis ac vice, & Nomine nostro Ambasciatores nuntii, & Syndici prælibati habentes ad infrascripta plenam & liberam potestatem vigore instrumenti prædicti contenti fuimus renuntiare, & effectualiter renunciamus, de facto in manibus suprascripti Regis suo, & suorum successorum Regem nomine toti Dalmatiæ a medietate scilicet guarnarii usque ad confines Duracii omnibus Civitatibus terris, castris, insulis, portubus, & juribus quæ habuissemus, & tenuissemus, habebamus, & tenebamus in eisdem quoquomodo, & specialiter Civitatibus Nonæ, Iadræ, Scardonæ, Sibenici, Tragurii, Spalati, & Ragusii in terra firma existentibus. Item Civitatibus, & terris adjacentibus videlicet Cherso, Veglia, Arbo, Pago, Brachiæ, Lesinæ, Cursulæ cum insulis earundem cum omnibus pertinentiis, & utilitatibus earundem, ac titulis Dalmatiæ Croatiæ quibus uti consueveramus, & totum ipsorum jus, & dominium & proprietatem si quas habuissemus in ipsum D. Regem & successores suos sponte deliberate, & cum maturitate transferentes, renunciantes insuper omni actioni, & omni juris & legis beneficio quibus ullo unquam tempore possemus contra prædicta, vel prædictorum aliquod nos juvare, & promittentes solemniter sub vinculo Sacramenti pro nobis, & Communi Ven. corporaliter præstiti de ipsa Dalmatia Civitatibus, terris, castris, locis, insulis, juribus, & titulis ac ipsorum possessione, seu dominio nullo unquam tempore per nos, vel alios nos intromittere, vel aliqualiter impedire usque ad confines antedictos, obligantes nos omnes Civitates, terras, Castra, loca, portus, insulas, atque jura infra dicta confinia existentia quæ sunt pro nunc in mera potestate nostra libere, pure, & simpliciter eidem D. Regi, vel quem ad hoc deputaverit absque omni dolo sine fraude infra spacium 22. dierum a tempore datæ litterarum ejusdem D. Regis scriptarum nobis in eadem forma resignare. De terris autem, & locis, quæ in nostra potestate non essent, si regerentur per Rectores nostros revocare, & retrahere quoslibet rectores & officiales, & gentes quaslibet nostro nomine ibidem existentes, seu residentes, & qui eis in posterum contra ipsum D. Regem recipere sicut ipse D. Rex solitus est esse aliis gratiosus, Et versa vice ipse D. Rex volens nos Ducem & Commune habere perpetuo in amicos carissimos promisit quod omnes terras, castra, & loca quas nos, seu subditi nostri, & sequaces tenebamus in partibus Tarvisii, & Cenitæ, ac Istriæ seu alibi quæ ad dicti D. Reges manus devenissent & devenirent, vel suorum & suo nomine tenerentur, aut suorum nobis, & dictis nostris subditis & quorum erant, faciet tradi, restitui, & libere assignari infra terminum 22. dierum prædictorum, seu quibus duxerimus deputandos, nec de ipsis locis, & terris ullo unquam tempore per se, successores suos, vel alios intromittet, vel impediet renuncians, ac in nos transferens omne ius si quod acquisivisset in eis; ita tamen quod ipsas terras, castra, & loca, & subditos earum, nec non omnes amicos adhærentes & sequaces ipsius D. Regis tam Nobiles quam ignobiles tractemus dulciter, & benigne remissis omnibus iniuriis & offensis, & sicut faciebamus ante novitates præsentis guerræ, & sicut si D. Regi nunquam a hæsissent; & converso promisit præfatus D. Rex facere, & servare de omnibus amicis adhærentibus, & sequacibus nostris tam Nobilibus quam ignobilibus; Item quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod ex utraque remittantur, & ex nunc remissæ intelligantur omnes offensiones, injuriæ ac damna præterita, non intelligendo debita; quibus sibi invicem tenerentur speciales personæ, de quibus fiat justitia hinc inde. Item quod D. Rex bona fide prohibebit, & ordinabit cum effectu quod in aliqua terrarum seu insularum, aut locorum, quæ perventuræ sunt ad dominium d. D. Regis, & quæ jam pervenerunt non armabitur in cursum, nec exercebitur Piratica, seu damnum, aut violentia aliquibus navigantibus, nec recebtabuntur in suis portubus Cursarii & malefici, sed potius persequentur, & arcebuntur sicut decet Regia justitias & honores; Et e contra . . . . . in nostris terris & insulis promisimus nos facturos illud idem; præterea promisit D. Rex præfatus verbo suo Regio universos, & singulos cives, subditos, & fideles nostros & Communis Ven. venientes ad terras, portus, insulas & loca quæque subdita præsentialiter et in futurum Majestati suæ habere et . . . . . salvos, & securos cum personis, et navigiis ac rebus eorundem, et quod secure, et quiete possint ire, stare, redire et manere per dictos portus, terras et loca cum navigiis personis, et mercimoniis suis, imo ipsos tractabit, et tractari vult dulciter, et benigne sub favore et gratia ipsius, et e contra Nos Dux et Commune tractabimus subditos, et fideles d. D. Regis tali vinculo . . . . . in prædictis omnibus et singulis. Quod si partium aliqua huic ordinationi, dispositioni, concordiæ atque paci niteretur contraire, et eas infringere, vel violare conaretur aliquas terras, castra, insulas, aut portus de iis quæ renuntiata sunt occupando, vel aliter paci contra faciendo, ex tunc pars altera id Sedi Apostolicæ intimari debeat, et D. Papa vigore emologationis, ac potestatis datæ per ipsum D. Regem et nos tenore præsentium litterarum teneatur, et velit infra spacium unius mensis simpliciter et de plano absque strepitu et figura judicii solum recepta fide, et certificatione violationis, et infractionis antedictæ ad observationem dictæ dispositionis, et ordinationis illum, vel illos astringere censura Ecclesiastica mediante in personas, vel Communitatem contrafacientem . . sententiam interdicti, et in singulares personas excommunicationis proferendo a qua nullatenus absolvatur donec per par-

tem prædicta infringentem, vel infringere procurantem parti alteri satisfaciat prout erit justum illum, vel illos nihilominus denunciando fideifragos et perjuros. Si autem aliqua damna, vel injuriæ aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterutrum et tunc super illos per ipsum D. Regem, vel suos officiales, vel rectores locorum ipsorum pertinentibus ad nos, et per nos & nostros Rectores et officiales pertinentibus ad ipsum D. Regem infra spacium unius mensis a tempore depositæ quærelæ plenaria satisfactio impendatur. Nec hæc ordinatio, dispositio, concordia, et pax intelligatur violata, sed in sua firmitate debeat permanere, ad quæ ipse D. Rex, & Nos spontanea nos obligamus voluntate. Præmissa autem omnia & singula cum infrascriptis nostris Nobilibus juravimus ad sacrosancta Dei Evangelia tactis scripturis per nos & successores nostros, & omnes pertinentes ad nos inviolabiliter & integraliter observare, & non contrafacere, vel contravenire per nos, vel alios de jure, vel de facto directe, vel indirecte, palam vel occulte quovis ingenio, vel colore sub indignatione Dei omnipotentis & omnium sanctorum suorum, quod quidem juramentum præstitimus in manibus venerandi in Christo patris D. Stephani Zagrabien. Episcopi & Mci. Viri Domini Nicolai Regiæ Curiæ Iudicis Ambasciatorum, & Procuratorum d. D. Regis ad hoc specialiter constitutorum sicut constat per litteras Regias scriptas Iadræ sub anno Domini 1358. die 20. Febr. sigillatas sigillo suo secreto; Nomina autem nostrorum Nobilium, qui nobiscum juraverunt sunt hæc: D. Franc. Lauredano, Petrus Caravello, Ioannes Mocenigo, Andreas Fusculo, Laurentius Dandulo, & Marcas de Priolis Consiliarii nostri Venetiarum, & D. D. Petrus Steno, Marcus Barisano, & Daniel Victuri capita Consilii de 40. D. D. Marcus Cornario, Miles Petrus Gradonico q. Domini Ducis, & Franc. Bembo D. D. Andreas Erizzo Procuratores S. Marc. & Nicolaus Faledro, D. Marcus Lauredano Procuratores Ecclesiæ S. Marci, & D. Pancratius Iorgio Advocator Communis Ven. D. D. Petrus Badoaro Miles Bernardus Iustiniano Procurator S. Marci Petrus Memo Bertucius Grimani & Marcus Mauroceno omnes honorabiles Cives nostri Ven. pro se ac hæredibus & successoribus eorum, & tota Civitate Ven. prædictum juramentum præstantes. Actum Venetiis in Ecclesia S. Marci præsentibus Reverendo Patre D. Raimundo electo Patracen. Archiepiscopo, Ven. V. D. Neapoleone de Tibertis ordinis S. Ioannis Ierosolimitani Priore Ven. D. Paulo cantore, & Canco. Zagrab. & de Ladislavo Canonico Buden. testibus rogatis & aliis Anno Domini 1358. Indic. 11. die Dominico 25. Februarii feliciter. Amen.

Sic Veneti Dalmatiæ, & Croatiæ titulis cedentes, cuncta quæ in Adriatico ultra Istriam possederant amiserunt, quamvis sub his titulis omnia non comprehenderentur; Nam sicuti Venetos Chronistas antiquitus Dalmatas a Sclavis distinxisse observatum est, ita deinceps aliquas Croatarum, & Chulmitarum Civitates quibus Reges Ungariæ Privilegia ad instar Dalmaticarum indulserant, Dalmatico nomini accessisse; maritimasque Civitates Croatiæ sub Breberiensium regimine existentes, Dalmatiæ titulo ab eisdem sumpto, inter Dalmaticas numerari cœpisse superius relatum est; eisdemque simul cum insulis Adriaticis sub Venetorum Dominio permanentibus, nomina Dalmatiæ, & Sclavoniæ confundebantur; Sed cum par inter Ludovicum, & Venetos agitaretur, Rex non solum loca, quæ nomine Dalmatiæ, & Croatiæ Veneti possidebant, sed Ragusium quoque quamvis extra Regnum Dalmatiæ situm (quod an ullum Regem Ungariæ recognoverit nulla memoria reperitur) asserebat, simul cum cæteris insulis Adriaticis, Narentanorum olim nomine censitis, quæ ad illum uti Ramæ & Serviæ Regem pertinebant; Ideo omnia Dyrrachium usque tradi pactus est, quæ prout maritima, Dalmatia, vel Sclavonia promiscue nuncupabantur, solius tamen Dalmatiæ nomine tradita fuerunt, ut ex tabulis pacis suprarelatis constat; Exindeque Dalmatiæ Romanæ pars orientalis maritima a Serblis possessa, Dalmatiæ restituta fuit, in qua Ragusium tantum ex antiquæ Dalmatiæ Civitatibus erat: Unde cuncta, quæ Veneti in Adriatico, tam titulo Dalmatiæ, & Croatiæ, quam sine titulo ab Istria in Orientem Dyrrachium usque possederant, deinceps sublatis Croatarum, & variis Serviorum nominibus, solius Dalmatiæ nomine ut plurimum nuncupata fuerunt, & sicut usque tunc singulari dictione Regnum Dalmatiæ, & Croatiæ scribebatur, ita deinceps plurali Regna Dalmatiæ & Croatiæ distincta reperiuntur; Sed qua de causa Veneti Insulas quoque cesserint, non apparet, cum Ludovicus nullam Classem haberet, nec Ianuenses tunc Venetis amici, & etiam inter se divisi timendi essent, neque Regina Neapolitana Ludovico inimica; tamen si quis consideret quod alias antequam Veneti aliquid in continenti possiderent prudentiores eorum prospicientes, plerosque Cives, qui divitiis affluebant agris in continenti aptandis, emendisque se occupare, & ob id a mari in dies alienari, ideo lege lata anno 1274. agrorum emptiones prohibuerunt; Sed cum deinde Tarvisium occupassent, Lex in desuetudinem abierat; Ideo cum eandem prohibitionem iterare voluissent anno 1345. re in senatu proposita, non obtinuit, quare quasi licentia concessa fuisset, eo liberius agros emebant, & cum deinde quoque gravissmo. bello a Ianuensibus detinerentur, idque navigantibus magno incommodo esset, eo magis divitias, quibus affluebant, in fabricandis ædibus, & aliis delitiis Longobardicis parandis distrahebant, Patavinumque

que agrum in proprium uſum trahentes, Carrarienſes primo occulte, deinde palam inimicos experti ſunt, ideo, ſi quis diceret deſiderio Tarviſini agri recuperandi Inſulis Adriaticis, quas olim Duce Auro Maſtropetro ſervarant, ceſſiſſe, forſan non male coniiceret. Quæ autem incommoda ex Dalmatiæ amiſſione Veneti experti ſunt ex iis quæ poſtea evenerunt ſatis intelligi poteſt: Sed Venetis, Ianuenſibus, & Ungaris mutuis cladibus ſe afficientibus, grave vulnus Chriſtiano nomini inflictum fuit: Nam Turcæ ex Aſia primo piraticam in Europam extenderunt, deinde cum & Ianuenſium Claſſes civiles diſcordiæ, & Venetos bellum Ungaricum a maris Ægæi cuſtodia avertiſſet, ac ne in Græcis quidem ad ſuas res defendendas quidquam opis & præſidii eſſet poſitum, Turcæ in Europam magno Chriſtianorum malo tranſmiſerunt, & Calipolim occupantes pedem fixerunt, quos ditionem in dies dilatantes fruſtra poſtea, ſeroque Chriſtiani Latini nominis inde pellere conati ſunt. 1356. 1357.

LIBER QUINTUS.

QUæ tempore Ludovici, & Sigiſmundi Regum Ung. in Dalmatia & Croatia evenerunt, & quomodo Veneti Civitates Dalmaticas recuperaverint.

CAPUT I.

De rebus geſtis in Dalmatia vivente Rege Ludovico.

LUdovicus adepta Dalmatia, quamvis Spalat. Trag. & Siben. deditione acceptis, Privilegia confirmaſſet, per quæ propriis legibus uti Civibus permittebatur; tamen eorundem jura cum cæteris civitatibus, quas vel vi ceperat, vel a Venetis abſque conditione acceperat, eadem eſſe voluit: Iadrenſibus autem, neque antiqua Privilegia confirmavit, neque Pagenſis Inſulæ jurisdictionem reſtituit, & arcem a Venetis acceptam (cujus deſtructionem Iadrenſes fruſtra ſperaverant) continuato præſidio obtinendam ſibi putavit; appellationemque contra antiquam libertatis Dalmaticæ formam induxit, ut ex ejusdem diplomate paulo antequam relatas pacis tabulas ſubſcriberet, Dato Iadræ IV. Idus Februarii apparet. Matrem deinde Eliſabetham, Baronibus quibusdam aſſociatam ad maritimas partes ſumma cum auctoritate delegavit; quæ Dalmatarum Privilegia antiqua cum cæteris maritimis Civitatibus confudit; cum etenim Dalmatarum, Croatarum, & Serviorum diſcrimen Ludovicus ſublatum vellet, totius quoque Dalmatici Regni jura uniformia eſſe juſſit, & pro temporum diverſitate aliqua Privilegia, quæ obſcura videbantur declarando mutilavit, aliqua vero etiam ademit: de Venetiſque ſemper ſuſpicionem habuiſſe, ex eo dignoſcitur, quod dum bellum gereret cum Imperatore & Duce Auſtriæ ſuſpicatus ſit Venetos cum hoſtibus ſentire, idcirco cuſtodias, & cautelas aliquas in Dalmatia adhiberi juſſit, quæ in Chronico declarantur. Iadræ deinde fuit, nihil tamen ibi eum egiſſe memoriæ proditum eſt. Almiſani circa eadem tempora piraticam renovarunt, ſed cum protectores non haberent, facile a Bano repreſſi fuerunt, quiesque in Adriatico continuavit, quoad bellum inter Venetos, & Ligures exarſit, quod quamvis ab utrorumque hiſtoricis late deſcribatur, aliqua tamen addi poſſunt ex auctoribus manuſcriptis, ex quibus rerum geſtarum cauſæ clariores exiſtent. Mutuam æmulationem cauſam belli fuiſſe ſcriptores conveniunt; Regemque Ungariæ poſtulantibus Liguribus Venetis bellum indixiſſe referunt; Sed quænam cauſæ ipſum induxerint, non tradunt; quæ quidem cauſæ, cum ad res Dalmaticas pertineant, referendæ ſunt, ut quæ inde ſequuta ſunt melius intelligantur: Ut primum enim Veneti dimiſſa Dalmatia cum Ludovico pacem compoſuerunt, finitimi eorum (id quod antea per imbecillitatem tentare auſi non ſunt) potentia Regis Ungariæ freti Venetorum ditionem maritimam turbare cœperunt, ut Caroldus refert, nam Legatus Summi Pontificis pro Marchia Anconitana, & Romandiola, Patriarcha Aquileien. pro Carnis, & Carrarienſis Patavi Regulus queſti ſunt, libera navigatione Adriaticum commeantibus per Venetos uti non licere; inter quos tamen Marchio Ferrariæ, quamvis eadem in cauſa eſſet, nomen ſuum profiteri auſus non eſt, quod intra mœnia Civitatis Magiſtratum Venetum haberet; Veneti hac conſpiratione animadverſa, facile inducti ſunt, ut Ludovico morem gererent (quem liberam Dalmatarum ad Carrarienſem ſalis devectionem cupere cognoverant) idipſum tamen irritum mox fecerunt, obſtricto pactionibus Carrarienſi, ne alio ſale quam quod a Venetis accepiſſent uti Patavinis liceret, ſummo vero Pontifici ſua jura antiqua demonſtrarunt, quo factum eſt, ut querelæ finitimorum conquieſcerent: Ludovicus autem, qui ſicuti cum Venetis mutuam navigantium & mercium ſecuritatem pactus fuerat, ita libera navigatione parique cum Venetis jure uti volebat: qua de cauſa clauſulam *e contra* ex parte Venetorum in pactis appoſitam declarari petiit; Veneti tamen nihil addere vel declarare voluerunt; & nuntio miſſo Regi ſatisfacere conati ſunt; Sed cum non acquieſceret, ut aliquam paritatem Regi concedere viderentur, convenerunt, ut tam Rex, quam ipſi ſubditis alterius diplomata ſecuritatis darent, quibus ſalvæ res eorum eſſent, ſic tempori ſervientes Veneti, liberumque tranſitum aliquibus ejus ſubditis concedentes, Regi pro tunc ſatisfecerunt, juſque maritimi dominii ſibi integrum ſervarunt. Sed cum Ludovicus vetito civitatibus, privatis-

infra lib. 6. cap. 2.

1361.

1363.

1364.

lib. 9.

1358. 4. *Martii,*

21. *Maii.*

Caroldus.

vatisque personis per Dalmatiam salis commercio, officialibusque electis, Cameram salis instituisset, magnumque emolumentum inde caperet, ab eisdem edoctus: Si Sal Ferrariam, Pataviumque transveheretur, majori emolumento futurum: Hac de causa Danielem de Varicassis Iadren. & Baldassarem de Sorba Genuens. officialem Cameræ Salis Dalmatiæ Venetias misit, quibus responsum fuit Patavinum & Ferrarien. teneri ex pacto, salem a Venetis recipere, Regi autem per nuntium significatum 300. ab hinc annis Venetos possidere jus ab universo Mundo approbatum, & specialiter a Romana Ecclesia, ut navigantes intra certos fines Venetias venire tenerentur, quod, quamvis Rex approbare visus non sit, tamen cum ipse alia tunc moliretur, Venetique a nullo molestarentur, omissa ejus rei mentio est; Cum deinde pro Imperatore Græco adversus Turcas expeditionem meditaretur, Venetos requisivit, ut aliquas triremes suis expensis Venetiis construere, armareque posset, Veneti, e quorum re non erat, Regem potentem in Adriatico Classem tenere, prætextu amicitiæ, pieque expeditionis quinque triremes instructas obtulerunt; Sed cum paulo post mutato consilio in ipsum Imperatorem Græcum, & Regem Rascie arma illa vertere statuisset, eandem Classem suis tamen expensis sibi contra eosdem concedi postulavit, qua in re Veneti, integram sibi cum illis benevolentiam intercedere causati, Regi morem gerere recusarunt, seque interpretes reconciliandæ inter eos gratiæ fore polliciti sunt: Et quamvis deinde inter Venetos & Carrarien. bellum exortum esset, & Ludovicus postquam e Polonia rediisset (quo mortuo Casimiro profectus, Regnique insignibus acceptis, regimen ejus matri permiserat) Carrarienſi auxilia quæ ex pacto contra Venetos præstare tenebatur misisset, in Dalmatia præter mutuas suspiciones nihil turbatum fuit. Ludovicus tamen de Dalmatia solicitus Iadram venit, & cum tunc Ioannes Constant. Imperator Veneta Classe per Adriaticum veheretur, ejus iter, & consilia observari mandavit. Veneti vero quippiam Ludovicum in Adriatico moliturum suspicati, Classem eo destinarunt, qua de re Raphainus de Caresinis qui Appendicem ad Annales Danduli conscripsit, hæc habet *cæterum quia præfatus Rex (Ung.) tam per terram, quam per mare multa minabatur, destinatum fuit a Ducali Dominio extoleum galearum ad partes Sclavoniæ, quarum extitit Capitaneus Michael Delphino, & apud eum Provisores duo, scilicet Petrus Justiniano Procurator S. Marci, & Petrus Cornario, taliter quod nullus toto tempore guerræ, vel exivit, vel apparuit hostis in mari, & galeæ & navigia nostra pro mercaturis, ac si tempus pacis fuisset, libere navigarunt* tandem cum Carrarien. quamvis opibus Lud. adjutus se imparem Venetis intelligeret, pacem eorum arbitratu componere coactus est; Inde Venetos bellum cum Austriæ Duce excepit, quod Ludovico adnitente per biennales inducias intermissum est, quarum tempore inter Ven. & Ligures controversiæ incessere, mutuaque damna in Cypro, & Ægeo illata sunt, quas ne in apertum bellum erumperent sum. Pontifex conatus est componere; Sed cum Ligures sperarent se auxilio Regis Ungariæ, opportunitateque Dalmatiæ rem Venetam depressuros, & per consequens arbitrium maris Mediterranei consequuturos, pacem abnuerunt, Ludovicumque in Venetos irritare non cessabant; cum autem tunc Ludovicus victor de Lithuanis reversus esset, Liguribus aures præbere cœpit, quod cum resciviſſent Veneti, cum Duce Austriæ pacem facere maturarunt, captivosque eidem, & loca occupata restituerunt. Ludovicus autem quod majorem partem littoris Adriatici & omnes fere insulas in sua ditione haberet, maris imperium penes Venetos esse æquo animo non ferebat, & eo magis quod in successione Regni Neapolitani Venetos impedimento sibi futuros suspicabatur, cum eo tempore nullis aliis distractus curis, Regna Ungariæ, & Poloniæ pacata possideret, ejusque auctoritatem Patriarcha Aquileien. & Carrarien. palam sequerentur, & secreto Anconitani, cæterique Adriatici accolæ, sperantes omnes ejus ope liberam Adriatici navigationem se consequuturos, quo factum est, ut oblatam armorum societatem cupide arriperet: & prætextu vetiti per Adriaticum salis Pagensis commeatus, bellum Venetis facta cum Aquileien. & Patau. societate indixit, in spem erectus, se ope Ligurum Venetorum in Adriatico potentiam depressurum, propriaque inde instituta in Dalmatia Classe omnia impedimenta consequendi Regni Neapolitani remoturum; Sic Veneti a potentissimo Rege & tot Principibus simul junctis uno eodemque tempore terra marique oppugnari cœpere. Qui animadversa tantarum opum conspiratione, cum Ligures magis quam cæteros verentur, quo illos in Tyrrheno detinerent, Regem Aragoniæ in eosdem multis oblatis conditionibus sed incassum solicitarunt, cum Rege tamen Cypri, & Bernabone Mediolani Regulo fœdus junxerunt; munitis itaque oppidis, quæ in continenti habebant, Classem, Præfecto Victore Pisano, in Tyrrhenum miserunt, qui Ligurum triremes ad Antium consequutus, vivit quidem, sed ex damno in prælio recepto victoriam prosequi, Genuensiumque loca cum Mediolanen. fœderato aggredi, ut proposuerat, non potuit, & in Ægæum secedens, reparata Classe, aliisque acceptis triremibus socias naves & loca tutatus est;

Idem Script. Iadren. — 1364. *Caroldus.* — *Idem.* — 1370. — *Cortusii.* — 1371. 9. *April.* — 1337. — 1376. — 1378. — 1378. *Carold.* — 1378. 30. *Madii.*

est; nam interim Ligures Classe reparata, eaque divisa, undique Venetorum navigia infestabant, quos opportune se subducentes nusquam Pisanus assequi potuit, & cum interim, & Genuæ nova supplementa instruerentur, & in Dalmatia jussu Regis triremes adornarentur, idcirco in Adriaticum invectus, Pisanus, Catharum, Sibenicum, Arbumque cepit, Tragurium bis oppugnavit, Iadram sæpius obsedit, infestavitque ut Sabellicus, & cæteri vulgati referunt, quibus addenda sunt quæ Caresinus qui non dum editus est tradit.

1378. 17, *Iulii præfatus Capitaneus (scil. Victor Pisanus) Venetias misit Capitaneum olim galearum Ianuen. aliosque captivos; deinde se transferens ad Civitatem Cathari tunc Regi Ungariæ subditam, qua die Dominica 14. Augusti* 1378. *devicta, & saccomanata pepercit civibus, eisque Civitatem restituit, Castro in custodia Ducali retento* & infra. *Applicans autem X. Octobris supra caput S. Mariæ Otranti detexit* 17. *galeas Ianuen. quas ob nimiam distantiam, virorumque nostrorum lassitudinem, quia in prosequendo numquam cessaverant, eas capere minime valuerunt; nostræ igitur galeæ pro victualibus quibus summe indigebant iverunt in Apuliam; quibus sumptis, versus Iadram quantocius navigarunt, ubi nullas galeas hostium invenerunt, persistentibus vero ibi aliquibus diebus, & portum & Civitatem stimulantibus, cum bombardis. ecce die* 22. *Octobris applicuerunt ad eos supradictæ galeæ, (scilicet sex quæ Regem Cypri associaverant) die* 24. *Octobris Capitaneus noster ivit ad partes Sibenici, & dimissis duabus galeis ad Custodiam punctæ, & duabus ad S. Nicolaum, intravit cum reliquis Culphum dictæ terræ, præmisso N. V. Ludovico Lauredano Provisore ad scrutandum Sibenicen. corda; sed viso quod se ad defensionem parabant, aliquibus nostris intrantibus, capta fuit civitas, & incendio, ac prædæ submissa. reverteruntur nostræ galeæ Iadram, stantes ibi custodientes ne galeæ hostium portum Iadrensem introirent. Die Mercurii X. Novem. præfato Ludovico Provisore eunte Arbum cum X. galeis, confestim Arben. clavibus exhibitis ad suum verum Ducale Dominium redierunt. Tota Classis e Iadra recedens die* 16. *Novem. reperit sub muris Tragurii intra purpurariam, & pallatam supradictas* 17. *galeas Ianuen. non audentes inde recedere; verum quia insula opposita produxit ibi duas buccas, per quas ad Civitatem patet accessus, quamvis gentes nostræ plurima damna Tragurinis intulerunt, pluribusque diebus ibidem permanserunt, plena tamen obsidio formari non potuit. Hiems tota in partibus Dalmatiæ consumpta est, illatis maximis damnis maritimis & terrestribus contra Ragusium, & partes Dalmaticas. Bonus Dux noster ne annona Civitatibus, & fidelibus suis desit, semper vigilans, destinatis quampluribus Usseriis seu galeis grossis, Conchis aliisque navigiis, mandavit, ut galeis nostris sociarentur in Apuliam, & inde Polam. Sic die Dominica 24. Aprilis recessit Cap. noster a Manfredonia cum omnibus galeis, & navigiis, ac tritici maxima copia, quibus usque Polam sociatis, iterum ad partes Dalmatiæ revertitur; tandem ob immensitatem algoris . . . . maritimasque tempestates gentem nostram non parvis afficientem incommodis, se oportuit reducere ad portum Polæ. Utinam venisset usque Venetias, ubi plenius refecta fuisset.*

Caroldus vero eadem exscribat, & addit quædam, quæ si in unum redigantur, & cum Sabellico conferantur, rerum gestarum series integra elicietur; pro cujus clariori intelligentia portuum qui in Dalmatia sunt status quinam fuerit exponendus est, ut non solum eventus rerum a Pisano gestarum, sed etiam consilia, causæque melius percipiantur. In insulis Dalmaticis crebri portus existunt; nullus tamen per ea tempora munitus erat, quo fiebat, ut Ligurum Classis Veneta inferior tutis illorum stationibus uti non posset: In continenti vero Catharum, Ragusium, Spalatum, Tragurium, Sibenicum, & Iadra navium stationes oppidis adjunctas habent, quibus in locis receptus, promptaque auxilia Ungaricæ circa Regionis Ligures habere poterant: Ex quibus Iadra, & Ragusium civitates probe munitæ nullam aggressionem Venetorum timebant, cæteræ vero debiliores in perpetuo metu versabantur. Veneti enim ab antiquo, omnes conatus suos intenderant, ut ab externis Classibus Adriaticum tutum redderent, civitatesque præsertim continentis ex parte maritima muniri non permittebant, & a subitaneis tantum insultibus Piratarum tutas fieri concedebant, ideo muri earumdem maritimi, ut plurimum ex ædibus privatorum se se tangentibus constabant; utque ob Breberien. Tyrannidem Spal. Trag. & Siben. a terrestri parte se muniverant, ita sub Venetorum ditione ab eadem parte eo validius firmatæ fuere, a maritima vero ob piratarum commoditatem imbecilliores evaserant; Ita, ut tunc fere apertæ reperirentur, & quamvis jussu Regis muniri cœpissent, tamen ob brevitatem temporis, & quia Rex præcipuos reditus Duanæ & Trigesimæ Civibus abstulerat, suæque Cameræ Salis junxerat, ob inopiam infirmis muris obducebantur; eoque in perpetuo metu versantes a Bano per vices supplementa militum accipiebant, ut in Chronico latius. Civitatum autem prædictarum portus, stationesque non ejusdem sunt rationis. Nam Catharum, quamvis portum munitum non haberet, tamen ex longitudine sinus, qui per 18. mil. pass. protenditur facile adventus Classis prænosci, & ob angustias faucium pluribus in locis amica tutari, inimica vero repelli poterat.

Ragusinus portus mediocris est, & intra mœnia civitatis inclusus.

Spalatinus vero nec a ventis hyemalibus satis tutus.

Tra-

Tragurinus propter objectum insulæ satis navium capax, & a ventis tutus, sed si Insula ab inimicis occuparetur inutilis redderetur.

Sibenicensis, quamvis Tragurino amplior; tamen cum tunc nullis esset instructus munitionibus, accedentes sociorum naves tueri non poterat.

Iadrensis autem, cum inter Civitatem, in peninsula oblonga existentem, & continentem situs sit, amplus & capax cathena claudebatur, ob id amicæ Classi tutum receptum præbere poterat, de quo solo, uti proximiori, cæterisque ampliori, simul & munitiori, Venetos solicitos fuisse scriptores conveniunt, semperque conatos, vel inimicam Classem ab eo avertere, vel, si in eundem illaberetur, obsidere; reliquos autem, ut minus opportunos, vel faciles occupatu parvi faciebant.

Pisanus igitur cum Ligures ab Adriatico avertere non potuisset amandato Carolo Zeno, ut res eorum infestaret, Culphum ingressus Catharum primum hostium receptaculum cepit; impositoque arci præsidio, in asperrima & excelsa rupe posita, retinuit, hostilem deinde Classem quæritans prope Iadram pervenit, ibique substitit, ut advenientem aggrederetur; sed cum 17. Ligurum triremes Tragurium se recepisse audivisset, exindeque circa proximum Diomedis Promontorium naves Venetas infestare, eo cursum intendit, verum cum inter navigandum comperisset, Sibenicum nullo præsidio Banali fulcitum in magno metu versari, eo divertit, & cum cives requisiti (præter expectationem) se dedere noluissent, vi adhibita facile debiles muros superavit, indeque recedere festinans, arcis oppugnatione omissa, in quam Cives confugerant, urbem diripuit, & incendit, ut Caresinus cum Sabellico concordes referunt: illud autem quod Caresinus de duabus triremibus ad custodiam *punctæ* & duabus ad S. Nicolaum dimissis refert, in ostio Sibenicensis sinus erat Ecclesia S. Nicolai cum annexo Monasterio ordinis S. Benedicti, nunc vero arx; *puncta* autem vulgariter a nautis dicitur Promontorium a silice nomen habens, X. millia pas. ab arce prædicta Orientem versus distans, ex quo mare apertum prospicitur, quo ideo Pisanus triremes misit, ne interim inimica Classis eo inscio Iadram pergeret, ut Sabellicus adnotavit.

Tragurium deinde oppugnasse refert Sabellicus, & exinde reversum Arbum deditione recepisse. Caresinus vero cum cæteris Chronistis Iadram reversum, & post Arbensem deditionem Tragurium oppugnasse, quod & verum est; nam Sibenicum captum & incensum fuisse die 24. Octobris Sibenicen. monumenta cum Caresino conveniunt, dieque 7. Nov. Pisanum prope Iadram existentem Ludovico Lauredano ejus Legato in mandatis dedisse, ut Arbum pergeret, dieque X. ejusdem mensis deditionem sequutam, ipsæ deditionis tabulæ Arbi existentes, cum Caresini dictis concordantes testantur. Tragurium igitur post Arbensem deditionem die 16. Nov. ut Caresinus vel 17. ut Caroldus oppugnatum dicendum est; sed cum Caresinus paucis verbis rem perstringens, obscurus evadat, Sabellicus ex variis Chronistis fusius rem gestam describens referendus est.

Habet Tragurinus portus duo ostia, ad Ortum unum, alterum ad Occasum spectans: utrumque Genuenses magnis operibus ita obstruxerant, ut Veneti oppugnatione deterriti circa illud quod ad Occasum vergit in ancoris stare *sint coacti. aberat tum pars Liguslicæ Classis*, quæ ad Apulam frumentationem *exierat: inde autem reversus hostis aversa parte ne conspectus quidem ab ullo, ad suos rediit. Quod factum quum Pisanus restituisset, divisa Classe utrinque Ligurem obsidere perrexit: parte militum non parva in* continentem *exposita, ut pluribus locis hostem fatigaret. Ferunt levia peditum certamina per eos dies commissa; sed illa ipsa nulla memoria digna; demum Victor longioris moræ impatiens* urbem *oppugnare aggreditur; sed conatus illi omnino irriti. Venetus non solum* oppido *non est potitus, sed ab Genuensibus (quorum vis ingens erat* intra mœnia*) cum cæde ad naves depulsus: cecidit eo certamine Lucas Valaressus, patricii sanguinis homo; Victor suo incepto frustratus: quia jam commeatus defecerant: nec erat quod ab urbe rei frumentariæ inopia laborante, quicquam speraret, soluta obsidione ante Iadram reversus consedit; urbemque assidendo magis solicitabat, quam premebat.*

Ad peninsulam.
Apulam Venetorum frumentationem infestandam.
Insulam.
Munitiones portus & insulæ.
Portu vel oppido.
Intra munitiones insulæ.

Quamvis oppugnationem recte describat Sabellicus; tamen cum situm Tragurii exploratum non habuerit, in aliquibus lapsus est, ideo loca circa civitatem describenda sunt, ut vera rei gestæ series elici possit.

Insula Bua a Spalatensi Promontorio (quod antiquitus a Diana, nunc a S. Georgio nomen habet) in Occidentem vergens per X. mill. pass. protenditur, ex neutra parte ullum portum habens, inde vero in duo promontoria scissa, major in Occidentem vernum, minor in Occidentem æquinoctialem excurrentia, sinum efficiunt cujuslibet Classis capacem, majorique ex Meridionali parte adjacet Insula, vel potius scopulus a S. Euphemia dictus, portum efficiens, minori vero (cui a S. Cypriano nomen est) obversum est littus continentis limosum, in quo Tragurium jacet. In peninsula enim antiquitus tenui Isthmo continenti juncta situm fuisse, Tabulæ Peut. & Porphirogenitus testantur: quando autem effosso Isthmo in Insulam redactum fuerit, nulla memoria reperi-

tur: tempore tamen, quo Bela IV. Rex Ung. a Tartaris fugatus ibidem ſeceſſerat, Inſulam fuiſſe Archidiaconus Spalat. teſtatur cap. 40. *Tartarorum agmina cum Duce impio in Tragurienſi littore conſederant . . . . . cæterum Dux Caydanus omnibus loci illius circumſtantiis perluſtratis, tentabat ſi poſſet ſub mœnibus equitando tranſire, ſed cum cognoviſſet, quod aqua illa per quam civitats a terra dirimitur propter limi profunditatem invadabilis erat, retraxit ſe inde;* oppugnationis autem tempore per pontem lapideum longitudinis paſſuum 40. ex XV. arcubus conſtantem Civitas antiqua a Septentrione continenti juncta erat, a Meridie vero inter eandem Civ. & proximum Inſulæ collem portus exiſtit; qui ab Oriente aggere contra hybernos fluctus tutus redditur, per quem, tribus pontibus, tunc ſubliciis, interſtinctum, in Inſulam erat tranſitus; ab Occidente vero principale, patensque oſtium habebat, per quod tres, quatuorve triremes ſimul ingredi poterant: portus autem ipſe ex maris reciprocatione, quod ibidem coarctatum ſumma velocitate, & incertitudine commeat, majorum navium capax eſt; reliquum autem littus circa oppidum ex utraque parte, tam Occidentali, quam Orientali, longo ſpacio penes continentem limoſum, nullibi ſicco pede ex parvis etiam cimbis exſcenſionem admittit; per tenuemque tantum alveum manufactum, tempore quo, ob Breberien. metum ſecundo muro Civitas munita fuit, parvis naviculis Civitatem circumire permittitur. Ipſa vero Urbs in duas diviſa erat partes, in novam ſcilicet, & veterem; Vetus, quæ & Orientalis a Septentrione, & Oriente duplici, ab Occidente, & Meridie ſimplici muro cingebatur: Nova & Occidentalis a Septentrione, & meridie debilibus muris veteri jungebatur; ab Occidente vero firmiori claudebatur, in unius Septentrionali angulo unica turris erat; in Meridionali vero binæ turres faucibus portus imminebant.

Tragurienſes igitur Sibenicenſi expugnatione audita in magno timore verſabantur, Banique auxilia implorabant, eoque ob Sibenicen. calamitatem ſibi imputatam celeriter accurrente, cum Ligures quoque cum captis aliquot navibus ibidem ſe recepiſſent, inter ſe conſulebant, ſi qua ratio muniendi portus iniri poſſet, opportuneque Piſano Iadram reverſo, exindeque tempus exequendi propoſiti rati, omnia ex Ligurum ſententia diſpoſuerunt. Ligures etenim, cum Claſſem Veneta inferiorem haberent, eam remige abunde inſtruxerant, ita ut celeritate Venetam facile eluderet; a Rege Ung. evocati Iadræ hybernare juſſi fuerant; ut Venetam frumentationem impedirent, quam ex ſola Apulia ſibi procurantes, Anconitanosque infenſos experti, & reliqua littora Italica, utpote importuoſa vitantes, vellent, nollent, præſertim naves onuſtæ, circa Diomedis Promon. crebro ſubſiſtere cogerentur, explorata Tragurini portus opportunitate, ibidem potius, quam Iadræ hybernare decreverant, ut facilius Venetas naves circa proximum promontorium verſantes conſequerentur, & ab eorundem Claſſe inſequente ex duplicis oſtii opportunitate Tragurium ſe ſubducerent; interim tempus dabatur ſupplementi a Genua accipiendi, & Dalmatis triremes, quas juſſu Regio parabant inſtruendi, ut vel æquatis viribus cum Venetis de Adriatici imperio decertarent, vel ſaltem Apulam frumentationem impedirent, in quo præcipuam ſpem victoriæ fœderati reponebant. Bano igitur circumvicinos Croatas, qui nunc Vlahi dicuntur, magna copia ad ſervitia præſtanda cogente, civibusque patriæ operam alacriter navantibus, portum ſolicite munire aggreſſi ſunt: oſtium enim Orientale acervis lapidum ex proximis maceriis ſumptis, ſciteque ſub aqua diſpoſitis, ita detorſerunt, ut triremibus directum iter impedirent; in Occidentali vero parte, ubi oſtium latius, tres naves, quas ceperant, ſaxis impletas demerſerunt, reliquum arboribus antemnisque navium una colligatis, ſudibusque fixis clauſerunt; ſic opinione celerius tutum receptum etiam parvo numero navium a cujuslibet Claſſis perſecutione paraverunt: proximum deinde Inſulæ collem, Balan dictum, munire cœperunt; qui cum ex parte Meridionali rupibus undequaque prominentibus adeo præruptus, & confragoſus ſit, ut niſi per arctas ſemitas difficilem aſcenſum, etiam nullo prohibente, permittat, & ex Orientali parte monti prælto adjaceat (cui ab equabus nomen eſt) ex Occidentali vero in tria dorſa diſtinctus, alia aliis demiſſiora, prope fauces portus in planiciem quandam Iſthmum efficientem deſinat; cui lene promontorium in peninſulæ oblongæ figuram annectitur a S. Cypriano nomen habens, hanc declivitatem muro ex craſſa materia ſcite diſpoſito, munire feſtinabant (materiam loco abunde ſuppeditante) aditumque ſepire, faucibusque portus conjungere; quod cum Piſano innotuiſſet, antequam opera perficerentur, eo pergere feſtinavit, & prope Civitatem die 16. Nov. paulo ante noctem pervenit, maximumque terrorem Civibus incuſſit; nam forte fortuna Ligures ad infeſtandas Venetas naves profecti erant, & circa Pharum reperiebantur; tamen quia ſtatim atque Veneta Claſſis ex Inſulis Sibenicenſium in apertum mare verſus Promontorium Diomedis navigare viſa eſt, excubiæ per colles, montesque poſt Sibenicen. incendium diſpoſitæ facibus adventum ejus accolis ſignificabant, ut accurrerent ubi opus eſſet; ex quibus Ligures, & Croatæ, cognito Venetorum conſilio Traguriam celerrime convenerunt,

eve-

evenitque ut eodem tempore, quo Pisanus ad Insulam Bove ex Occidente, Ligures ex Oriente accederent, nocteque insequenti in portum invecti duplici ordine triremes remis simul complicatis post munitiones oppositerint, remigesque suos cum Croatis per rupes collis disposuerint, Civibus reliquas munitiones tutantibus. Pisanus cum facto mane Classem hostilem in portum illapsam & inscio conspexisset, eamque perdere cuperet, exscensionem ad supradictum Isthmum fecit, machinisque & bombardis pertractis munitiones terra marique acerrime oppugnavit, in portumque perrumpere conatus est; sed ubique conatus ejus elusi fuerunt, maximoque damno affectus est, præsertim a remigibus Ligurum, & Vlahis magna copia fundis continuam grandinem lapidum in subjectam planiciem jaculantibus: cumque munitiones sua opinione firmiores expertus esset, ut inimicos distraheret, Valaressum cum parte Classis Insulam circuire jussit, & ex Orientali parte aggerem invadere; sed cum ibi littora Insulæ & continentis adeo coarctentur, ut nisi uni triremi post aliam permittatur ad aggerem accessus, quem cum munitionibus recenter factis impeditum reperisset Valaressus, in easque impegisset, retrocedere in proximum Insulæ exscendere coactus fuit; in quo tantum temporis trivit, ut Cives & Ligures accurrentes defensionem paraverint, & Valaresso supervenienti in capite aggeris se opposuerint; ubi post longum certamen loco moti fuere, parsque ad pontem medium se recipiens occisa, vel in mare trusa fuit (ut Chronistæ Veneti memorant) eo quia Cives qui in ea parte aggeris versabantur, cum suos fugientes cernerent, pontis (qui ad transitum navibus concedendum in duas partes aperiri solebat) partem Civitati proximiorem elevarunt, Valaressus itaque relicto in aggere capto præsidio, ne a tergo impeteretur, versus D. Petri ædiculam inter collem, & mare Occidentem versus sitam, (ubi major pars Ligurum ex fuga se receperat, & in angustiis illis defensionem parabat) pergens, suos ad oppugnationem ordinatim faciendam disponebat, ut angustiis occupatis, a tergo aggredereturos, qui munitiones a Pisano oppugnatas tutabantur; sed cum locus ille, in quo consistebant Veneti (qui prius Maceriis & arboribus hortorum totus impeditus fuerat, ex earundem rerum ad munitiones asportatione) nudus & apertus reperiretur, Cives ex una parte ascensis, quas in promptu habebant, navibus accesserunt, Vlahi vero, & Ligurum remiges e rupibus (utpote montani per rupesque incedere assueti) ex altera advolarunt, Venetosque ex utroque latere impune vulnerantes, retrocedere coegerunt, ibique Valaressus, & plures alii ceciderunt, reliqui ad præsidium in aggere relictum se recepe-

runt, & exinde ad triremes nullo persequente redeuntes, circumacta Insula ad Pisanum reversi sunt, qui cum ubique improsperos conatus suos expertus fuisset, & in dies equitum Croatarum turmas (quas impedire non poterat) supervenire cerneret, ne inutiliter in incommoda statione tempus tereret, obsessit, pro navium tamen commeatum deferentium tutela circa promontorium Diomedis pluribus diebus commoratus ad festa Natalitia Venetias in hyberna concessit, Magistratumque deposuit, ut Caroldus refert; quo temporis spatio Ligures Banum ad perficiendas munitiones cœptas juverunt, & ut alias aliis in locis opportunis excitaret auctores fuerunt (quarum vestigia adhuc supersunt) fauces enim portus validioribus operibus coarctatas, reliquum Cathena clauserunt; semitas autem Meridionales collis rupibus dejectis occlusas, omnino inaccessibiles effecerunt, alteroque muro in declivitate collis usque ad fauces portus deducto, munitionem duplicarunt: aggere vero muris, & turribus firmato, & exteriori Civitatis ex una parte muro juncto, ex altera ad proximas Insulæ rupes crassa maceria deducta sic ex omni parte munitionibus portu clauso, statim atque Venetam Classem in hyberna se contulisse resciverunt, per vices exeuntes, naves, per quas lucri cupiditate Venetis commeatus suppeditabatur, intercipiebant, adeo, ut Veneti ad magnam alimentorum inopiam redacti, Classem denuo educere coacti sint, creatoque iterum Pisano maris Præfecto, naves in Apuliam ituras associare, & Tragurium, ex quo tanta incommoda res Veneta accipiebat, majori, quam antea apparatu, oppugnare jusserint, quod ad medium mensis Februarii factum memorat Caroldus: navibusque in Apuliam amandatis Tragurium oppugnare voluisse Pisanum; sed cum omnia validius firmata reperisset, ab oppugnatione destitisse cum Sabellico convenit: quibus sic relatis Sabellici dicta quædam corrigenda sunt, & loco *in ancoris stare ad peninsulam stare* reponendum; neque *Ligustica Classis ad Apulam frumentationem exierat* cum in Dalmatia annona abundaret, sed *ad infestandam Apulam Venetorum frumentationem*, neque divisa Classe partem militum *in continentem* exposuit Valaressus, sed *in insulam* neque *Urbem* oppugnavit Pisanus (cum nusquam, præterquam ex ipso portu, quem occupare non potuit, oppugnari a Classe poterat) ideo pro *urbem, munitiones, portus & insulæ* reponi debet; intra quas Ligures, non *intra mœnia* reperiebantur: cum post Pisani discessum paulo ante festa Natalitia intra mœnia receptos; eisdemque Monasteria pluresque Civium Domos traditas, monumenta publica doceant; sic paucis Sabellici verbis correctis, ut in margine adnotatum est, integra, ve-

raque rei geſtæ ſeries apparet in Chronico latius diſcuſſa, ubi & loci Ichniographia pro clariori intelligentia poſita eſt; quibus ſic explicatis apparet, quanti momenti eo bello Tragurinus portus fuerit, quamque neceſſaria ejus poſſeſſio illis, quibus tuta per Adriaticum navigatio cordi eſt. Veneti enim, (qui ſitum Tragurii optime callebant) ſibi perſuadere non poterant, tam brevi temporis ſpacio portum & Inſulam muniri potuiſſe, quin ipſi advenientes opera diſturbarent, quod in cauſa fuit, ut de hac re nullam ſolicitudinem habuerint, ſed Liguſtica ſolertia deluſi fuere, quod ſi Piſanus loco Sibenici (quod cepiſſe præter prædam nullius momenti fuit) Tragurium occupaſſet, ut facile abſente tunc Liguſtica Claſſe portum ingredi poterat, debilesque Civitatis novæ muros ſuperare, & exinde veteris quoque ſubfodere; nam ſecundus murus, qui antiquitus eam partem muniebat in privatarum domorum uſus converſus, ſubfodientibus teſtudinum loco fuiſſet, ſic Tragurio occupato, Ligures Iadram vel Raguſium ſecedere coegiſſet, ipſeque inter Iſſam & Tragurium verſando naves ad frumentationem Apulam euntes & redeuntes facile tutari, abundeque Venetias Commeatu inſtruere poterat; ex inopia cujus, res Veneta præſertim periclitata eſt, Ligures enim qui navium ſuarum celeritate ſolerter utebantur, præſente Veneta Claſſe, eorum naves infeſtare auſuri non fuiſſent, niſi proximum aliquod tutumque refugium habuiſſent, ex qua Tragurii occupandi occaſione prætermiſſa omnia incommoda provenere, cum hyeme adhuc ſæviente circa Diom. Prom. in portubus diſertis ſubſiſtere Veneta Claſſis coacta fuerit, navesque commeatus deferentes maximo cum incommodo præſtolari, quibus exceptis Venetias redire volebat Piſanus ad reficiendam Claſſem, claſſiariosque variis morbis implicitos curandos; ſed ſenatus juſſu Polæ in Iſtria triremes reparare, & ſupplementa expectare coactus eſt, & quamvis omnia Senatus ſedulo ſubminiſtraret, ut Careſinus loco relato memorat; tamen cum ob incommoda quæ ea hyeme perpeſſi fuerant claſſiarii multi occumberent, & quamplures variis morbis conflictarentur, opus retardabatur. Ligures vero, qui ex commodis hybernis naves & corpora integra ſervarant, ſtatim atque Venetam Claſſem Polæ morbis & reparatione impeditam acceperunt, in apertum prodeuntes, & per Adriatica littora diſperſi, Venetis omnia infeſta reddiderunt; ex quo illud evenit, ut omnia Venetorum conſilia Liguribus nota eſſent, Ligurum autem Venetos laterent, & ſtatim atque ſupplementa X. mill. triremium pervenere Venetæ Claſſis reparationem prævertere maturarunt; repudiatisque Dalmaticis triremibus, utpote inexpertis, valida tantum, ſed ſelecta juventutis manu, quæ nomen dederat, recepta, famam ſupplementi accepti antevertentes, Polam profecti, decemque triremibus in inſidiis collocatis, hoſtes ad certamen provocarunt; Veneti, qui toties ejusdem numeri, quem videbant, Claſſem fugientem perſecuti fuerant, (cum de ſupplemento accepto nihil reſciviſſent) reputantesque hoc in ſe tentari, eo quia nondum omnes triremes reparatæ eſſent, & quam plurimi militum & remigum valetudinarii reperirentur, Imperatorem urgebant, ut aſcenſis, quas reſarxerant, navibus, hoſtium temeritati occurreret. Sed Piſanus differendum certamen exiſtimabat, donec ſupplementa brevi ſuperventura acciperet, inſtitutumque reficiendæ Claſſis opus perficeretur, ſimul de hoſtium viribus, & unde fugaci modo & vitabundo Liguri ſubitus ad offerendam ultro dimicationem animus acceſſiſſet cogniturus; ſed milites, quod pavidum antea hoſtem inſultantem ſibi videbant inconſultus quidam pudor inceſſit, adeo, ut efferatis animis, pugnam expoſcerent, ſeque omiſſa Imperatoris reverentia effuſe naves conſcenſuros atque in certamen ituros minabantur: quamobrem Piſanus fatali neceſſitate ſequi potius, quam ducere milites ad pugnam coactus eſt & ex XXII. triremibus, quæ in ea ſtatione erant XVI. tantum primo illo impetu ex portu progreſſæ ſunt, easque brevi ſecutæ duæ aliæ, hoſtesque inſectatæ ſunt, qui ad eliciendos Venetos fugam primo ſimulaverat, mox proris converſis acerrime utrique pugnarunt, in qua aliquot naves Ligurum occupatæ, ipſeque Lucianus Auria Præfectus occiſus fuit; ſed in ipſo ardore pugnæ ex inopinato triremium, quæ latebant ſuperventu Veneti circumventi & oppreſſi ſunt, Piſanusque quatuor tantum triremibus a cætera Claſſe ſubductis, Venetias triſte nuncium tulit; ubi, quamvis ex inopinato, infelicique eventu Cives perculſi fuiſſent, tamen cum inimica Claſſis non appareret, Senatuique innotuiſſet, ob detrimentum acceptum Dalmatiam verſus ad ſe reficiendum direxiſſe iter, ſtatim triremem unam ad ferendum adverſæ pugnæ nuncium tam ſociis, quam Carolo Zeno, reliquæ Claſſis Præfecto (qui hoc interim multis damnis inimicos pluribus in locis affecerat, & in mari Syriaco reperiebatur) ablegavit, aliasque deinde ſex ad eundem miſit, ut tutius redire poſſet, oſtiaque circumvicinorum portuum munivit, ut ab hoſtium Claſſe (quam cito ſuperventuram timebant) ſe defendere, adventumque Zeni præſtolari poſſet: Ligures autem ovantes Iadram & Tragurium ſe recipientes, captas de Venetis naves cum propriis reparabant, captivosque diſtribuebant, ut recepto novo Duce, quem ex patria

expe-

expectabant, Venetia ante Zeni adventum adorirentur: interim Arbum, sed incassum, recuperare tentarunt: Adveniens deinde Petrum Auria Dux, lustrata Classe, Iadra solvit die ultimo Iulii cum triremibus 52. (quarum septem erant Dalmaticæ, & duæ Græcanici Imperii, ut Caroldus refert) & 40. lembis Dalmatarum, Istriamque delatus, eandem populatus est, Gradum & Crapulas incendit, & simul cum fœderatis Patavinis, & Chrmis Clodiam cepit, ut historici utrorumque referunt, sed latius Venetorum Chronistæ, notatque Caroldus tunc inter Carrarien. Patavii regulum, & Ligures in omnibus non convenisse, Carrarienseмque aliquibus locis proximis captis, cum Legatis Ligurum, & Iadren. (qui Patavii convenerant) Tarvisium obsidere decrevisse, obsidionemque cæptam die vigesima octava Augusti refert; alter vero Chronista Anonymus Carrarien. sæpe Ligures hortatum memorat, ut sibi relicta Clodiæ custodia, Venetias obsiderent, reliquaque maritima loca occuparent, irridetque Ligures, quod id efficere prætermiserint. Veneti vero amissa Clodia & circumvicinis locis, quamvis aditus qui Venetias exinde ducunt obsepsissent, tamen cum Tarvisum obsideretur, famaque advenientis Ungarici exercitus cæteri in fide nutarent, & quæ unica spes reliqua erat Zeni adventus incertus esset, qui etiam a proxima potentiorique inimica Classe intercipi poterat; quodque in præsens magis urgebat, annona deficeret, pacem quibusvis conditionibus petere decreverunt, ob id a Carariensi inducias pro Legatis mittendis petierunt, ad Auriam vero 7. captivos Genuen. pacem postulatum Clodiam ire permiserunt; Carrarien. absque sociis Legatos admittere noluit, Auria vero missos in carcerem remisit, dictitans, se Venetias venturum, omnesque captivos vi liberaturum; ideo Veneti desperata pacis ex hac parte reconciliatione ad deliniendum Caroli a pace dicti animum, qui cum X. mill. Vngarorum adventabat se convertunt, impetrataque accedendi venia, quinque legatos summa cum auctoritate ad ipsum ablegarunt. Carolus is in Ungaria educatus fuerat; cum etenim Ludovicus, ex duabus uxoribus, quas habuerat, nondum prolem suscepisset, ad consanguineos qui in Regno Neapolitano reliqui erant respiciens, misertus Caroli pueri (cujus pater Ludovicus Dyrrachinus, qui toties contra Ludovicum Tarentinum Regem Neapolitanum, & Reginam Ioannam insurrexerat, tandem captus & in carcere detentus, neque a Ioanna post mortem viri relaxatus ibi obierat) ipsum accersivit, Spalatensibusque jussit ut eum tanquam consanguineum & filium honorarent, qui Iadram appulsus, Iadrensique triremi Segniam delatus in Ungariam apud Regem in spem successionis educabatur; Regni vero Neapolitani jura quamvis Ludovicus Ioannæ permiserat, tamen cum ipsa prole careret, post ejus mortem successionem ad se spectare asserebat; quod sicuti quando consanguineos ex carcere Ungarico relaxaverat, occulte cum ipsis pactus fuerat, ita ut Summo Pontifici palam significavit, ut Rainaldus ex epistola eidem Regi a Summo Pontifice scripta tradit. 1368. n. X.

Idem.

Ludovico Regi Ung. Dilectos filios N. N. VV. Ioannem de Ludbergh olim Dal. & Croatiæ Banum, ac Ioannem Treutel de Neuma milites Ambasciatores tuos latores præsentium ad nostram præsentiam destinatos & dilectum N. V. Stephanum Francisci militem Iadrensem eorundem Ambasc. interpretem gratanter recepimus, in eis quodammodo tuæ celsitudinis præsentiam contemplantes; dictumque Stephanum prudenter, ac facunde proponentem quod Regnum Sicilæ tuæ Serenitati debetur, & quod moleste ferres, si ad extraneos deveniret, & quod licet char. in Christo filiam nostram Ioannam Reginam Sic. Ill. in vita sua turbare minime intenderes, tamen congruis remediis providere volebas periculo quod posset post dictæ Reginæ obitum evenire . . . . . Datum apud montem Flasconem V. Kal. Sep. A. 6.

Sed cum deinde filia ipsi nata esset, Neptem ex Stephano fratre Elisabetham Philippo Tarentino uxorem dedit, Carolo vero Margaritam Caroli Ducis Dyrrachii filiam posthumam copulavit, quem Banum quoque Dalmatiæ & Croatiæ instituit: cumque deinde Ioanna de Trinacriæ Regno cum Aragonen. composuisset, Pontifexque id approbasset, Ludovicus conquestus est jura sua successionis in Rom. utriusque Siciliæ ad extraneos devolvi; Carolus interim Banatu Dalmatiæ & Croatiæ functus, cum uxore Neapolim redierat, deinde a Ludovico vocatus, bello Venetico præpositus fuerat: sed cum tunc Ioanna R^na. Neap. schismaticis Cardinalibus contra Urbanum sum. Pont. adhæsisset, Clementisque Antipapæ electionem fovisset, Urbanus Ludovicum in eam invitavit Regnumque Neapolitanum obtulit, sed ipse jam senex Carolo vegetæ ætatis, uti proximiori consanguineo, & unico tunc ex Carolo primo masculo post se superstiti, tradendum consuluit, auxiliaque valida libenter pollicitus est, eundemque cum exercitu in Italiam direxit, qui ultima die Augusti 1379. prope Tarvisium venit, pacem cum Venetis compositurus, ut expeditionem Neap. prosequi posset; quid autem ibi actitatum fuerit Caresinus breviter narrat.

1370. *Rain.* 1372. *n.* 5. 1374. *n.* 16. 1378.

Conveniunt plerumque Ambasciatores partium pro tractatu pacis, quam Paduanus semper pro viribus impugnavit, suggerens Regiæ Majestati ipsam in brevi futuram dominam tam gloriosæ & liberæ Civitatis. Vana profecto spes tua Paduane, nequam, & plenissima dolo, & sibi-

met impoſſibilis videtur, dicente Propheta: Deſiderium peccatorum peribit: aſtute enim melliſluo colore Majeſtatem Regiam ſatagis retinere, ne reſipiſcat ab inceptis. Sed quod Paduanus operatur ad malum, ſolita Dei providentia convertit in maximum bonum, & mora fecit, quod ratio facere nequivit: Nam egregii viri Nicolaus Mauroceno decretorum Doctor, Iacobus de Priolis, Zacharias Contareno, Ioannes Gradonico, & Michael Mauroceno Procurator Eccleſiæ S. Marci Ambaſciatores et Syndici nunquam defuerunt in partibus Tarviſinis, et alibi, quorum profecto ſapientia, et eloquentiæ vis, ad Reipublicæ ſalutem plurimum profuerat. Adverſa enim pars, ſcilicet Illuſtris D. Carolus de Durachio, et aliqui Prælati et Barones pro Regia Majeſtate Hungariæ, Ambaſciatores Ianuenſium, Patri. Aquil. et Paduæ ob male fidam fortunam, mundanamque potentiam nimis elati, petitiones injuſtiſſimas, Deo et Mundo exoſas (quas ob earum ineptitudinem abſque ſtilo pertranſeo) licet indigne proponerent, honeſte tamen reſiſtere non poterant validiſſimis argumentis, ac rationibus, quibus præfati Ambaſciatores noſtri jus noſtrum pertinentiſſime confovebant: concludentes, ſemper Ducale Dominium ad pacem diſpoſitum congruam et honeſtam.

Quibus Carolus addit, Carolum, auditis Genuen. & Patav. de pace ſententiis Legatorumque Venetorum reſponſis, qui quantumvis iniquas conditiones reſpuere non videbantur, ſed potius honeſtatem jurium ſuorum benignitati Majeſtatis Regis Ungariæ deferre, omnes in Ungariam ad Regem miſit; ipſe interim expeditioni Neapolitanæ intentus, præſenti Venetorum indigentiæ maximo proprio emolumento ſatisfacere decrevit, permiſit enim ipſis, ut cujuscumque generis annonam in Tarviſium inferrent, ſolutis pro quolibet bove ducatis duobus, pro pecude ſolidis 40. & pro ſtaro Veneto tritici ſol. 30. pro quolibet vero centenario ponderis olei, carnis, & caſei ducatis duobus aureis, ex quo non ſolum Tarviſium, ſed ipſæ quoque Venetiæ commeatibus, quibus maximopere indigebant, inſtructæ fuerunt: qua de cauſa Franciſcum Novellum Patavini Reguli filium (qui fame Tarviſio ſe potiturum ſperabat) hac ſpe fruſtratum die 5. Septembris e caſtris diſceſſiſſe, patremque ejus in Ungariam Gulielmum de Curtarolo Regi a Carolo perpetrata ſignificaturum miſiſſe, ubi in longum de conditionibus diſceptatio protracta eſt. Nam Genuen. & Patav. Venetorum nomen omnino deletum volebant, Veneti vero honeſtam pacem non reſpuebant, ſed quæ nam conditiones tunc propoſitæ fuerunt, nemo ex Venetis hiſtoricis, vel Chroniſtis exprimit, ſolus Paulus Mauroceno lib. 14. in fine quatuor earum capita refert, ſcilicet.

1. *Quod in platea S. Marci ſolemnioribus diebus feſtis, vexillum Regis Ungariæ erigeretur.*

2. *Pro expenſis 500. mill. ducati ſolverentur ſtatis temporibus.*

3. *Electio Ducis a Rege confirmaretur.*

4. *Solverent Regi annuum tributum 50. millium ducatorum.*

Interim Veneti dum de conditionibus pacis in Ungaria diſcutebatur, cum periculum amittendi Tarviſii ceſſaſſet, Civitasque annonæ penuria ſublevata fuiſſet, animos quoque erigentes, quomodo inimicos otioſos, Clodiæ morantes, inde pellere poſſent conſulebant, Duces prudenti conſilio uſi, novam Claſſem parare decreverunt, & 34. triremes a Civibus feſtinanter inſtruebantur: hoc interim creato iterum Victore Piſano Præfecto Claſſis, is minoribus lembis per æſtuaria delatus commercium inter Genuen. & Patav. impedivit: Gen. autem cum ſibi ſubſidia Patavina intercepta cernerent, die 4. Octobris Metamaucum & Popiliam aggreſſi cœperunt, novumque & vicinum terrorem Venetis incuſſerunt, annonamque uti maris domini a circumvicinis littoribus ſibi procurabant; eodemque tempore venerunt Venetias Legati Florentinorum, Mediolan. Ferrarien. & aliorum qui rem Venetam perditam nolebant, ſed Genuenſibus ſperantibus ſe Venetiis potituros, Claſſemque, quæ parabatur, utpote inexpertam, ſpernentibus, ipſamque ante Zeni adventum egredi non auſuram exiſtimantibus, nihil confectum eſt: Veneti tandem cum Claſſem inſtruxiſſent, Duce eam aſcendente, die 24. Decembris e portu ſolventes, poſt multa certamina, demerſis navibus, oſtia portus Clodiæ clauſerunt, opportuneque Carolo Zeno cum reliqua Claſſe ſuperveniente Genuen. Claſſem inibi obſederunt: ſic mutata rerum facies eſt, nam Genuen. clauſi annona laborare, Veneti vero abundare cœperunt, & quamvis varios conatus pro educenda Claſſe Genuenſes fecerint, tamen omnes in irritum ceſſere, qua de cauſa Cararien. pacis tractatum introducere conatus eſt, ſed cum Veneti incluſos Gen. dimittere nollent, fruſtra fuit; unica ſpes Gen. reliqua erat, adventus eorundem Claſſis qua veniente ſperabant ſe Veneta ſepta diſcuſſuros, ante cujus adventum, Veneti interim ad Annonam procurandam Thadæum Iuſtinianum amandarunt, ut Careſinus loco relato ſequitur.

Thadæus Iuſtiniano miles cum ſex galeis ad præſtandum ſalvum conductum navigiis frumenti aliorumque victualium ad partes Marchiæ, Sclavoniæ, et Apuliæ ſe tranſtulit: ad quem etiam de partibus Iſtriæ navigabant aliæ ſex galeæ, in præfati Thadæi auxilium, per viam Marchiæ mittebantur; ſed mare, vento, et procellis obſtantibus, ſimul jungi, minime valuerunt: attigerunt enim 20. Aprilis portum Veſtarum prope Manfredoniam per 25. milliaria, poſt caſum occurſum eidem Thadæo; quo

exi-

existente ibidem cum sex galeis et octo navigiis, sollicitando ea onerari frumento, supervenit Gaspar Spinula cum XI. galeis a Ianua. Thadæus ergo submersis galeis 7. navigiis se ad defensionem exposuit in terra super Manfredonico molo. Ad primum congressum nostri viriliter pugnantes prævaluerunt, occisis et vulneratis multis ex hostibus, tandem hostibus a fronte et a tergo descendentibus et terra, ac mari ingruentibus, gentem nostram cedere oportuit, taliter quod Thadæus cum 140. vel circa captivus ducitur Iadram. Sic alternat fortuna vices, sic de more guerræ contingit. Ex quo tamen hosti modicum favoris, et nobis nimium damnum noscitur provenisse; Nam cæteri viri galearum ad Ducalem Classem revertuntur: Hujusmodi casu audito nostræ sex galeæ, quæ in portu Vestarum erant, confestim retrocedunt, et repertis reliquis quatuor galeis, quæ recesserant a portu Fici prosperant simul ad exercitum nostrum contra Clodiam; et ut unita virtus fortior sit ad resistendum galeis hostium, quæ in Iadram se contulerant, ut Ianuensibus clausis in Clugia præstarent auxilium, eosque ab obsidione liberarent: Hostes igitur collectis viribus suis in Iadra versus Clugiam velociter navigantes cum galeis XXII. et tribus galledellis die 14 May in diluculo supra portum Clugiæ applicant. & infra.

Decimo tertio Iunii supervenerunt septem galeæ Ianuen. ita ait, numerus, computatis decem Dalmaticorum galeis auctus est: ad XXXVI. galeas, et aliquos galledellos cum quibus singulis diebus faciebant ostentationem aggrediendi galeas nostras.

Sic conatibus Gen. in irritum cadentibus, tandem Clodiæ incluſ. 5000. Venetis se dediderunt die 22. Iunii, & die prima Iulii Dux triumphans Venetias revertitur, die vero trigesima Victor Pisanus cum 47. triremibus portu solvit, & in Istriam delatus, loca amissa recuperavit, hostesque in Dalmatia insecutus est, ut idem Caresinus refert.

Dum autem, die 7. mens. ejusdem (scil. August. Victor Pisanus) Niemensem Insulam applicasset, viso uno Ianuen. galladello, una ex galeis ipsum cepit absque hominibus, qui supra sylvam subito fugerunt, sed a quibusdam galearum hominibus super Insula depositis, capti fuerunt, patronus, scriba & 14. homines galladelli, a quibus certum novum habitum extitit, quod galeæ 12. Ianuen. novissime a Iadra recesserant, euntes Manfredoniam pro frumento: versus igitur Apuliam festine properans die 8 Augusti bombardando supra portum Iadræ, & riperiam Dalmatiæ discurrendo nonnulla damna intulit contra Sclavos de multis domibus & navigiis captis & combustis, quæ frumento, sale aliisque mercibus erant onustæ, quo tempore Ligures Arbum recuperasse Chronistæ scribunt, Caresinus autem relata morte Victoris sequitur.

Galeæ nostræ circundatis aliquibus Apuliæ locis, & surrogato Capitaneo N. V. Ludovico Lauredano, qui Provisor erat armatæ, & a Manfredonia recedens die 14. Augusti ad damnum hostium convertitur. inferendo plurima damna Dalmatiæ, & Croatiæ locis, capiendo & cremando nonnulla navigia: Tandem 29. ejusdem Aug. applicuit Segniam, quæ igni supponitur, cum maximo incolarum damno, & nostrarum gentium modico lucro, qui flamma subito cuncta corripuit & consumpsit. Galeis inde recedentibus, Veglienses læsi fuerunt, sed modice, quia statim ad obedientiam devenerunt. Locus autem Boscharii fuit igne consumptus, subditque Carolum Zeno deinde electum Capitaneum Generalem die 3. April. 1381. portu solvisse, & hostes in Tyrrheno infestasse, eaque de causa Genuen. Classem ab Adriatico divertisse, cum interim partes pro pace facienda Taurini convenissent, dum de conditionibus tractabatur, Carrarien. iterum Tarvisium premebat, & cum annona obsessos deficeret, Venetique eam inferendam modum non haberent, ideo, ne in manum proximi hostis perveniret, Tarvisium Duci Austriæ tradiderunt, ejusque milites die 2. May Civitatem ingressi sunt, Carrarienſisque delusus, Pax tandem Taurini sequuta est die 8. Augusti 1381. resque cum reliquis in pristinum restitutæ. Quoad Regem vero Ungariæ conditionibus a Caroldo relatis.

Quod Regis Ungariæ subditi navigare non possent ad ora fluminum ab Istriæ promontorio, & Rimino citra, nec merces deferre, Veneti vero Regi solvere deberent singulo anno duc. 7000. auri, Venetorum triremes ingredi non possent aliquem portum Regium cathena clausum, & pro restitutione Civitatis Catari conventum ut traderetur in manus Pauli de Georgio de Iadra, Regii militis, de munitionibus autem quæ intra castrum reperiebantur, quæ Paulus retinere voluerit, ejus extimationem Venetis solvi debere, vel detrahi de 7. mill. ducatis eodem anno a Venetis solvendis, ut ex instrumento conventionis dato Taurini die 16. Aug. 1381. apparet. Hunc Paulum de Georgio tractationi pacis interfuisse cum Iacobo de Raduchis, uti Iadrensium Ambasciatores scripturæ Iadren. testantur, & Paulus de Paulo itidem Iadrensis in suo memoriali scriptum reliquit.

1381. *die 15. Aug. venerunt Iadram litteræ a nuntiis nostris vid. D. Iacobo de Radicich & D. Paulo de Georgiis de confirmatione pacis inter Dominum nostrum Regem, Ianuen. & Venetos,* subditque *eodem anno die 15. Sept. recessit D. Leonardus de Guarro Cap. armatæ Ianuen. cum sua armata a portu Iadræ, intentione repatriandi,* sic recedens Gen. Classis Venetis Adriaticum quietum reliquit; Nam quamvis aliquas triremes in Dalmatia haberet Ludovicus; Tamen quam difficili instruerentur & quam raro insimul hæc convenirent in patriæ Chronico declaratur, ubi etiam de situ portus Fici a Caresino memorati disseritur. Tunc ad excludendum Venetæ classi appulsum jussu Regio pluribus in locis ubi situs permittebat Catenæ

instituta fuerunt, quarum usus quamvis in desuetudinem abierit, adhuc tamen loca nomen catenarum retinent, ut in sinu Rizonico nunc Culfo Catarensi dicto, Sibenicensi, aliisque in locis, quos superfluum esset recensere. Dum relata inter Venetos & Genuen. patrabantur, Carolus Reginam Ioannam aggredi parabat, quam Vrbanus cum suo Antipapa excommunicaverat, crucemque contra eosdem Iadræ prædicatam die 17. May 1380. Paulus de Paulo, & ob Regis Caroli victoriam Othonisque mariti Ioannæ captivitatem *magnam festam in Iadra factam* subdit; Carolo Regno potito, Ioanna quoque eidem se dedidit quam in carcere detentam Hector Pignatellus refert: Sed cum Ludovicus Andegauensis a Regina adoptatus, & a Clem. Antipapa instigatus, numeroso exercitu collecto, Regnum Neap. aggredi pararet, Ioanna in carcere mor-
1382. 12. tua, vel suffocata fuit, Ludovicus au-
Madii. tem Rex Ungariæ jam tum morbo implicitus, ex quo non convaluit, Carolo auxilia ex Dalmatia suppeditavit, & de Marchia Anconitana solicitus, scripsit epistolas, quas inter Iadrensium scripturarum fragmenta repertas, non inutile erit apponere, cum contineant quædam, quæ apud historicos non reperiuntur.

Elisabeth D. G. Ungariæ Pol. Dal. &c. fidelibus suis universis & singulis rectoribus Iudicibus, consiliis Civitatum, & locorum Iadræ Ragusii, Sibenici, Tragurii, Spalati, Catharo, & insularum Lesinæ, & Braciæ, Arbi, & Kersi, cæterisque communitatibus Regni nostri Dalmatiæ salutem & gratiam.

Quoniam pro cujusdam ardui executione negotii honorem Ser. D. N. Regis, ac nostram concernentes potentiam maritimam, sine qua illud perfectionem assumere non valet, oportet experiri fidelitatibus vestris strictissime præcipiendo mandamus, quatenus mox visis præsentibus omnes galeas parascernos, Brigentinos, & quodlibet aliud genus Classis, quod sit aptum bellis æquoreis, sicut etiam Mcus. vir fidelis noster dil. D. Emericus Bubel Regnorum nostrorum Dal. et Croatiæ Banus vobis nostro Reginali verbo firmiter mandabit, armare debeatis, et sic ordinari facere, ut homines necessarios pro his Classibus armandis disponere se taliter mandare, quatenus quotiescunque habitam post præsentium notitiam ad requisitionem fidelis nostri D. Surici Bani prætaxati sine aliqua mora ipsi possit cum navigiis hujusmodi armatis, & perfecte præparatis ad locum quem idem D. Banus ordinabit, maritimum iter feliciter arripere: scientes, quodsi quis vestrum ausu temerario præsentibus non paruerit omni cum effectu, Regiam et nostram indignationem subire, et nihilominus tales mandatorum neglectiones supplicio debitæ pœnæ corrigemus. Datum in Visograd. die 23. men. Aprilis A. D. 1382. 5. Indictione.

Ludovicus etc. fidelibus suis Mco V. Emerico Bubel Regnorum Dal. et Croatiæ Bano, item Rectoribus Consiliis, et communitatibus Civitatum ac insularum Dalmatiarum quibus expedit Sal. et gratiam. Quia sentimus adversus Ser. Prin. D Carolum Ierusalem et Siciliæ R. Illustrem fratrem nostrum carissimum, et ejus Regna non modicam gentium armigerarum potentiam debere hostiliter advenire; ipsumque fratrem nostrum non valemus salvo honore permittere inauditum, fidelitatem igitur vestram requirimus, eique damus in mandatis, quatenus mox habita præsentium notitia vos cum galeis, navigiis, et aliis exercitus necessariis adeo velitis disponere, et munire studeatis, ut dum tempus opportunum advenerit, in subsidium ipsius fratris nostri dilecti, more dispendio amputato egredi, et proficisci valeamus: in quo nobis grate complacet. Datum Zolii in festo Sancti Philippi et Iacobi Apostolorum A. D. 1382.

Nos Ludovicus etc.

Vos fideles nostros dilectos Comites, Rectores, Consules, et Communitates Civitatum et insularum nostrarum Dalmatiæ, et specialiter de Iadra, de Ragusio, de Catharo, de Sibenicho, de Tragurio, de Spal. et de aliis præsentibus requirimus, diligentius quam possumus, vobisque damus in mandatis quat. Sermo. Principi D. Carolo Regi Ierusalem, et Siciliæ fratri nostro carissimo nunc instanti tempore suæ necessitatis, quam habet ex parte Ducis Andegaven. et quam nostram fore reputamus, et ascribimus cum omni vestra potentia tam in mari, quam in terra adversus ejusdem Ducis Andega. assistere et adesse velitis, adeo ut actus nefarios et bellicosos, ipsius Ducis, ab eodem fratre nostro, in dextera altissimi, qui non deserit sperantes in se, eminus pellere valeat, in quo nobis, et sacræ nostræ Coronæ indelebilia servitia, et complacentias facietis, nam quicunque servitium, et honorem in hac parte eidem fratri nostro exhibuerit per hoc nosmetipsos tenemus honoratos, & si ad præsens vestras expensas nequieritis rependere, faturis etiam temporibus utique promptum gerimus animum eomplacendi, aliud igitur sub obtentu nostræ gratiæ, & dilectionis non factum præsentes etiam una Civitas alteri post lecturam destinare non obmittat. Datum Zolii die 20. men. Iulii A. D. 1382.

Ludovicus &c.

Vniversis & singulis Civitatibus, terris, & locis & Castris, nec non quibuscunque ddis Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Amicis nostris carissimis salutem, & dilectionem sinceram. Considerantes diversos casus, & fluctus quibus quassatur præsentialiter navicula S. Petri, ut rationis debito obligamur, atque ev div. institutione constringimur indagare modos, & formas, quibus possimus taliter obviare periculis, quod sedes Apostolica firma maneat, ne ab incursis protervorum illicitis ruinam irreparabilem patiatur, sicque ad defensionem Sancti. in Christo Patris D. Vrbani Papæ sexti, ac Sermi. fratris nostri Domini Regis Caroli felicem statum sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ perfecti zelatoris contra exercitum Ducis Andegaven. qui nuper in Sanctæ Rom. Ecclesiæ, & prædictorum offensam venisse dicitur, contraque dictum Ducem et ejus complices, ac fautores alios etiam quoscunque, quos contingat in tali perversitate concurrere, decrevimus mittere in partes Italiæ, per mare & per terram, gentem nostram armigeram, in opportuno numero cum solemnibus & virtuosis Capitaneis, non solum

lum ut reſiſtant, ſed etiam Divina favente Iuſtitia ducant in extremum tales temerarios infideles, cum victoria in triumpho: quapropter vos, & veſtrum quemlibet requirimus, & hortamur quatenus exiſtentes prompti, ſoliciti, & conſtantes in fidelitate debita ſub Rom. Eccleſiæ præfatique ſanctiſſimi Domini Papæ, curetis omnibus modis vobis poſſibilibus contra tales Omnipotentis Dei et humani generis inimicos virile defenſionis et offenſionis aſſumere brachium, taliter quod poſſitis de veſtra fidelitate laudabili perpetuo commendari: Nos autem ad bonum et pacificum ſtatum veſtrum diligenter intendemus, et auxiliante Deo ſic cum præfato S. D. Papa ordinabimus, quod in firma defenſione manebitis, nec a quoquam poteritis ſic de cetero turbari faciliter, vel offendi. Dat. in Caſtro noſtro Ligeth d. 28. men. Iul. 1382.

Quid autem Andegavenſis in tranſitu Anconæ molitus ſit, quæque ſubſidia Carolo ex Dalmatia tranſmiſſa fuerint, aliæ Iadrenſium Epiſtolæ exprimunt.

Domino Noſtro Regi.

Sereniſſime Princeps & D. N. naturalis. Licet Anconitani ea, quæ nuper occurrerunt eiſdem, ut putamus veſtræ ſcribant Majeſtati, tamen ex debito noſtræ fidelitatis ea quæ feriatim, & per noſtrum Nun. Specialem redeuntem ab Ancona habemus veſtræ detegere per præſentes curavimus Majeſtati. Die 27. Aug. proxime præteriti Dux Andeg. cum ejus exercitu venit ad flumen Exium ab Ancona per decem milliaria latina diſtantem, cujus juſſu Anconitani Legatos deſtinarunt ad eundem, qui ab eo diſcordes redierunt, quorum relationibus intellectis Cives Anconæ ipſorum Dominas, & familiam cum habere potiori in navigia parata ad fugien. miſerunt, ipſeque Dux Comitem de Geneva conſanguineum auctoritate propria cum gente in Caſtrum Anconæ quod pro cuſtodia deſtinavit, petens ducatos centum, & viginti millia, & homagium, ultimo Anconitani dicto Duci ducatos decem & .. millia tradiderunt ejus ditioni ſe ſubdentes pacto tum habito, quod uſque ad quatuor menſes non cogat eos ad guerram, ut in ſpatio hujus termini naves ſuas cum mercantiis, quæ ſunt extra Gulfum circa decem & octo ad Civitatem reducant: unde quamvis Anconitani, ut credimus veſtram affectant Majeſtatem, tamen conſiderata immanitate perfidi Ducis, dubitamus quod dicti Anconitani inviti obſtabunt gentibus, Majeſtatis veſtræ per mare tranſeuntibus in ſubſidium D. Regis Caroli, & facient guerram contra ſubditos veſtræ Serenitatis, quæ nobis vicinis gravis erit, vel quia ipſe Dux, ſi ejus conditio deaugetur, dictum Caſtrum cum Civitate vendet Venetis, niſi dextera Dei ad oppoſitum ſe extendat; præfatus vero Dux cum ſuo exercitu die 2. Menſis intrantis movit de territorio Anconæ, & per terram Domini Rodulphi de Camino adhærentis d. Duci verſus Apuliam rebello dicti Domini Regis direxit greſſus ſuos, inde verſus Neapolim. Penſata equidem potentia dicti Ducis, & conſiderato ejus obſtaculo in his partibus fertur, & communiter omnium opinione comprobatur, conditionem d. D. Regis Caroli eſſe ſatis debilem, niſi celere ſubſidium a Veſtra habeat Majeſtate, quo viſo non dubitamus, quod plures Italici amici veſtræ Majeſtatis, & d. D. R. Caroli in ſervitium & favorem ipſius D. Regis cum dicto ſubſidio eorum potentiam hilariter extendent, & ſic ſalus veſtraque ſpes victoriæ, & vita dicti Domini Regis Caroli in veſtra conſiſtit Majeſtate: Noſque prout a veſtra Majeſtate habuimus in mandatis, & ſicut per dictum D. Regem Carolum literatorie fuimus, requiſiti unam galeam bene armatam, in qua Dominus Banus cum ejus militibus honorifice tranſit ad Civitatem Baroli. Ad quam Civitatem equos & armigeros præmiſit in ſervitium, & favorem dicti Domini Regis præſentialiter deſtinare, recommendat ſe ad pedes veſtræ Majeſtatis. Datum 9. Septembris.

Domino Regi Carolo. Sereniſſime Princeps & D. noſter Gratioſiſſime. Receptis litteris Majeſtatis Veſtræ, cujus augumentum, & honorem tota cordis affectione zelamus, confeſtim providimus armare unam galeam ituram cum aſſenſu D. N. R. in Veſtræ Serenitatis ſervitium, & favorem, habitaque hoc ſuper reſponſione a dicto D. N. Rege dictam galeam expedivimus velocius quam potuimus, & ecce ipſam ferentem D. Suricum Banum ad Civitatem Baroli, & eius milites ad V. M. Servitium, bene armatam deſtinamus. Secundam Hominibus nempe dictæ galeæ poſſe noſtrum extenditur ſolvimus ſtipendium pro uno menſe, uti alias Veſtræ ſcripſimus Majeſtati, nec ultra hoc pro nunc facere potuimus gravati maximis expenſis: Quas ſuſtinuimus in guerra proxime præterita, ac obſtantibus nobis debitis, nimiiſque expenſis, quas facimus in operibus elevationis murorum, ac munitione hujus Civitatis, quæ tam ex injunctis nobis per D. N. Regem, quibus ex cauſis evidentiſſimis aliqualiter relinquere non valemus: Verum eſt quod Dux Andegau. cujus nomine caſtrum Anconæ cuſtoditur pridie, uti veſtram Majeſtatem non latere putamus, dictam Civitatem Anconæ ſuæ ſubdidit ditioni, credimus quod Anconitani licet coacti obſtabunt permare gentibus D. N. Regis in Veſtræ Majeſtatis ſubſidium acceſſuris; videtur nobis in caſu quo Veſtræ placeret Majeſtati quod dicta noſtra galea in Gulfo ad ſervitia veſtræ Serenitatis cauſa obſtandi dictis Anco & aliis æmulis, ſi qui forent, permaneret, cum nimium obſtaculum abhinc per mare mutum derogare haberet tranſitum gentium prædictarum: Nihilominus V. Majeſtas mittat ipſam galeam ad partes, ad quas eidem Majeſtati utilius ſervire poterit, ſuper quo dignetur Veſtra Majeſtas nobis reſcribere & Nob. V. E. . . . de Varicas, vocato Galo civi noſtro patrono dictæ galeæ, qui cum dicta galea præſtolabitur veſtrum reſponſum in mandatis id, quod V. M. procedet voluntate: Cui patrono dedimus in commiſſis, ut, cum-galea prædicta facere teneatur & debeat omnia quæ V. Serinitas imperabit eidem, diſpoſiti ſemper, & parati ad omnia ſervitia, & honores V. Celſitudinis Generoſæ cui tam humiliter, quam devote nos & urbem iſtam recommendamus Majeſtatis Veſtræ devoti ſervitores, Vicarius, Rectores, Conſilium, & Commune Civitat. Iadræ, ubi datum X. Septembris Anno 1382.

Ex quibus apparet Ludovico ægrotante, Eliſabetham ejus uxorem tunc Regni negotia procuraſſe, cum ex eiſdem Epiſtolarum fragmentis conſtet, tunc duplices Epiſtolas ejuſdem tenoris ſcribi ſolitas, Regi ſcilicet, & Reginæ

Elisabethæ, quæ usque quo mater Regis Elisabeth vixit, junior dicta fuit, ut ex opere vere Regio Iadræ existenti, arca scilicet argentea, in qua corpus S. Simeonis justi adhuc integrum visitur, variis figuris exornata, totaque intus, & foris inaurata apparet, in cujus parte postica extat talis Inscriptio.

Simeon hic justus Christum de Virgine natum.
Ulnis qui tenuit, hac arca pace quiescit.

Ungariæ Regina potens Illustris & alta
Elizabeth junior quam voto contulit almo.

Anno milleno treceno octuageno.
Hoc opus fecit Franc. de Mediolano.

CAPUT II.

De Caroli Regis Coronatione & morte Reginarumque captivitate.

Ludovicus ex morbo, quo annum amplius conflictatus est, diem suum obiit XII. Septembris 1382. cui Maria filia succesſit, ut Vngarici referunt scriptores, cum quibus concordat Paulus de Paulo.

1382. *Die 12. Sept. in aurora obiit Serenissimus Princeps Ludovicus Rex Vng. & hoc in Ternovia, unde translatum fuit corpus ejus in Albam Regalem, ubi 16. mensis fuit sepultum, deinde cras hora tertiarum vid. 17. mensis præsentis D. Maria filia senior antedicti Regis in Civitate prædicta coronata fuit in Regem, in cujus coronatione multi milites facti sunt.*

Mariamque, non Reginam, sed Regem nuncupatam historici cum Paulo conveniunt, ejusque nomine Privilegia scripta reperiuntur; Elisabeth tamen ejus mater negotia procurabat, prout fecerat, ex quo Ludovicus, ægrotare cœpit, proprioque nomine imperabat, ut ex pluribus Epistolis constat, quas Reginas scilicet Matrem, & filiam duobus annis quiete regnare permissas, scriptores referunt: exinde vero Paulum Zagabrien. Episcopum Steph. Vaivodam Transil. ejusque fratrem Andream Stephanum de Symonthornia Ioan. de Korvat, & Io. Priorem Auranæ fæmineum regimen fastidientes, nimiaque potentia Nicolai Garæ Palatini offensos conspirasse, & Carolo III. Regi Neap. Ungaricum Regnum obtulisse; Episcopumque Zagrabiæ, obtentu Romam eundi, clam Carolum adiisse, & cum eodem Segniam delatum, Zagrabiam venisse, ibique paululum substitisse, deinde Budam venisse, Reginas circumvenisse, Coronaque Ungarica redimitum, tandem a Blasio Forgach vulneratum. Vissegradi obiisse, cadaverque ejus diu in claustro Sancti Andreæ insepultum jacuisse tradunt.

Thuur. Bonfin.

Sed cum ex tam brevi narratione res gestæ percipi non possint, pro earum clariori intelligentia operæ pretium est aliqua ex monumentis Dalmaticis afferre: ubi enim primum Regem obuisse auditum est, Comites Breberienses, & Corbaviæ opera Iadrensium obsequium Reginis obtulerunt; ipsi vero Iadren. Archiepiscopum & duos Legatos ad easdem destinarunt.

Script. Iad. 6. Octobr. Memoriale Pauli 8. Octobr.

Serenissima & Excellentissima Princeps, & Domina nostra naturalis, mittimus ad V. Majestatis conspectum fideles nostros Nobb. viros Andream de Grisogonis & Marinum de Orranis concives & Ambas. nostros præsentium portatores, quibus commisimus, ut una cum Reu. in Christo Patre D. Petro Archiepiscopo Iadren: In Curiam Serenitatis V. pro ejus propriis negotiis accedente, quem super his specialiter rogavimus, Legationes ipsis impositas Majestati V. debeant suppliciter explicare; quapropter eidem Majestati supplicamus, quatenus dignemini relationibus dicti D. Archiepiscopi & Ambasciatorum nostri parte fiendis, fidem, credulitatemque fidelitati nostræ adhibere Dat. Iadræ X. Octob. Indictione 6.

Similes conscriptæ.
D. Marchioni Brandeburgen.
D. Duci Opulen.
D. Cardinali.
D. Palatino.
D. Episcopo Quinque Ecclesien.
D. Zagrabien.
D. Nicolao de Zeech.
D. Gregorio Bubech.
D. Petro Bano.
D. Stephano Vayvodæ.

Cum autem in eorum numero, ad quos, ut apparet exemplum hujus Epistolæ missum est, Episcopus Zagrab. & Stephanus Vaivoda fuerint (qui ambo a Reginis postea defecerunt) non vulgarem auctoritatem illorum in Aula fuisse constat: Quietas tamen res in Dalmatia & Croatia non fuisse argumento sit Epistola Reginæ Elisabeth Dalmatis scripta; Quæ donec vixit altera Elisabeth mater defuncti Regis junior dicta fuit, sed ea mortua, Mariaque filia coronata, senioris vocabulo appellari cœpit.

Elisabeth D. G. R. Ung. Pol. Dal. & c. fidelibus suis Rectoribus consulibus & Communi Civitatum nostrarum de Iadra, Sibenico, de Trag. de Spalato, & de Nona, ac aliarum in Regnis Dal. & Croatiæ constitutarum Salutem & gratiam. Noveritis quod nos Mag. Iohannem Bissenum Comitem Vespmum. in quibusdam nostris, & Regni nostri negotiis, & agendis plene de nostra intentione informatum ad vestram fidelitatem decrevimus destinan. Quare vestram fidelitatem petimus, & eidem mandamus, quatenus verbis & dictis præfati magistri Iohannis Bisseni ex parte nostra a vobis referendis fidem adhibeat crediturum,

dituram, secus pro nostra gratia non facturi. Datum Nitriæ 25. die mensis Octob. A. D. 1382.
Cui Iadrenses responderunt.

Dominæ Reginæ Seniori.

Serenissima &c. Veniens ad nos pro parte Majestatis Vestræ Magus Vir Magister Ioannes Bisseno legationes Serenitatis Vestræ eidem impositas virtute litterarum Excellentiæ vestræ credential. nobis prudenter, & facunde exposuit, præsertim a fidelitate nostra super quibusdam conservationem harum partium concernentibus consilium expetendo, quibus quidem reverenter, & procliviter auditis, & intellectis, ac mature ruminatis, licet nostra modica facultas ad tantum non extendatur, tamen ex debito nostræ fidelitatis eidem diximus ad singula. Pro ut nobis pro honore M. V. & Sacri diadematis Ungariæ, ac pro salubriori conservatione harum partium visum fuit, & sicut ipse, qui hoc instanti de Iadra versus alias Civitates Dalmatiæ iter arripuit Majestati vestræ plenius explicabit. Datum Iadræ die 2. Xbris. 1382.

Ex qua Epistola deprehenditur animus Reginæ variis curis solicitus, ex Iadrensium autem responso suspiciones quædam in partibus maritimis indicantur, qua de causa ab ipsis quoque Iadrensibus (quamvis per relatos Amb. jam Regi Mariæ obsequium professi essent) juramentum fidelitatis exactum fuit, ut Paulus refert & plenius ex ejusdem regesto patet.

Illustrissimis & Excellentissimis Regibus & Dominabus nostris D. Elisabeth D. G. Reginæ Ung. Pol. Dal. & D. Mariæ eadem G. R. Ung. Dal. Croat. &c. Majestatum vestrarum fideliss. Frater Thomas de Rosa Dei & Apostolicæ sedis gratia Abbas Mon. Sti. Grisogoni, Ottonellus de Discalciis de Padua ll. Doctor. Vicarius, ac Iohannes de Slorado, Saladinus de Saladinis, et Augustinus de Zigalis Rectores, nec non Consilium majus et grande Communeque vestræ Civ. Iadren. recommendationem humilem et proclivam Majestatibus VV. gratissimis nobis ad gaudium immensum transmissis reverentia qua decuit receptis, ipsisque publice ad intelligentiam omnium astantium perlectis in continenti exultanti animo, avidaque affectione parati omnes tunc in dicta vestra Civ. Iadræ nobiles cives reperti secundum formam dictarum Serenitatum vestrarum literarum in manibus Venet. et Egregii viri D. Nicolai Præpositi Ecclesiæ Sancti Petri de Posega Licentiati in jure. Can. dignissimi, Capellanique specialis Exell. VV. nec non Magnifici V. D. Detrici Bubel locum tenentis Magnifici D. D. Emerici Bubel Regnorum vestrorum prædictorum Dal. et Croat. Bani nunciorum et Ambass. M. M. VV. specialiter destinatorum et deputatorum acceptantium, et recipientium tam nomine Mtum. VV. quam vice et nomine Serenissimæ et Excellentissimæ Principis et D N. naturalis Dominæ Heduigæ inclitæ natæ junioris glorioſissimæ memoriæ q. Serenissimi Principis et D. N. Naturalis D. Lud. R. Ung. Pol. Dal. etc. Illustris sicut Altissimo placuit absque prole masculina de medio sublati successorumque vestrorum, et ejusdem Illustris D. Heduigæ jure naturæ et successorio, ac ordine genituræ, seu debitæ successionis in dicto Regno Hung. succedentium pariter et Sacræ Coronæ Hung. prædictæ solemniter et debitæ in signum veræ, ac debitæ subjectionis juramentum debitæ fidelitatis, et homagii perpetuo inviolabiliter observandum præstavimus, et juramento sigillatim ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tactis Sacrosanctis Evangeliis et scripturis omnem fidelitatem, & subjectionem, nec non reverentiam pariter et honorem humiliter exhibere omnem legalitatem, fidelitatisque constantiam et obedientiam perpetuam effectualiter obtinere, omnem prosperitatem, commoditatem, utilitatem, statusque et personarum ac Regni præsertim Hung. augumentationem omnimodam peroptare, omnem conspirationem, conjurationem, proditionem tractatuum, et alia quæcunque tendentia ad læsionem, vel detrimentum, aut diminutionem aliqualem honoris, status, vel personarum cum ad nostram et cujuslibet nostrorum notitiam pervenerit, pro ut citius fieri poterit revelare, eisdemque totis viribus et posse obviare effectualiter pariter et resistere, et insuper omnia alia, et singula facere, adimplere, quæ quilibet boni, veri, fideles, legalesque nobiles cives et subditi facere, et adimplere tenentur et debent. Promittentes Nunciis et Ambas. prædictis acceptan. et recipien. nn. qq. sa. præmissa omnia et singula integraliter observare adimplere et contrafac. vel venire, palam vel occulte quovis ingenio vel occasione sub indignatione Dei omnipotentis et omnium Serenissimarum ejus ac Majestatum ac Sacræ Coronæ Hung. prædictarum nomina autem illa, qui nobiscum Abbate Vic. ac Rectoribus prædictis juraverunt et prom. ut supra sunt hæc videlicet D. Paulus de Georgiis Regius Miles Comesque Civit. uu. Siben. et Castri, Ioannes de Petriz etc.

Datum Iadræ in Palatio Comitatus die 2. men. Februarii Anno Incarnationis Domini 1382. Indic. 6.

Paulus vero in suo memoriali scriptum reliquit.

1382. *die 2. Feb. D. Nicolaus Præpositus de Pascua, et D. Detricus Rubius in consilio generali, in quo fuerunt Consil. 78 transmissi pro parte Sereniss. RR. senioris et junioris Ung. videlicet Eliz. et Mariæ receperunt a singulis nostrum in dicto Consilio existentium juramentum homagii et fidelitatis antedictis RR. DD. super Sancta quatuor Evangelia tacto Missali.* Posega.

1383. *die 8. men. Feb. fuit rixa inter Iadren. et Ung. qui debebant transfretari in Apuliam in subsidium R. Caroli cum Ioanne Bano, et nepote dicti Prioris Aurenæ.*

Die 19. prædictorum anni et mensis defenderunt Iadren. bladum, carnes, et cæteras alias res, quas antedicti Ungari deprædati erant in villis Iadren. et hoc fuit in campo Archiepiscopatus prope arcum.

1383. *die 1. Aug. applicuit Iadram. B. vid. D. Stephanus Lazchovich. Eodem anno die 24. Octobris applicuit Iadram D. Elis. Regina Ung. Senior, et D. Maria Regina junior, et D. soror Draga soror sua cum cæteris Prælatis, et Baronibus eorum vid. . . cum Cardinali Episcopo V. Eccl. C. . . no Bez Ban. et Henrico Lazchovich B. nostro et multis aliis.*

Eodem anno die 28. Octob. Castrum Auranæ reddidit se quod modicum prius rebellaverat jussu Ioannis de Palisna olim Prioris Vranæ.

Eodem anno & menſe die ultimo D. Regina antedicta præcepit D. Henrico Bano Prædicto ut acciperet unam clavem arcæ argenteæ ſuper arcam S. Simonis prædicti.

Eodem anno die 4. Novem. receſſerunt a Iadræ antedicta Regina cum Prælatis & Baronibus ſupraſcriptis euntes Auranam.

Eodem anno die 16. men. Novem. D. Vladislavus Caſtellanus & Vic. Iadræ præſentavit nobis pro parte DD. Reginarum antedictarum clavem arcæ S. Simeonis, ut per Regimen ſervaretur, & data fuit mihi Paulo de Paulo tunc Rectori prædicta clavis, ita quod primus Rector qui incepit ſervare dictam clavem m^to. DD. RR. prædictarum ego fui.

Ex quibus apparet, Reginas ſubſidia quidem Regi Carolo tranſmittere perrexiſſe, ſed Ioannem de Hericart, vel de Paliſna (quem de Horvati Scriptores dicunt) jam tum novas res molitum, qua de cauſa Reginas Iadram veniſſe, Auranamque, quæ obſequium detractabat recepiſſe, cujus autem partes tunc Paliſna ſecutus ſit, nuſquam apparet quietas tamen res etiam poſt Reginarum, diſceſſum in Dalmatia non fuiſſe arguunt ea, quæ idem Paulus refert.

1384. *die 15. Madii applicuit Iadram novus Banus D. Comes Thomaſius de Sancto Georgio.*

1384. *die 8. men. Iulii revelata fuit proditio, quam volebant facere Zaninius Draperius, Dancarolus cognatus ejus, & Petrus Francalanca, una cum Miſcolo Miletich. die XI. dicti menſis prædicti Zanetus, Drancarolus, & Petrus in hora tertiarum fuerunt traſſinati per Civitatem, & capita eorum fuerunt amputata in platea Iadræ, & corpora ipſorum ſeparata a capitibus, ibi ſteterunt per totam diem uſque ad veſperas. Die 18. dicti men. creati fuerunt Iudices inter & creditores dictorum proditorum ſ Ioannes de Petrizo, ſ Damianus de Regna, & ego Paulus d Paulo, quibus data fuit auctoritas vendendi bona eorum & ſolvendi creditoribus.*

1384. *die 18 men. Iulii contracta fuit unitas inter D. Thomam de Sancto Georgio Dalma. et Croat. Banum, & Commune Civ. Iadræ ſemper ad fidelitatem Coronæ S. R. Vng. & DD. NN. RR. vel D. Mariæ R. Ung. D Eduigæ ſororis ejus, ac D. Elizabeth matris earum, quæ unio fuit firmata Sacramento præſtito die eodem ſuper* Sanctæ. *brachio S. Griſogoni Martyris, & alias res, quas ſuper altari in Eccleſia Barbaræ per ipſum D. Banum corporaliter & per ſ Saladinum de Saladinis Franciſcum de Cedul. & Coxam de Begna Rectores Iadræ cum 23. nobilibus de Conſilio dictæ Civ. totius Communitatis noſtræ.*

Ex quibus ſicuti Stephani Lazovich (quem ex Wayvoda Tranſilvano Banum Dal. & Croatiæ Elizabeth inſtituerat) mutatio, ejuſdem a Reginis alienationem, conſenſumque cum Paliſna arguit, ita repetita juramenti exactio, ſuſpiciones Reginarum auctas indicat, & cum in ambabus Eduigis quoque nomine exactum fuerit juramentum, ideo ſucceſſionem Ludovici filiabus ab aliquo inſidiatam fuiſſe conjici poteſt, quod de alio, quam de Carolo III. Neap. Rege, qui unicus ex maſcula prole Caroli II. ſuperſtes erat, præſumi non poteſt; cum Ludovicus ipſe quoque idem ſuſpicatus ſit, qui antequam eundem Carolum ex Ungaria dimitteret ſacramento obſtrinxerat Ung. & Poloniæ Regna non affectaturum, ut ex Thed. a Niem refert 1381. n. 1. Rain. Primas ergo turbas in Dalm. & Croatia Paliſnam, qui cum Carolo militaverat moviſſe dicendum eſt, quas Reginæ advenientes ſuppreſſerunt, Carolumque tunc ab Andegaven. impeditum, nihil movere auſum, ſed aliis atque aliis Baronibus, quos ſupremus favor Palatini a gratia Regia extrudebat, Paliſnæ accedentibus, cum interim Carolus Andegavenſem obſediſſet, majoremque Regni Partem recuperaſſet ſupplicium de proditoribus Iadræ ſumptum a Paulo memoratum, conjuratos, ut aditum Carolo Regi pararent, Iadram intercipere tentaſſe arguit, qua non ſuccedente Epiſcopum Zagrab. clam profectum Carolum evocaſſe, ut ſcriptores referunt, dicendum eſt: Carolus autem rerum Ungaricarum conſcius, cum Iadram (ob arcem quæ a Reginali præſidio detinebatur) appellere auſus non ſit, Segniam delatus in Croatia, ubi Banatum exercuerat ſubſtitit, eumque conjurati ſibi omnia proſpera nunciarent, Budam venit, Reginas circumvenit, coronatusque Albæ fuit, in Dalmatia tamen pro Rege habitus non eſt, nomenque Reginæ Mariæ continuatum fuit, ſed cum Regnare non permitteretur pro Regnante *impedita Regina Maria* ſcriptura Spaleti 1385. 13. Octob. exprimit; Paulus autem de Caroli adventu, coronatione, & morte nihil ſcriptum reliquit. Careſinus vero rem breviter tradit.

Eliſabeth Regina Uxor q. dicti Regis Ludovici una cum Maria filia ejus Regimen Hung. gubernabat, quæ quidem Maria appellatur Rex Hung. &c. Iam dictus Carolus ad ſuaſionem Hungarorum, & Dalmatiorum non contentantium ſe de regimine Mariæ ſupradictæ & Sigiſ. ſponſi ejus, ſe transtulit cum duabus galeis ad partes Dalmatiæ, inde in Hungariam, ubi extitit de eodem Regno diro omine coronatus. Nam paucis diebus interjectis in Camera præfatarum Reginarum confidenter exiſtens, fuit a quodam nequam lethaliter gladio in capite vulneratus. Tandem amiſſo oculo, vitam retinebat, quæ quomodocunque fuerit, extitit ſibi immaniter ablata; ſic non contentus uno Regno utrumque cum vita amiſit.

Ex quibus concludi poteſt quod quamvis nulla Civitas Dalmatica publico nomine Caroli nomen coluerit, plures tamen Dalmatas eidem adhæſiſſe ex Caraſim dictis, relataque a Paulo proditione detecta, & ſubſequenter nominibus eorum, qui poſt mortem Caroli in Apulia cum Bano aufugerunt, ut mox referetur.

Mortuo Carolo cum Reginæ timorem excuſſiſſent, ad inferiora Regni ordi-

Script. Trag. 1388. 15. *Iunii.*

nanda

nanda se convertunt, solitis Aulicis comitantibus, cumque prope Diacum pervenissent a Ioanne Horvati Bano captas Nicolao Palatino, & Blasio Forgach capitibus amputatis Elisabetham in Bozotam amnem demersam, Mariam vero in Croatiæ Castello Crupa nuncupato deportatam, tandem ab eodem Bano dimissam ad sponsum Sigismundum (qui hoc interim, e Bohemia redux, Budam occupaverat) rediisse an. 1386. Scriptores Ungarici uniformes referunt; captivitatem quidem Reginarum Palatinique & Forgacii necem Caresinus quoque refert; de Elisabethæ autem submersione locoque captivitatis Mariæ, ejusdemque liberationis modo, & tempore discrepat, nam loco relato sequitur.

Exiguo lapso tempore dum ipsa Regina Elisabeth cum Rege Maria filia sua, & cum Nicolao Magno Comite Palatino, & aliqua Comitiva descenderet ad partes Dalmatiæ fuit per insidias a Ioanne Bano & priore Auraniæ fratre suo aliisque complicibus rebellibus capta cum filia, captis, & partim occisis Baronibus & gentibus comitantibus eas, inter quas gladio extinctus fuit idem Nicolaus Magnus Comes Palat. ductis captis matre & filia apud Iadram. Subsequenter ipsa Regina Elisabeth extitit in carcere proh dolor interfecta. Rex autem Maria diu detenta fuit in carcere Castrinovi per eosdem Ioannem B. & Priorem Auran. fratres, intendentes eam Neapolim transportare, ut in fortiam Margarithæ uxoris olim dicti Caroli, qua in ipsius Mariæ necem cupidissime anhelabat. Regnum Hungariæ magno turbine versabatur. Ducale Dominium omissis notabilissimis injuriis, ac molestiis sibi per Ludovicum olim Hung. Regem indebite & injuste illatis, abhorrens ex propria virtute execrabilem nequitiam, & læsæ Majestatis crimen commissa per vasallos contra eorum dominos naturales, providit mittere nob. V. Pantaleonem Barbo Ambasciatorem in Hungariam adhortando Barones ad constantiam Coronæ, cujus longa mora utilissima fuit ad reformationem Regni, nam sapientissime se gessit cum honore Coronæ, ac Ducalis Dominii. Tandem suis pertinentissimis, & evidentissimis rationibus induxit Barones ad coronandum in Regem Hung. Prælibatum Sigismundum Regis Mariæ detentæ maritum. & sic 1387 ultimo Martii in Dominica Palmarum extitit in Alba Regali ante Atare Beatissimæ Mariæ diademate solemnissime coronatus, qui in ipsa coronatione, motu proprio, eundem Panthaleonem militari cingulo merito exornavit. Rex itaque atque Regnum diu laboravit pro Regis Mariæ liberatione, sed omnia remedia penitus erant invalida, nisi fuisset benignitas Ducalisque Venet. potentia; quæ misit N. V. Ioannem Barbadico Capitaneum cum Galeis optime armatis, qui diligentissime non solum attentissimam custodiam maritimam adhibuit, ne ipsa Rex Maria transveherentur, verum etiam potenter descendens in terram, adeo expugnavit & arctavit ipsum Priorem Auranæ, quod per vim coegit eum ad restituendum ipsam, quam super galeis duxit segnam a carceribus & morte turpissima liberatam, ipsa vero in signum perpetuæ charitatis omnino voluit eundem Io. Barbadico Capitaneum qui tam strenue laboraverat pro eadem militari cingulo insignire. Ipse quoque Capitaneus se transferens cum galeis ad castrum Scardonæ per rebelles Coronæ occupatum, quamvis inexpugnabile foret, & gentibus multis fulcitum, ipsum obtinuit per vim belli, assignando ipsum Regiæ & Reginali Majestati. Ducalis Excellentia ad dictas Majestates sex Ambasciatores solemnes scil. NN. VV. Leonardum Dandulo militem procuratorem S. Marci, Iacobum Delphino militem, Paulum Mauroceno, Petrum Bragadino, Marinum Maripetro, & Remigium Superantio ad congratulandum de Reginali libera ione transmisit. qua quidem congratulatione die Iovis 19. Iunii 1387. facta, & dignissime accepta, quatuor ex eis juxta ordinem datum Venetias revertuntur, remanentibus duobus ex eis scilicet Leonardo, Dandulo & Paulo Mauroceno ad sociandum Reginalem Majestatem usque ad Serenissimum D. Regem. Primo igitur Iulii subsequentis sociarunt eam usque Ysagabriam, ubi invenerunt Dominum Regem, & eundem Panthaleonem Barbo militem qui venerant obviam Reginali Majestati. Celebrata quoque ibi magna solemnitate, ipse D. Rex jam dictum Dominum Paulum Mauroceno ad honorem militiæ sublimavit, subsequente Regia & Reginali Excellentia, ipsique tres Ambasciatores scilicet Leon. Dand. Paul. Maur. & Pantaleo Barbo milites, Budam cum eximia lætitia pervenerunt de statu & quiete Regni sapientissime providentes.

Quibus consentit Paulus de Paulo.

Die 13. Ianuarii 1387. (Banus) recessit & die 16. ejusdem mensis reversus est Iadram, eodem die hoc est 16. Ianuarii applicuit novum quod Domina Regina senior obiit in Castro Novigradi in captivitate. Die 22. mense Februarii Dominus Episcopus Sagabriensis, & C. Thomas frater Domini Prioris, & Bani iter arripuerunt versus Apuliam cum quibus ivit Dominus Paulus de Gregoriis & cæteri alii Nobiles de Iadra & cras die sequenti recessit versus Croatiam D. Ioannes Banus.

1387. die Sabbati 9. Februari fertur, quod corpus prædictæ Dominæ Reginæ fuit portatum Iadram, & repositum in Monasterio Sancti Grisogonii. Eodem anno die 5. Martii hora tertiarum fuit in Iadra terræmotus magnus.

1387. die 4. mensis Iunii de mane Serenissima Princeps & Domina nostra naturalis Domina Maria Regina Ungariæ liberata fuit a captivitate, & exivit de castro Novigradi in quo detinebatur & die Veneris sequentis ivi ad eam Nonam, & die crastina die Sabbathi locutus fui Majestati suæ, & die Lunæ immediate recessi a Nona licentiatus ab ea, postea die Sabbathi inde sequentis die scilicet 15. prædicti mensis recessit a Nona cum galeis Venetorum & applicuit Segniam, cras die Dominico, unde recessit die Lunæ prima Iulii, & die Iovis in nomine Sanctæ Trinitatis conjunxit se cum Rege Illustri consorte ejus.

Quæ de coronatione Sigismundi refert Caresinus, ea comprobantur per

plura Privilegia a Sigismundo concessa, in quibus annos Regni Ungariæ exprimit, ut per epistolam ejusdem statim post coronationem datam quæ talis est.

Sigismundus Dei Gratia Hungariæ Dal. Croatiæ &c. ac Marchio Brandeburgensis fidelibus suis universis Nobilibus & alterius conditionis hominibus in Regnis nostris Dalmatiæ & Croatiæ existentibus salutem & gratiam. Fideles nostri dilecti, licet Ioannes de Hericart pridem Banus & Ioannes . . . & gerens se pro Priore Auranmæ sacræ Coronæ & Regni Hungariæ & nostræ Majestatis speciales Æmuli in Regnis nostris grandia hactenus commisissent scelera, & jam ut communis asserit relatio se perpetrare quod non credimus disponunt. Tamen altissimo annuente in brevi una cum fidelibus nostris Prælatis, & Baronibus Regni Hungariæ delib. opportuna adhibere obstacula, & tales nostros rebelles de eorum protervia, digne emendare, qua re requirimus vestræ fidelitatis universitates vobisque serioſius committentes quatenus in fidelitate qua hactenus sacrorum Regum tempore vestri prædecessores ac etiam vos fideles fuistis & adhuc vos esse firmiter speramus, persistere debeatis, eisdem ipsis æmulis viriliter resistendo, de quo vobis, & cuilibet vestrum volumus generosius reminisci. Datum Budæ in die Cœnæ Domini Anno D. 1387.

Receptæ die 14. Maji.

Quæ vero de Maria e captivitate Castri Novigradi liberata Nonam venisse ambo asserunt, ejusdem Epistola data Luchæ loco inter Novigradum & Nonam sito comprobat.

Nos Maria D. G. Regina Ung. D. Cro. &c. vobis fidelibus nostris dilectis Comitibus Civitatum nostrarum Sibenici, Spalat. & Trag. Salutem & gratiam. Quia ad vestram fidelitatem duximus transmittendum Nob. V. Thomas Sovich de Sibenico pro aliquibus nostris Legationibus per ipsum vobis exponendis, cui fidem plenissimam adhibeatis. Datum Luchæ in villa Dolac die 4. mens. Iunii 1387. sub sigillo Butcho Comitis Corbaviæ Curiæ nostræ Magistri Ospatini his propterea studuimus facere sigillari sigilli prædicti Ospatini Curiæ nostræ quia ad præsens sigillo caremus.

Receptæ die 6. Iunii.

Ex suprarelatis ergo apparet Reginas captivas Novigradum ductas, ibique seniorem mortuam, vel necatam, indeque Mariam Nonam primo, deinde Segniam, & inde in Ungariam anno 1387. perveniſſe, non anno præcedenti, ut Ungarici referunt Scriptores.

Quid autem Dalmatæ ante liberationem Reginæ egerint, in patriæ chronico declaratur, postea vero quamvis Sigiſ. Regio nomine uteretur, a Dalmatis tamen pro Rege non habebatur; nam Marchionem, & maritum Reginæ Mariæ tabulæ publicæ anni 1387. diei 28. Octobris exprimunt, at communicata eidem ab uxore Corona, Sigismundum simul cum Maria Regnare scribi cœptum est die 21. Decembris ejusdem anni. Hæc de Reginarum captivitate & Mariæ liberatione memoriæ reperiuntur.

Quod autem Caresinus de Bano qui Mariam Neapolim transportare voluerit, tradit, id inverisimile non est; nam capita Palatino & Forgachio amputata eodem missa fuisse Hector Pignatellus in suis diariis scriptum reliquit.

Regem quoque Bosnæ Mariam inquietasse, & a Sigismundo aliquas Civitates Dalmaticas avertisse scripturæ Dalmaticæ docent.

Ideo quomodo Bosna in Regnum evecta fuerit, quæque regiones in Regno Bosnensi comprehenderentur, indagare oportet.

CAPUT III.

De Regibus Bosnæ Rebusque ab eisdem in Dalmatia & Croatia attentatis.

DAlmatiæ partem Orientalem Serblos occupasse, ab eisdemque Serbliam, sive Serviam nuncupatam, jurisque Imperii Orientalis fuisse relatum est lib. primo cap. 12. & 15. quam sicuti Drinus fluvius in Scardo monte ortus & in Savum influens mediam fere secat, ita partem Occidentalem Bosnam dictam Ioannes Cinnamus testatur lib. 3.

Ad Savum cum venisset (scilicet Emanuel Imperator) ad illud inde flumen deflectit nomine Drunam quod superiori e loco factis ostiis Bostnam a reliqua Servia dividit, cæterum Bostna imperio non subest Serviæ Archizupano, sed gens tum temporis moribus suoque magistratu agebat. Ab antiquo tamen Bosna erat tantum ea regio mediterranea per quam Bosna flumen labitur, & in Savum influit, de qua Const. Porphir.

Drinum.

De adm. Imp. C. 32. De Serblis. In agro vero Bosonæ Catera & Desnec quam sicuti ab Imperio Orientali avulsam testatur idem Cinnamus, ita quomodo ad illas circumvicinas regiones extensa, maritimam quoque Occidentalem partem Serviæ complexa, Regnum Bosnæ dicta fuerit, nemo tradit; sed cum in eadem parte maritima flumen Rama in Naronem influens, regioni per quam labitur nomen det, quam sicuti ab an. 1138. Belam Cœcum Ung. Regem possedisse, Ramæque titulo successores ejus usos constat, ita eandem Ungari in sui potestatem redigere non poterant, nisi intermedias Bosnam in mediteraneis, vel Chulmiam in maritimis Croatiæ conterminas prius habuerint: Chulmiam autem posterioribus temporibus

Privil. R.R. Ung.

An-

Andream tunc Dal. & Croatiæ Ducem
lib. 4. cap. 2. acquisiviſſe ex relatis conſtat ; ideo Boſnam in Ramæ titulo incluſam fuiſſe dicendum eſt, cum ejus pars ſuperior vulgari vocabulo Slavonico Varboſanie dicta eidem contermina ſit, quod ab eodem Cinnamo elicitur, nam libro 3. ait.

His cognitis rebus, ſimulque intellecto Boritzen Boſthnæ regionis Dalmaticæ Exarchum, qui ſocius in bello fuerat Peonarchæ in ſuam redire ditionem Imperator fortiſſimos militum delectos ad conſervandas cum Boritze manus dimittit.

Ex quibus dignoſcitur Boſnenſem Exarchum Ungarici juris fuiſſe, antequam Andreas Chulmiam acquireret, idque Thuuroz confirmare videtur, qui de geſtis Sigiſm. Regis Ung. cap. 65. Boſnam ab Ungaris Ramam vocari ſcribit. Hanc Bani ſive Duces rexere, nam Culini Bani Boſnæ meminit Innoc. III. Ni-
Rain. 1200. n. 46. noſlavi Archidiaconus Spalat. Bela frater Stephani IV. deinde Eliſabetha
cap. 47. Rain. quoque mater Ladislavi Cunni Regum Ungariæ Ducatus titulo habuerunt, ſed
1171 n 31 eodem Ladislavo occiſo, dum de Coro-
1280. n. 8 na Ungarica diſceptabatur, Stephanus
1301. Rex Raſciæ Boſnam occupavit, quam
n. 43. deinde Paulus Banus Dal. & Croatiæ, Carolo Regi Ung. recuperavit, Banique titulo ipſe & filius ejus Mladininus habuit, uſque quo ab eodem Rege Mladinus depoſitus captusque fuit, ut relatum eſt. Stephanus deinde in Banatu ſuc-
lib. 4. cap. 13. ceſſit, qui cum habuerit uxorem Eliſabetham ex ſanguine Regio Poloniæ, ob idque affinis Regi Carolo, (qui aliam Eliſabetham Ladislavi Loctici Regis Poloniæ filiam uxorem habebat, effectus eſt, Boſnam titulo liberi Principatus poſſedit, ut ex Epiſtola, quam eidem Tragurienſes ſcripſere apparet, cujus inſcriptio talis eſt.

Magno & potenti Damino, Domino Stephano Libero Principi & Domino Boſnæ, Uſſoræ, Salæ, & plurium aliorum locorum atque Chelmi Comiti 1326. 10. *Iunii.*


Quæ nomina cum totam fere partem Serviæ Occidentalem citra Drinum comprehendant, abinde eandem partem Serviæ ſolius Boſnæ nomine dictam fuiſſe conjici poteſt, quamvis ipſe Stephanus dictis titulis uteretur, ut videre eſt in conceſſione Stagni & Peninſulæ Neſti Raguſinis facta ab eo, tamquam Chul-
1333. miæ domino; Regni tamen Ungarici be-
15. Febr. neficiarium fuiſſe ex pluribus Epiſtolis Pontificiis a Rainaldo, & Wadingo traditis conſtat, qui relatis ſolicitudinibus Summorum Pontificum de hæreticis & Schiſmaticis e Boſna expellendis, ſubdit
1337. n. 30. Rain. Bened. ſuſpicatum Stephanum (Stipocium dictum) Banum impiis ſtudere ſuaque potentia illos tueri, ob id finitimos Croatiæ Comites ſcili. Neliptium C. Tininii, Budislaum, Gregorium, & Paulum C. Corbaviæ, Duymum & Bart. C. Segniæ, Gregorium Cliſſiæ, Paulum Oſtrovicæ, & Conſtantinum Cluci ſolicitaſſe ad fulciendos ſua potentia & auctoritate, fidei cenſores; hunc-que Stephanum quouſque vixit Bani titulo uſum conſtat, cujus nepotem ex fratre, itidem Stephanum cognomina- 1369.
tum Tuartkum in Banatu ſucceſſorem n. 12.
a Ludovico Rege Ung. corona Boſnenſi inſignitum Maurus Orbinus refert; ſed cum is, ejusque ſucceſſores titulis Regis Raſciæ & Boſnæ uſi ſint, quomodo Raſcia in Regnum evecta fuerit referendum eſt.

Orientalis Serviæ pars ſicuti juris Imperii Græcorum erat, ita ejus Præfectus Græco Slavo vocabulo Megajupanus appellabatur; ſed capta a Latinis Conſtli. cum Ioannicius Bulgariæ Dominus pleraque Græcorum loca in Thracia occupaſſet, Andreas quoque Ung. Rex pulſo Stephano Neemania Megajupano Vulchoque ſubſtituto reliquum Serviæ occupavit, Serviæque titulum ſumpſit, & cum Ioannicius Coronam Regni Bulgarici ab Innoc. III. peteret, Megajupanus quoque Serviæ idem petiit, ſed Andrea id non probante, re tunc dilata Hono- *Geſta Innocentii.*
rius ejus ſucceſſor vitato Serviæ nomine quo Andreas utebatur, Raſciæ nomine, quo eadem pars Orientalis Serviæ dicebatur, a flumine Raſca per eandem labente ita denominata conceſſit, ut Archidiaconus refert cap. 62.

Eodem tempore Stephanus Dn. Serviæ, ſive Raſciæ qui Megajupanus appellabatur miſſis Apocrijtariis ad Romanam ſedem impetravit ab Honorio Summo Pontifice Coronam Regni; direxit namque Legatum a latere ſuo, qui veniens coronavit eum, primumque conſtituit Regem terræ ſuæ.

Additque Dandulus lib. X. part. 30.

Stephanus quoque Dominus Raxiæ, & huic, qui Megajupanus appellatur; dum neptem quondam He rici Danduli Ducis accepiſſet in conjugem, ex ſuaſione uxoris, abjecto ſchiſmate, per nuncios a Papa obtinuit, ut Regio titulo decoratus eſſet, & per Legatum ad hoc miſſum una cum conjuge coronati ſunt. hujus Stephani Megajupani extat ſigillum quod Archidiaconi, & Danduli relata comprobant.



Succeſſere alii Reges ex eadem ſtirpe uſque ad Stephanum Magnum cognominatum, qui pluribus provinciis Græcorum occupatis Imperator Romaniæ dici voluit, Uroſiumque filium Regem Raſciæ nuncupavit, ſed eo mortuo, ex inertia filii Imperium a variis proceribus occupatum fuit, & Vucchaſſimus Regni Raſciæ titulum uſurpavit, ſed cum loca Regno Ungariæ contermina hæreticis &

ſchiſmaticis plena eſſent, Carolum, & deinde Ludovicum Reges Ungariæ pluries bellum Raſciæ intuliſſe ex relatis a Rainaldo, & Vadingo conſtat; qua occaſione Banum Boſnenſem victo Vuchaſino Rege Raſciæ titulum ſumpſiſſe conjici poteſt anno 1376. ut Orbinus refert, cum anno 1374. Tuartkum Helenæ filium adhuc Banum Boſnæ titulum habuiſſe memoria reperiatur, hoc modo ergo Banus Boſnenſis titulum Regni Raſciæ Ludovico conſanguineo & affine juvante vel permittente ſumpſit; ſed cum in Boſna ipſe & ſucceſſores ejus reſiderent, Reges Boſnæ dicti fuerunt; primaque hujus Regis Raſciæ memoria reperitur in Epiſtola Mariæ Reginæ Ungariæ ad favorem Raguſinorum ſcripta, quæ talis eſt.

Nos Maria D. G. Regina Ung. Dal. Croatiæ &c.

Notum facimus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quod fideles noſtri Rector, Iudices Conſilium & Commune Civitatis noſtræ Raguſii miſſis ad noſtram Majeſtatem providis viris Petro de Gondola, & Stephano de Luccaro eorum concivibus nunciis & Ambaſciat. nobis humiliter ſignificarunt, quod nonnulli forent homines in dictis Regnis noſtris Dalm. & Croat. qui vinum & ſalem ad quoddam Caſtrum de novo per D. Regem Raſciæ & Boſnæ inter prædictam Civitatem noſtram Raguſii & Civitatem noſtram Chatari appellatam in loco Dracavizza nominato conſtructum, & etiam ad alia loca inconſueta contra libertatem & antiquam conſuetudinem ipſius Civitatis noſtræ Raguſii, & in opprobrium & diminutionem jurium ejusdem Civitatis noſtræ portarent & deferreut, ſupplicant nobis, ipſis ſuper hoc providere de remedio opportuno. Nos itaque volentes dictam Civitatem noſtram Raguſii in ſuis libertatibus, & conſuetudinibus antiquis illibate conſervare, ut exinde dicti Cives noſtri diſcant ſub Principe glorioſo devoti famulari, atque ab ipſis utilitatibus, & honoris materia, lucrumque fructiferum Regiæ perveniat Majeſtati de conſilio, conſenſu & beneplacita voluntate Serm. & Exm. Principis D. Eliſab. præmiſſa D. G. R. Ung. Pol. Dal. &c. genitricis noſtræ cariſſimæ Prælatorumque & Baronum R. Noſtri præmaturo ſancientes duximus committendi, ut a modo, & deinceps nullus incolarum Regnorum noſtrorum memoratorum vinum, & ſalem prædictum caſtrum Novum in loco Dracavizza, ut præfertur conſtructum, & ad alia loca inconſueta contra antiquam libertatem, & conſuetudinem dictæ Civitatis noſtræ Raguſii & diminutionem jurium ejusdem Civitatis noſtræ portare præſumat, vel deferre ſub pœna amiſſionis & privationis vinorum & ſalium prædictorum, & hoc voluimus in foris & locis publicari in dictis Regnis noſtris Dal. & Croatiæ palam ubique facere proclamari, prout etiam in formam noſtri Privilegii redigi faciemus, dum nobis eædem in ſpecie fuerint reportatæ. Datum Budæ ſub magno noſtro ſigillo ſabbatho prox. poſt quindenas feſti Paſchæ Domini Anno ejuſdem 1383.

Ex qua dignoſcitur quod ſicuti Tuartkus vivente Ludovico, favore Amitæ Eliſabeth plurima loca ſimul cum titulo Regni Raſciæ conſecutus fuerat, ita eo mortuo ſpretis Reginis res novas molitus ſit; nam Baronas ab eiſdem deſciſcentes, fovit, & a Ioanne de Hericart Bano Dal. & Croatiæ ad ejus opem confugiente. Cliſſam recepit, Catarum quo- 1387.
que eodem tempore conſecutus Spalatenſes terra marique moleſtare non ceſſabat, qui Ungaricis deſtituti auxiliis cum Sibenicen. Scardonen. & Breberien. contra Regem Boſnæ & Banum fœdus iniverunt; Tragurienſes vero, qui uſ- 1388.
que ad illud tempus cum Boſnenſibus 6. *Octob.*
& Bano amicitiam coluerant, ſe declarare non audentes, fœderi accedere noluerunt, ſed neutralitatem ſervare ſtudentes, pacem inter Boſnen. & Spalat. ſe tractaturos obtulerunt, cumque Comes Hervoiæ (de quo pluries mentio fienda eſt) Regis Boſnæ Legatus Tininium veniſſet, Trag. requiſiti Legatum ad eum miſerunt, poſtulatis tamen ejuſdem deditionem petentis aſſentiri noluerunt; ſed cum Spalat. Sibenicen. & aliis varios tractatus habuerunt, qui in longum protracti fuerunt, ut in patriæ Chronico, quo tempore ab amico Rege nuntium victoriæ de Turcis habitæ receperant.

Nobb. et circumſpectis viris Dominis Poteſtati Iudicibus Conſilio Civit. Trag. Amicis cariſſimis Steph. Tuertho D. G. Raſciæ, Boſnæ maritimæque &c. Rex. Amici cariſſimi quod noviter his diebus Rex Regum, et Dominus omnium cuſtos noſtrum qui ſemper ſuos adjuvat, ſalvat, protegit, et defendit, nobis populo ſuo oſtendit relatu, laudeque dignum memorandum, venerandum inſuper, et colendum omnibus vobis præſertim ejus cultoribus ad ſui laudem et gloriam, et honorem, ut ſitis et gaudii, ſicut in hoc adjuti et purticipes gratiæ ſuæ fuiſtis, in ea quæ in Chriſto Ieſu omnium jungit animos alterutrum, nunc duximus intimandum, nam illum ſuperbum Sathanæ filium et miniſtrum Chriſti nominis, et totius humani generis, populi maxime Chriſtiani et orthodoxæ fidei inimicum perfidum ſcilicet Ameratum, qui ſibi jam multas ſubjecerat nationes, et quotidie cervicem ut aſpis arrecta, et ore, ceu vipera panſo virus evomere pro viribus ſatagebat, nitebatur, et intendebat cunctos Chriſticolas et cultores dictæ fidei perturbare, invadere, opprimere, el delere, quique jam venerat terras noſtras de facto turbatum diſpoſitus, et intendens, et poſt invadere veſtras cum duobus filiis et ſequacibus ſuis Turcis. Eya tandem inito cum eis bello die 20. Menſis Iunii proxime præteriti Dei dextera adjutrice et nobis propitia aſſiſtente, obtento penitus cum triumpho campo conſliximus, devibimus, et humi proſtravimus interemptos. paucis demum ex ipſis ſuperſtitibus remanenticus, Dei laus licet cum aliqua ſtragé noſtrurum, attamen non multorum, quod præſentibus ecce vobis veluti noſtris benevolis, et ami is ex quadam confidentia de amicitia veſtra ſumpta per noſtrum hominem et nuntium ſpecialem earum videlicet oblatorem ad exultationem, et gaudium nunciamus et nos offerimus ad omnia vobis grata libenter et libere facienda.

Datum

Datum in Aula noſtra Suthiſte die pr. men. Auguſti A. 1389.

Poſt quam victoriam ad majora aſpirans Tuartkus miſſo exercitu Ungaros Uranam obſidentes recedere, Nonamque ſe recipere Coegit, & Oſtrovizam recepit.

Paul. 1389. 11. *Nov.*

13. *Xbris* Spalat. autem cum Sibenicen. multoties Tragurii convenientes de rebus ſuis invicem conſulebant, & cum Ungarica auxilia a Sigiſmundo & Maria multoties in vanum imploraſſent, multasque proteſtationes ob id feciſſent, a Rege Boſnæ terminum obtinuerunt, *donec ex Ungaria redirent miſſi, ne reputarentur infideles*, quo tranſacto eidem ſe dediderunt, Privilegiorumque Ludovici confirmationem obtinuerunt: Tuartkus autem titulis Raſciæ & Boſnæ, maritimam addidit, in qua comprehendebatur quod olim Chulmiæ nomine poſſederat, & nunc Herzegovina (a Germanico verbo quod Ducatum ſignificat, & latine Ducatus ſancti Sabæ) dicitur; cui acceſſit quidquid in maritimis tam in Croatia, quam in Dalmatia habuit, puta Chliſſam & Oſtrovizam in Croatia, Spalatum, Trag. Siben. Pharum, Brachiam, & Catarum in Dalmatia; Anno ſequenti Rex Tuartkus moritur, cui ſucceſſit Stephanus Dabiſcia, qui quamvis Trag. Privilegia Confirmaverit, tamen ab omnibus pro Rege acceptus non fuit; Nam Vuch Vulchi Banus Boſnæ Sigiſmundo adhærens captivato Priore Auranæ cætera loca in Croatia recuperavit; ſed cum Regina Maria eodem anno deceſſiſſet, ob id Regnum vacare Trag. tabulæ exprimant, prout & anno ſequenti, quo pacem inter Sigiſmundum & Dabiſſiam agitatam tradunt, eandemque concluſam ex Sigiſ. Privilegio elicitur.

1390. *8. Iunii.*

1392. 25. *Apr.*

Sigiſ. &c. fidelibus ſuis egregiis et generoſis mag. VVockmer filio Zeme et fratribus, nec non filiis fratrum ejuſdem de domino ſalutem et gratiam: etiamſi virtus quælibet ſuo non debet præmio defraudari, fidelitas tamen eo abundantius attollenda, præmiisque temporalibus propenſius compenſanda, quanto ipſas cæteras virtutes politicas antecedit, et omnem temporalem affluentiam non immerito tranſcendit; proinde quia vos de conſenſu et voluntate Incliti Principis D. Stephani Dabiſce Regis Boznæ fratris noſtri cariſſimi, et D. Elenæ Reginæ conthoralis ſuæ ſub ſinceræ fidei puritate fidelitatem perpetuo nobis obſervandam promiſiſtis, et noſtræ Majeſtati juraſtis ac veſtris litteris mediantibus vos propenſius obligaſtis, quod noſtram Majeſtatem poſt mortem prædicti D. Steph. Dabiſca Regis moderni Boznæ in veſtrum verum Dominum naturalem aſſumeretis, haberetis, et teneretis; imo ex tunc noſtræ Majeſtati tanquam Regi et Domino veſtro naturali per omnia obediretis, et obtemperaretis: ideo nos volumus vos in antiquis libertatibus Privil. juribus, jurisd. conſuet. et legibus ac obſervantiis illibate conſervare. Datum in Dyako Salibato die proximo ante feſtum B. Margaritæ Virg. et Martyr. A. D. 1394.

1394. 14. *Aug.* Spalatenſes autem decreverant *quod a morte Tuertichi Regis citra non fiat mentio de aliquo Rege nec de aliquo alio niſi ſolummodo de Rectoribus et Iudicibus;* controvertente etenim Sigiſmundo Regnum Ungaricum Eduigi Regina Poloniæ ſorore Mariæ (cui juramentum fidelitatis præſtitum fuerat) Spalat. Trag. & Siben. in hac dubietate nullum Regem nominare voluiſſe cenſendum eſt, at compoſitione deinde cum Sigiſmundo ſecuta, ut Cromerus refert iterum Sigiſ. Regis nomen in hiſce tribus Civitatibus reaſſumptum reperitur: Dabiſciam autem Regem Boſnæ metu Turcarum Croatiæ loca Ungaris permiſiſſe, pacemque feciſſe pacta ſibi viventi Regni Boſnæ fruitione ex relato Privilegio innui poteſt. 1395.

Turcæ enim, Venetis, & Liguribus ſe mutuo laceſſentibus, mare liberum nacti Græcorum diſcordias in propriam utilitatem vertentes, ditionem in Aſia & Europa auxerant, & poſt mortem Stephani diviſo Neæmanorum Imperio, indies ſe dilatantes, ad fines Raſciæ pervenerant, mortuoque Rege Tuartko ipſi Boſnæ imminebant, ob id Sigiſmundus collecto multarum nationum numeroſo exercitu, ad Nicopolim cum eiſdem conflixit, ubi ex feſtinata Francorum audacia, cæteris ſe confundentibus, victus, fuga Conſtantinopolim delatus, in Dalmatiam Raguſium venit, Tininii Privilegia conceſſit, deinde in Ungariam Strigonii quoque Privilegia dedit die primo Iunii ejuſdem anni, Boſnamque a Turcarum vi tutari conabatur, ſed cum Boſnenſium Proceres Sigiſmundum ſpernerent, & poſt mortem Dobiſcæ in partes diviſi eſſent, Harvoyæ tunc Turcis adhæſit contra quem Sigiſ. exercitum deſtinavit, ut ex ejuſdem Epiſtola Tragurinis ſcripta apparet. 1396. 1397. 6. *Febr.*

Nobb. et Sap. viris Rectoribus, Conſilio et Communi Civitatis noſtræ Tragurii fidelibus noſtris ſincere dilectis Sigiſ. D. G. Reg. Hung. Nobiles Sapientesque Viri fideles noſtri ſincere dilecti. ſciatis nos veridico accepiſſe ex relatu, quod Hervoya Vayvoda veluti perfidus Alumnus proditionis ductus malignitate, noſtrorum immenſorum Regalium beneficiorum immemor, ſeipſum in cœtum infidelium Crucis Chriſti Turcorum videlicet connumerare, et coadunare, noſtrique et ſacræ noſtræ Cor. Regiæ fideles in Regno Boſnæ exiſtentes offendere et expugnare proponeret toto niſu; quodque etiam non ſolum in ipſius Regni Boſnæ, et in noſtrum, et aliorum fidelium meorum in Dalmatia et Croatia Regnis noſtris exiſtentium ingens diſpendium reddere poſſet, et gravamen ad ipſum Regnum Boſnæ ſcutum et deffendiculum prædictorum meorum Dalmatiæ et Croatiæ Regnorum contra eoſdem Chriſti æmulos penitus eſſe videntur, et quia nos Divina dextra nobis opitulante genera.i in Regno noſtro jam inſtaurato exercitu valida cum potentia ipſum Regnum Boſnæ in brevi ſubintrare, et ipſum Hervoyam ab hujuſmodi ſui nefarii propoſiti præſumptuoſa conſpiratione falce vigoris ejus abſcindentes proterviam manu potenti intendimus prohibere, ad hujus quoque no-

stri salubris propositi perfectionem propter fortitudinem passuum, et fortalitiorum Regni Bosnæ prædicti balistrariorum copia nostræ Celsitudini nimium extitit oportuna, ideo fidelitatem vestram requirimus, idemque firmissimo Regio damus sub edicto, quatenus mox visis præsentibus balistrarios vestros quos meliores, et plures habetis, et habere potestis ad ipsam nostram celsitudinem versus Dubicham destinare debeatis, ita tamen ut quilibet eorum duas balistas et veritones in bona copia secum debeant apportare fidelitatis indicium, et grata servitia nostræ Celsitudini exhibitur; in hac parte, pro quo tandem vestram fidelitatem, et ipsos vestros balistrarios dignis Regalibus favoribus intendimus conservere, secus igitur pro nostra gratia facere non ausuri, commisimus autem per alias nostras litteras egregio viro Magistro Iohanni filio vid. Nicolai Palatini de Gara ut ipse eosdem balistrarios simul cum balistris et armis ipsorum in equis Vlachorum nostrorum ad nostram destinet Majestatem. Datum in Possegauuar in festo Sanctæ Trinitatis Anno Domini 1398.

Balistrariosque Regi missos die 15. Maij ejusdem anni Tragu. monumenta memorant.

CAPUT IV.

De gestis Ladislavi Regis Neapolitani in Dalmatia.

DIssensiones inde Ungaricæ recruduere, nam sicuti mortua Maria Ungari Sigismundo extero inviti parebant, ita post Nicopolitanam cladem exosum despiciebant; At cum superiores Regni partes Poloniæ conterminæ ab eodem penderent, Rexque Poloniæ amicus Sigismundo esset, denuo ad partes maritimas respicere cœperunt, & Ladislaum Caroli occisi filium (qui titulis Regni Ungarici utebatur) ad capessendam ejusdem coronam solicitabant; Sed juvenis, paternæ necis memor, accedere verebatur; Ideo conjurati Ostoya Rege Bosnæ in suam partem tracto, Sigismundum captivarunt, Harvoyeque supremus Regni Bosnæ Vayvoda cum Philippo Admirato & Legato Regis Ladislavi Tininium convenerunt, Dalmatæque ab eisdem requisiti Legatos ibidem miserunt, & de recipiendo Ladislavo varios tractatus habuerunt, nihil tamen conclusum fuit, eo quia singulæ Civitatis cæteris inconsultis se declarare non auderent, resque in longum protracta est; Civibus enim in partes distractis, aliis Sigismundo, aliis vero Ladislavo adhærescentibus, mutua odia, & expulsiones evenerant, nominaque intrinsecorum, & extrinsecorum emerserant; cum interim Sigismundus e carcere liberatus fuisset, omnium animos suspenderat: Primi tamen Iadrenses, desiderio consequendæ Insulæ Pagi, Ladislavum receperunt. Pagenses etenim post mortem Reginæ Mariæ a Iadrensium jurisdictione pulso rectore defecerant, quos gravi vindicta sumpta Iadrenses parere coegerant, re deinde apud Sigismundum Regem agitata, is Comitem proprium Pago imposuit, ejusque delegati Pagenses liberos a Iadrensium jurisdictione declararunt, quod a Concilio quoque Provinciali Nonæ celebrato confirmatum fuit, declaratumque Pagenses liberos fore, prout cæteræ Civitates Dalmatiæ erant; Quod Iadrenses iniquo animo tulerunt, & multoties oblata etiam 40. mil. duc. solutione Pagum recuperare tentarunt, sed Sigismundo præterea volente, ut custodibus arcis Iadræ stipendia solverent, ex impossibilitate a petitis discesserant, cumque paulo post secuta esset captivitas Sigismundi oblationibus Ladislavi & Ostoye aures præbuerunt, & cum Heroye utrorumque nomine convenerunt, quod ex sequenti diplomate dignoscitur.

Rain. 1398. *n.* 37.

1400. *men. Madio.*

1393.

1395.

1396.

Memoriale Paudi.

1400.

Nos Hervoye supremus Voyvoda Regni Bosnæ, ac Vicarius Generalis Principum Sereniss. Regum Regis Vladislavi & Regis Ostoye memoriæ commendamus, & significamus quibus expedit universis, quod nos non vi, dolo, metu vel alio aliquo ingenio ducti, sed nostra propria voluntate & arbitrio coacti Egregios Rectores Nobiles Consilium & Commune Civit. Iadræ per fratres nostros speciales recepimus, & assumpsimus, promittendo & obligando fide nostra militari mediante præfatos Rectores, & Nobiles de eadem Civitate totis viribus nostris omnibus locis, & temporibus opportunis contra, & adversus quoslibet prædictos nobiles suo lectari juste, vel injuste volentes non parcendo personæ nostræ & nostrorum servitorum, neque bonis adjuvabimus & toto nostro posse defendere obligamus; & quod nunquam temporis in processu per nos, neque per alios quospiam præfatos Rectores Nobiles & Commune prædictæ Civitatis & sic per præsentes Privilegiales literas valoris volumus, si prædicti Rectores & Nobiles elevabunt vexillum Sereniss. Regis Ladislavi, & si elevaverint præfatum vexillum jurando super Sanctam Crucem & reliquias ad fidelitatem Uladislavi & non deponere præfatum vexillum usque mortem. Nos promittimus cum præfata fide nostra militari, quod Sereniss. D. Noster R. Ostoya Bosnæ vult jurare super S. Crucem & reliquias quod nunquam in vita sua ad minus . . . . . prædictos Nobiles & Civitatem Iadren. nec nos Hervoye cum consorte nostra cum filio nostro unico, fratribus, & familiaribus nostris vid. cum Draaghisca fratre nostro Voyslavo, Voyaco, Petro Voyvoda & Tuartco & fratre suo Voyco, & cum aliis familiaribus nostris vobis placitis jurare volumus super Sanctam Crucem & reliquias prædictas Nobiles universos de prædicta Civitate viribus nostris semper cum potentia d. Domini Hung. Regis contra ipsorum æmulos semper juvare volumus usque mortem nostram non dimittendo, sed semper prompte & parate vos prædictos

Nobi-

Nobiles defendere & vendicare contra omnes homines: Immo volumus præfatis Nobilibus assignare Privilegia D. N. Regis & nostra subpendenti Sigillo in ejus rei testimonium. Datum in campo . . . A. D. 1401.

Ladislavumque & Pagum receperunt, ut ex fragmento Conf. Iadræ elici potest. 1401. *die* 22. *Iunii Vadit pars DD. Rectorum & X. adjunctorum quod ex relatione* 4. *nobb. deputatorum ad habendum colloquium cum Ambasciat. Regis Bosnæ, & Voyvode Hervoye multa sunt dicta & consulta in hoc consilio super relatione prædicta, quod dicti* 4. *nobb. iterum procedant ad complendum quod inceptum & habitum est cum eis, vid. super recept. Regis Ladisl. super factum Ambass. mitten. ad dictum Dominum Regem, super factis Pagi & super trigesimo vid. quod promittant duc. mille in duobus annis, vid. medium in festo Nat. Domini proxime & aliam medietatem in festo S. Petri de mense Iunii inde proxime secuturi, & . . . quantum poterit, sin autem hoc non poterit obtineri in omnibus, & singulis suprascriptis faciant, deliberent, & concludant in omnibus & per omnia, quæ eis visum fuerit; & quidquid dicti Nobiles cum dictis Bossinen. fecerint, & concluserint, id firmum sit & executioni mandetur de facto trigesimi solum.*

Hervoye deinde nomine Ladislavi & Ostoyæ Tragurien. & Siben. confirmationem Privil. promisit die 13. Madii 140?. Tzigni in Cetina, quam Ostoya Sibenicensibus ratam habuit die 15. Iunii, Spalatensibus vero Privilegia confirmavit die 15. Decembris, Traguriensibus autem nullum Privilegium ab Ostoya concessum reperitur. Ladislaus interim qui ad expellendum Ludovicum Andegavensem impeditus fuerat, eo recedente, rebusque inde pacatis, primum parlamentum Neapolim congregaverat 1401. die 26. Ianuarii, inde ad res Ungaricas conversus, cum absque Venetorum consensu transfretationem Adriatici se consecuturum difficile cognosceret, ipsique Corcyram tenerent, quam ad se spectare Ladis. asserebat, cum eisdem convenire decrevit: Veneti enim post amissam Dalmatiam Corcyram uti navigationibus suis apprime necessariam crebro appellebant, & ut in Civitate amica, in qua multi etiam ipsorum Cives Domicilium fixerant, multoties morabantur, Corcyrensesque ipsi a Venetis tanquam maris dominis penderent, eorum quoque protectionem ambiebant, ideo debilibus Principum Tarentinorum viribus spretis (qui jure materno Catharinæ filiæ Balduini, ultimi Latini Imperatoris nomen Imperii Constantini, Corcyræque dominium retinebant) Venetis subjectionem obtulerant, 1382. Veneti tamen ne Regem Carolum amicum offenderent, eos recipere renuerant; Sed cum ejusdem dominium maximopere adipisci cuperent, Tarentinis obtulerunt pretium 30. mil. ducatorum, vel censum annuum 3 mil. duc. ut Caroldus refert; Nihil tamen tunc concluſum fuit: Sed cum deinde R. Carolus III. in Vng. processisset, ut relatum est; Navisque quædam Veneta in littore Neapolitano naufragium fecisset, R. Margaritha ipsam cum mercibus retinuit; Venetisque petentibus restituere renuit, qua de causa simultates inter Venetos & Reginam ortæ sunt, qua occasione freti Corcyrenses Venetis dominium Insulæ iterum obtulerunt, qui illos receperunt 1386. die 9. Iunii, ut Paul. Mauroc: scribit, & Neapolitani scriptores confirmant, in minoritateque Ladislavi Dyrrachium aliaque loca Epiri consecuti sunt: cum igitur Ladisl. tutum per Adriaticum transitum nanciscì cuperet; Venetis jus Corcyræ pro 30. mil. duc. concessit 1401. 16. Augusti, quibus sic conciliatis, Aloysium Aldemariscum Admiratum suum cum Classe quinque triremium & unius biremis amplissima cum auctoritate in Dalmatiam misit, qui Iadram pervenit 27. Augusti 1402. ibique receptus, vexillum Ladislavi erexit, & cum Voyvoda Hervoye colloquutus Uranam obsedit, deditioneque accepit, & 30. *armigeris Regis Ladislavi in uno barcusio supervenientibus* præsidio firmavit, deinde Spalatum mox Trag. & Sibenicum delatus vexilla Ladislavi erigi fecit, Iadramque reversus, Sibenicensibus Privilegiorum confirmationem dedit die 2. Decembris, in qua expressa est amplissima auctoritas qua a Ladislavo munitus fuerat; Spalatensibus autem cum eorum exititiis compositis, confirmationem pactorum dedit 6. Ianuarii ibidem: Harvoye vero prope Bihachium Ungaros profligavit, & Paulum Bisteno Banum Croatiæ a Sigismundo missum cepit, & Aldemarisco Iadram misit die 5. Februarii; Trunc reliquæ quoque Insulæ Dalmatiæ Ladislavi vexillum erexere, qui tandem Iadram venit, ibidemque a Legato Summi Pontificis Corona Ungarica redimitus fuit, ut Reinaldus ex Theodoro Niem refert. *Bonifacius eodem* 14. *Pontificatus sui dictum D. Ladislaum coronari fecit in Regem Ungariæ in Civitate Iaurienſium.* Iaurienſis Civitas Ungariæ ad flumen Arabonem prope Danubium in finibus Austriæ sita est, quam Ladislaus non vidit, ideo mendose exscripta est pro Iadrensium; Cum Ladislaum Iadræ fuisse multa ejus diplomata ibidem data testentur, p^m. Spalaten. in quo Privilegia confirmat die 6. Augusti, secundum Brachienſibus die 14. tertium Sibenicen. die 16. quartum Trag. & Privilegia confirmavit, & ab Aldemariſco contra Privilegia attentata abrogavit die ultimo ejusdem mensis Augusti 1403. cum interim Sigismundus vires reassumpsisset in Ungariam procedere veritus, Iadræ substitit, & prout ibi arcem præsidio firmaverat, ita in alias quoque Civitates arces construere satagebat; Spalatique ob civum mutuam diffidentiam con-

Hector Pignatelhis.

Caroldus 19. Madii.

1385.

lib. 17. Angelo de Const. Hector Pignat.

Paulus.

Rain. 1403. n. 15.

ſtrui jam cœpta fuerat: Civibus etenim in partes diviſis, pars Sigismundo adhærens ejecta fuerat, ideo intrinſeci Aldemariſco Civitatem tradentes arcem quoque pro propria ſecuritate conſtruere permiſerant, antequam extrinſecos reciperent, quibus receptis & advenientе Ladislavo conſtructio continuabatur, idem quoque Tragurii & Sibenici tentatum fuiſſe patet: nam hac de cauſa eosdem inſimul conveniſſe & *Ligam ne caſtrumi fieret feciſſe* conſtat. Legatosque ob id in Bosnam & ad Hervoyam miſiſſe, Privilegiorum promiſſam obſervationem pollicitantes; negotiatione deinde re agitata, Tragurienſes 300. ducatorum auri ſolutione caſtri conſtructionem declinaverunt, & a Ladislavo declarationem favorabilem pro ſe & Sibenicenſibus obtinuerunt, ideo Sibenicenſes quoque pecuniam dediſſe conjectari debet, quamvis ſolutionis memoria non reperiatur, Ladislavi autem declaratio talis eſt.

1403. 22. *Aug.* 8. *Octob.*

Ladislaus D. G. Hung. Hyerus. & Siciliæ Dalmatiæ & Croatiæ &c. Rex Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis Comes M^co viro Pereto de Andreis Comiti Trojæ Conſiliario & fideli noſtro dilecto gratiam, & bonam voluntatem. Licet ſuadentibus certis rationibus atque cauſis firmum propoſitum, & intentio nobis fuerit conſtruendi, & conſtrui faciendi in Civitatibus noſtris Sibenici & Trag. aliquod fortalitium, ſeu Caſtrum; nunc vero ceſſantibus ipſis rationibus, atque cauſis conſulto deliberavimus ipſa Caſtra in prædictis civitatibus fieri non debere; nosque totaliter removimus ab intentione, & propoſito antedictis; De quibus volentes regimina Communitatem, & univerſitatem & homines dictarum Civitatum de prædictis certiores cautos reddere, & ſecuros, tibi de quo in omnibus plene confidimus quam promptiter valeas, atque poſſis prælibatis regiminibus Communitatibus, univerſitatibus & hominibus quod caſtra ipſa ſeu fortilicia per nos aut alios nulla unquam tempore faciemus, ſeu fieri mandabimus, quodque omnia illorum Privilegia per nos, aut alios eis conceſſa, libertates, immunitates, & conſuetudines perpetuo obſervabimus, & mandabimus ab aliis obſervari, tenore præſentium de certa noſtra ſcientia licentiam damus, & omnimodam, & plenariam poteſtatem committentes tibi in præmiſſis, & circa præmiſſa totaliter & plenarie vices noſtras, ac promittimus ratum, gratum, firmum, validum habere perpetuo & tenere, quidquid per te in præmiſſis & circa præmiſſa actum, promiſſum, ac factum fuerit, ſive geſtum nullo unquam tempore contrafacere, vel venire, tanquam ſi perſona noſtra id egiſſet, quin imo ad validiorem roboris firmitatem nos etiam ſub verbo, & fide Regalibus prælibatis regiminibus communitatibus, univerſitatibus & hominibus promittimus & firmiter pollicemur, quod prædicta caſtra, ſeu fortilicia in ipſis Civitatibus fieri ullo unquam tempore faciemus; quin imo prædicta eorum Privilegia, immunitates, libertates & conſuetudines obſervabimus, & obſervari ab aliis perpetuo faciemus. Præſentes autem literas, quas pro cautela in manibus prædictorum Communium volumus remanere, magno pendenti noſtro ſigillo juſſimus communiri. Datum Iadræ per Antonium Pemi Secretarium familiarem, & fidelem noſtrum dilectum Anno D. 1403. die 19. men. Octobr. XI. Ind. Regnorum noſtrorum anno XVII.

Ladislaus Rex manu propria.

Iuramentum tamen novum loco caſtri in manibus ejusdem Petri Comitis Trojæ factum fuit Spalati die 13. Octobr. Trag. vero 23. ejusdem, ſubinde Hervoya cum Comite Cetinæ & numeroſa Comitum Croatarum ſocietate in Dalmatiam venit, honorificeque ubique receptus, a Ladislavo Dux Spalati & proximarum Inſularum creatus fuit. Eoque Vicegerente in Dalmatia & Croatia relicto Neapolim reverſus eſt menſe Novembris 1403 quo recedente Veglienſes ad Nicolaum Comitem ſuum, qui a parte Sigismundi ſtabat, & Modruſſam quoque, & Segniam poſſidebat redierunt, a quo Arbenſium extrinſeci adjuti Arbum interceperunt, ob id Hervoye horatus eſt Trag. ut Legatos ad Comitem Vegliæ mitterent, reſtitutionemque Arbi poſtularent, qui eidem obſecundati ſunt, nihil tamen effeceruntſed ſuperveniente Ioanne de Luſignano Duce Baruti Regis Ladislavi affine, & patruo Reginæ Mariæ Ladislavi uxoris, & filiæ Regis Cypri, cum Claſſe Arbum obſeſſum & receptum fuit, turrisque quædam præſidio firmata, cumque Oſtoyas Rex Bosnæ a Tuartho, ſcuro dicto, filio Turtki Primi pulſus fuiſſet, is cum Proceribus ſibi adhærentibus a Ladislavo diploma tale habuit. 1405.

Ladislaus D. G. &c. univerſis præſentes litteras inſpecturis tam præſentibus quam ut futuris &c. Et ſi in concedendis gratiis proni debemus exiſtere, ad confirmandum quidem quæ ſunt poſſeſſa per alios, tenemur promptiores nos in caſibus exhibere. Sane venientes noviter ad Majeſtatis noſtræ præſentiam M^ci. & Nob. viri Georgius Vayvoda de terra Holm, Comes Vulko et Thomas miles Conſiliarii, et fideles noſtri dilecti miſſi ad nos per Illuſtrem Principem D. Tuertko Regem Bosnæ affinem noſtrum chariſſimum, tamquam fratrem ac ſpectabiles Mcos. et Nobiles viros Hervoyam Ducem Spaleti, et Comitem partium inferiorum, Sandalum ſummum Vayvodam dicti Regni Bosnæ, aliosque Barones, Magnates, Proceres, et Communitatem dicti Regni Conſiliarios, et fideles noſtros dilectos culmini noſtro quo ſupra nomine ſupplicaverunt humiliter, ut confirmare jam dictis Regni Baronibus, Proceribus, Magnatibus, et communitati R. Bos. omnes et ſingulas conſuetudinis ſtatum et jura antiquitus eis obſervatas, et obſervata; nec non confinia, et metas ipſius Regni Bos. poſſeſſa, et poſſeſſas per q. ſpect. Culin olim dicti Regni Bosnæ Banum, illaſque et illa eis obſervari jubere benignius dignaremus. Nos vero ad dictum Regnum Bos. gerentes fraterne dilectionis affectum, ac alios

præ-

prædictos ejusdem Regni Boz. Barones, Magnates, Proceres, & Com. propter merita fidelitatis eorum, et servitia grandia, fructuosa, et utilia, quæ nobis hactenus in eventibus dubiis præstiterunt, et assidue præstare non cessant prosequi favorabiliter disponentes, ut qui nostris se promptos obsequiis exhibuerunt continue. Nos eis propitios possint in quibuscunque rerum eventibus invenire, jam dictos Illustri Regi Boz. et ejus successoribus, nec non Baronibus, Magnatibus, Proceribus et Communitati dicti Regni Boz. per dictum q. Culin olim dicti Regni Boz. et signanter a partibus Hungariæ possessos, et possessa de certa nostra scientia tenore præsentium confirmamus, illasque et illa eis observari inviolabiliter volumus, et jubemus, decernentes, declarantes, et jubentes expresse, quod dictus Rex Boz. et ejus successores, præfatique Barones, Magnates, Proceres, & Communitas dicti Regni Boz. in ipsum etiam Rm. consuetudines, statuta, jura, confinia, & metas omnes prædictas habeant, de cætero teneant & possideant, prout, & quemadmodum eisque modo & forma quibus illas & illa dictus q. Culin Banus & maxime a dictis Hun. partibus dum vixit, habuit, tenuit, & possedit, nec ullam in prædictis vexationem incurrant obstaculum vel anfractum fidelitate, & superioritate nostra aliis nostris juribus semper salvis. In cujus rei testimonium præsentes litteras exinde fieri & pendenti Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Dat. in Castro nostro qui prope Neap. per virum Nag. Gurell. Aurelii de Neap. . . . . Militiæ Logothetam & protonotar. R. Nostri Siciliæ Collateralem Consiliarium & fidelem nostrum dilectum A. Domini 1405. die 26. Augusti 14. Ind. Regnorum nostrorum anno 20.

Ducique Baruti Comitatus Iadræ Sibenici, & Tragurii Ladislaus indulsit: Tragurienses autem dilata ejus acceptatione, alium elegerunt, eundemque a
1406. Hervoye confirmari fecerunt, deinde
9. Xbris. id Duci notum fecerunt; Iadrenses vero, cum Castrum Novegradi & Scirsam ope ejusdem Ducis cepissent, eundem in Comitem anni sequentis confirmarunt. Abindeque Ladislavi res labescere cœperunt; Nam rebus Italicis implicitus Duci Baruti nulla supplementa mittebat, ob id Arbenses, a Comite Vegliæ inducti, iterum Sigismundo adhæserunt, & Ladislavi milites obsidentes, subsidio- 1408.
que destitutos, excedere coegerunt, & cum dissensio inter Proceres Bosnæ de Corona Regni perduraret, Ungarique & Croati ad Sigismundum redirent, Hervoye rebus suis prospiciens, ut Ducatum Spalaten. & insularum dominium a Ladislao consecutum servaret, Bosnenses suæ partis metu Turcarum perculsos cum Sigismundo convenire suasit, ut ex ejusdem Epistola Trag. scripta constat.

Sigismundus D. G. Rex Hung. D. Cr. &c. Marchioque Bran. &c. Sacri R. Imp. Vicarius Generalis & Regni Bohemiæ Gubernator. Nobb. & prud. viris Rectori, Consilio & Communi Civitatis nostræ Trag. Sal. et Gratiam. Auditis prout non ambigimus pace, unione & concordia inter nos et D. Hervoyam Ducem Spalati etc. ac Vniversitatem Regni nostri Bosuæ initis, factis et feliciter consumtis, quod ad instar aliarum Civitatum Regnorum nostrorum Dal. & Croa. prædictorum nuncios vestros ad nos destinare distulistis, non immerito admiramur id vos neglexisse, quod a vobis præstantius, & celerius quam ab aliis fieri sperabamus, maxime quod hæc apparenter non potueritis, occulte tamen nobis & Sacræ Coronæ nostræ fidelitatem vos intelleximus conservasse, unde vestræ universitatis fidelitatem hortamur, & ei præcipimus Regio nostro sub edicto, quatenus mox receptis præsentibus, aliquos ex vobis meliores plena Syndicatus auctoritate suffultos, ad nostram citissime destinare debeatis Majestatem, ut habito cum eis tractatu, expeditisque, et definitis negotiis Reipublicæ & Communis boni incrementa concernentibus, vexillum nostrum Regium, & alia insignia regalia per eos in vestri medium nostri parte transmittere valeamus, per vos in vere fidelit. nobis servatæ et servandæ judicium acceptandum, elevandum & honorifice conservan. super verbis & nonnullis aliis Iacobo de Berberio familiari nostro fideli præsentium latori per nos clare informato fidem, credentiam, & indubium debeatis adhibere. Dat. Budæ in festo Epiphaniæ Domini MCCCC. IX.

Tragurien. quoque, & Sibenicenses 1409.
Harvoyem secuti sunt: Sic Sigismundus Iadra excepta reliqua in Dalmatia recepit.

CAPUT V.

Quomodo Veneti Dalmatiam recuperaverint?

LAdislaus ex alienatione Harvoye omnia quæ in Dalmatia habebat amisit, Iadra excepta, quam ut in officio retineret, arcem ejus præsidio Neapolitanorum firmaverat, & territorium terra, marique auxerat, Civiumque animos variis donationibus deliniverat, ita ut alacres in suam partem persisterent; tamen cum ad eam retinendam Classem continuo in Adriaticum retinere oporteret, ut a Sigismundi viribus, & Hervoye rerum Bosnicarum & Dalmaticarum moderatore conatibus defendere posset, quod sicuti sibi maximi impendii, & ad res Italicas, ad quas anhelabat, maximi impedimenti futurum cerneret, Iadram juraque Dalmatiæ Venetis vendere decrevit, ut ex fragmento venditionis apparet.

In Christi Nomine Amen. Anno Nat. ejus 1409. Ind. 2. die Martis nono men. Iunii. Cum Sereniss. & Excellentissimus Princeps, & D. D. Ladislaus Ung. Hieruf. & Siciliæ Rex ad quem cum constet pleno jure spectat et spectare noscatur tota Dal. cum terris, castris, fortaliciis, Insulis, & Villis, & territoriis iis ejusdem cum omnibus juribus, jurisdictionibus, habentiis, & pertinentiis quibus-

eunque omnibus vaſallis, feudis, & feudatariis, & aliis infraſcriptis diſpoſuiſſet, pro ſtatu Reip. ac ſtatu Regio defenſione, gubernatione Regni ſui prædicti, & ex aliis cauſis juſtis moventibus mentem ſuam Regiam vendere et alienare Civitatem Iadræ de partibus Dalmatiæ cum fortalitio, ſive caſtro ejuſdem, ejuſque pertinentiis, & diſtrictu, inſulis, Caſtris, ſive villis pertinentiarum ejuſdem, cum, & ſub ſpecificatione Novigradus Inſulæ Pagi, & aliorum diſtrictuum ipſius, nec non terram Lauranæ cum fortalicio, & caſtro ipſius ejuſdem provinciæ, nec non ſub eadem venditione jura omnia competentia, et competitura quomodo libet præfato D. Regi ex quovis capite ratione, titulo ſive caſu ſuper tota Dalmatia prædicta, terris et caſtris et locis fortaliciis omnibus, vaſallis, feudatariis, juribus, jurisdictionibus, et pertinentiis ſuis omnibus dictarum Civitatum Iadræ Lauranæ Caſtri Novigradus Inſulæ Pagi, ac ceſſione quorumcunque jurium ſuper tota prædicta Dalmatia, directo et utili, dominio, mero et mixto imperio, cum gladii poteſtate liberas et exemptas ab omni nexu, et hypotheca reali, et perſonali angaria, et parangaria, præſtatione tributi, quolibet alio onere, honore, gravamine, et ſpecie ſervitutis abſque reſervatione aliqua debenda præfato D. Regi pro terris venditis, et ceſſione aliorum jurium ut ſupra ipſius dictæ quomodolibet non obſtant: et ut infra videlicet producatis centum millibus. . . .

His cum Ladislao conventis Veneti quatuor Proviſores cum valida Claſſe ad recipiendum Iadram miſerunt, quod præſidiarii Neapolitani indigne ferentes tumultuati ſunt; igneque excitato aliquos quoque cives in proprias triremes vi abduxerunt, ſed Venetis opem ferentibus ignis extinctus eſt, & die ſequenti, ſcilicet ultima Iulii Civitas, & arx eiſdem tradita, qui Cives captos libertati reſtituere fecerunt, ſic conſecuta Iadra, dominium quoque Adriatici ſibi confirmaſſe viſi ſunt, ob id Venetiis ſolemnes publicaſque gratias Deo actas ſcriptores memorant, & ſicut olim ex Iadræ amiſſione reliqua mala ſibi proveniſſe recordabantur, ita ejuſdem conſervationi conſulentes, nova conſtructione Citadellæ nomine munire aggreſſi ſunt, eam partem qua continenti jungitur, & qua intercepta fuerat, & præterea Iſthmum, quamvis e ſaxo, perfodere, marique immiſſo Civitatem in Inſulam redigere decreverunt, hocque modo a viribus præpotentis Regis Iadram tuto poſſeſſuros, Adriaticique per conſequens dominium retenturos arbitrati ſunt; Circa eadem tempora ſeneſcentibus Græcorum viribus, Turcarum metu multa loca Conſtantinopolitani Imperii Venetorum tutelæ ſe tradiderant, Longobardiſque invicem ſe laceſſentibus Traviſium, Vicentia, Verona, Patavium, pluraque alia loca Venetis ceſſerant; ita ut auctis terra, marique viribus, reliqua Dalmatiæ loca ſibi opportuniſſima occupare cupiebant; cumque tunc Sibenici tumultus eveniſſet, & in apertam ſeditionem prorupiſſet, occaſionem opportunam nacti ſunt Sibenico potiundi: Cum etenim quidam patritii expulſi fuiſſent, & ad turres utrinque ad fauces portus poſt exuſtam Civitatem conſtructas ſe reduxiſſent, has Venetis tradentes, eorundem ope ſe in patriam reſtituere niſi ſunt; Sed Sigiſmundo valida auxilia ſubmittente, conatus extrinſecorum quamvis Venetorum copiis adjuti repulſi fuerunt: eodem quoque tempore de molis frumentariis ſitis ad cataractas Titii amnis, ubi in mare ſe exonerat Sibenicen. cum Scardonen. controverſiam habebant, quam cum Oſtroviza Sandagl Vayvoda Boſnæ, & dominus ejus partis quæ nunc Herzegovina dicitur, uxorio jure poſſidebat, Venetis pretio quinque millium ducatorum vendidit.

1409.

Chroniſtæ et Paulus de Paulo.

1411. *Ind. 4. die 13. men. Aprilis Reverendus vir Dominus Theodorus Archid. Boſſin. Procurator, & procuratorio nomine D. Sandagli Boſſinæ Voyvode ſupremi, nec non Mcæ DD. Annæ ejus ſocrus. r. D. Volci Bani conſtituentium pro ſe ipſis, & eorum nomine proprio, & pro D. Catharina conſorte præfati M. D. Sandagl V. & filia d. D. Annæ, & dicti q. D. Volci, Bani pro qua de ratihabitatione promittentes, ut de procuratione patet patentibus litteris dd. DD. Voy. & D. Annæ ſocrus ejus, datis in caſtro Cluc. anni Nat. Domini 1410. 20. men. Xbris in litera Sclavonica appenſione ipſius D. San. & D. Annæ duorum eorum ſigillorum munitis, habens ad hoc factum ſpeciale mandatum ut dicto patet Privilegio: dicto procurat. nomine dedit, vendidit, & tradidit M. D. Zaccariæ Triviſano militi V. I. D. pro et Duc. Dominio Veneto hon. Com. Civit. Iad. nec non D. Petro Arimando hon. Capitaneo ejusdem ementibus, & recipientibus vice, & nomine prælibati Illuſtriſſimi Duc. Dom. Venetiarum habentibus ad hoc ſpeciale mandatum. ut ipſius prælibatæ Ducalis Dominationis patet literis, bulla plumbea pendenti ſignatis. Dat. Ven. 1410. Indic. 5. die 8. menſis Xbris præſentibus, recipientibus & ſtipulantibus vice, & nomine præfati Ducalis Dominii Civitatis Ven. Caſtrum Oſtrovice ſitum in Croatia intra ſuos veros confines. . . . exceptis villarum proprietatibus, ſpecialium perſonarum, & ſignanter Comitis Alexii præfati D. Voy. ſervitoris, & egregii militis D. Simeonis de Detrico Civis Iad. & S. Gabrielis de Nozdrogna villis, quæ a Rege Ladislao ſuo Privilegio eiſdem donatæ eſſe dignoſcuntur per ſupraſcriptum D. Voy. & ſuo Privilegio confirmatæ, & quæ tamen tenentur Caſtro debitum reddere ſecundum conſuetudinem Nobilium Caſtri Villarum . . . . . & hoc pretio ducatorum quinque millium auri boni & juſti ponderis, & Cunii Ven. quod pretium dictus procurator, & venditor untedictus fuit confeſſus, & contentus habuiſſe & recepiſſe - - - - - - - Item ceſſit Civ. Scardonen. &c. actum Iadræ.*

Inde res Sibenicen. eo magis coarctatæ fuere, cumque plebs patritios expuliſſet, quamvis juſſu Sigiſmun.

auctо-

1412. 7. Madii. auctores seditionis capite plexi, patriitique in Civitatem restituti fuissent: tamen quia ea occasione arx constructa fuerat, a Pam. Petro de Misilin Regio Vicario Generali, qua de causa cives perturbati Ungaros odio habere cœperunt, extrinsecisque omnia extra Civitatem infestantibus, cum intrinseci omnium rerum inopia, & maxime aquæ penuria premerentur, Venetis tandem Civitatem tradere pacti sunt die 30. Oct. 1412. conditionibus decem & octo capitulis expressis.

Nos Michael Steno Dux, &c. nec non Consil. &c. sui ad hoc deputati &c. & universum Consilium Civitatis Venetiarum unanimes, & concordes nomine nostrorum discrepante, promittentes, promissionibus juramus super venerabile signum Sanctæ Crucis, super libro Evangeliorum vobis Sibenicensibus pro vestra gloriosa fidelitate omnia, & singula infrascripta plene, fideliter, et firmiter attendere, & adimplere perpetuis temporibus, & in nullo contrafacere vel venire ullatenus per nos & successores nostros, nec per alios aliquo modo, vel causa ingenio, vel colore.

Michael Steno Dei G. Dux Venetiarum &c.

Universis, et singulis, tam præsentibus, quam fut. præsens Privilegium inspecturis, salutem et sincerè dilectionis affectum. Cum per venerabilem virum fratrem Simeonem Sac. pap. Baccalaureum Ambasciatorem, et pro parte insignium fidelium et devotorum nostrorum Capitanei, Communitatis et hominum Sibenici, qui ab illo inspirati et commoti, qui aspera potenter in plana convertit, postpositis guerrarum ignibus, et odiorum rancoribus atque flammis, quæ inter nostrum Dominium, et rempublicam eorum aliquo tempore viguerunt sponte sua, et de communi consensu et voluntate omnium incolarum Sibenici ad nostræ benignitatis gremium voluerunt habere recursum, Civitatem ipsam, homines Sibenici, Castra, Districtum, Iura, Insulas et Iurisdictiones eidem terræ spectantes motu suo prop. et liberali in manibus nostris offerendo, et exhibendo nonnulla Capitula, et petitiones porrectæ fuerunt, prout sunt inferius annotatæ distincte. Nos Illustrium prædecessorum nostrorum vestigia imitati, ac eosdem in nostræ protectionis et defensionis brachio suscipientes benignius, et recommissos de solita clementia nostra, quæ in nostrorum fidelium commodis non lassatur; et idem benignitatem nostram amplius recognoscant, ad ipsa capitula, et petiones diligenter et mature examinata, cum auctoritate nostrorum consiliorum ad hoc specialiter constitutorum deliberavimus respondere illa modificantes aliquantulum, secundum quod ad quodlibet ipsorum capitulorum pro responsione et distincta particulariter annotatur.

Cap. 1. Primo namque promittimus vos et quemlibet vestrum tueri et defendere, contra omnes vos molestare et damnificare volentes, et vos manutenere in omnibus et singulis libertatibus, et præeminentiis, quas habuerunt a D. Ludovico bonæ memoriæ Rege Ungariæ, ac Sigismundo Rege su successore, et ab aliis Regibus Ungariæ, et in nullo frangere, vel minuere sed in totum, et per totum adimplere et attendere perpetuis temporibus, ipsosque regere et gubernare per illum modum et formam per quem, et quam idem Rex Ludovicus consuevit vos regere, et gubernare secundum ipsorum statuta, et reformationes, et consuetudines, et non aliter, non imponendo vobis vel alicui vestrum aliquam injuriam variam, offensiones, gravamina et onera aliquo modo vel causa.

Adhoc primum capitul. videtur. Quod promittimus illam Civitatem, et habitatores, et subditos Sibenici tueri et defendere, ac manutenere contra volentes ipsos molestare, et damnificare, et quod serventur in omnibus et singulis libertatibus, præeminentiis, et conditionibus in quibus erant ultima vice quando tenebamus, et possidebamus illam terram, et ipsam regere, et gubernare per modum et formam et cum illis statutis et consuetudinibus, quibus regebamus illam terram nostri Dominii suprascripti, nec non cum reformationibus, cum auctione, et amplificatione Comitatus territorii, et confinium a parte terræ de novo acquisitæ per eos.

Cap. 2. Item quod sint de novo factæ et creatæ de Cons. in Cons. Civitatis Sibenici viginti Domus de illis quibus placuerit illis, qui sunt, vel erunt illo tempore electi a populo Civitatis Sibenici, seu e Capitaneo statim quando intrabunt Civitatem, et quod omni anno in festo S. Michaelis Archangeli eligatur una Domus a populo per Consilium generale Sibenicense, et ut fiat de Cons. antedicto, et illa domus quæ eligetur per partem majorem generalis Consilii Sibenicensis obtineat plene.

Ad hoc secundum Capitulum respondetur quod placet nobis ut jacet.

Cap. 3. Item quod pro fidelitate dictorum Sibenicensium quod semper perpetuis temporibus omni anno allevietur et defalcetur Venetiis de datio vini Sibenici, et ejus districtus apportati Venetias per cives et habitatores Sibenicenses unum ducatum pro qualibet amphora, ita taliter quod semper omni anno vinum Sibenicense solvat, pro datio minus unum ducatum pro Amphora, quam vinum Tragurii solveret, et quod Venetiis ullo modo, ulloque tempore imponatur aliquod majus datium seu onus super aliqua mercimonia, per Sebenicum empta vel vendita, nisi tantum, quantum modo, seu ad præsens solvunt.

Ad hoc 3 Capitulum respondetur, quod ut cognoscant, et sentiant gratiam nostri Dominii, et dulcedinum nostram propter guerram et damna recepta in hac guerra, sumus contenti complacere sibi defalcationem unius ducati de datio quod solebat solvi pro Amphora per illos de Sibenico de Vino nato in districtu Sibenici, quod conducetur per Sibenicenses debendo accipere contra litteram a Rectore nostro de quantitate vini, et quod sit natum in territorio Sibenici.

Cap. IV. Item quod non possint alium pro Comite mittere Sibenici, nisi nobilem de Venetiis, & quod non debeat magis habere pro solario a Communi Sibenici nisi ducatos septingentos, qui Comes insimul cum Iudicibus Sibenicensium debeat Iusticiam ministrare, secundum statuta, reformationes, & consuetudines Sibenicensium, & aliter non.

Ad hoc quartum Capitulum respondetur quod placet nobis, ut habeant Nobilem nostrum pro eorum contentamento, & beneplacito, cum salario quod specificant, & quod Rector sit cum illa commissione circa factum Iustitiæ ministrandæ, quemadmodum fuit ultima vice quando illa terra fuit sub nostro regimine, videlicet, quod in criminalibus delictis enormibus, spectet solum ad Rectorem, & in levibus delictis in quibus incurrit pœna pecuniaria, vel carceris, & similiter in civilibus spectet ad Rectorem, & ad tres Iudices eligendos, secundum quod deliberatum fuerit per majorem partem ipsorum Rectoris, & trium Iudicum, quæ intelligatur esse illa in qua erit Rector noster.

Cap. V. Item quod non possint imponere aliquod Datium, collectam, seu Gabellam, nec aliquod aliud gravamen in Civitate Sibenici ac ejus districtu in genere, nec in specie, nisi & prout ea quæ ad præsens sunt.

Ad hoc quintum Capitulum respondetur quod placet nobis ut jacet.

Cap. VI. Item quod Ducale Dominium teneatur ponere ad eorum expensas tantam potentiam, quod statim recipiatur Castrum fabricatum in Sibenico per D. Petrum de Misglen, & nos juvabimus, & auxiliabimur quantum poterimus, & cepto vel recepto, statim sine aliqua mora ipsum facere destruere in totum, & nec ibi, nec alibi in aliquo loco in dicta Civitate, & ejus districtu quod non possint, nec debeant aliquo modo, vel causa, ingenio, & colore denuo Castrum vel aliquam fortaliciam facere, vel ædificare ulloque tempore in æternum.

Ad hoc sextum Capitulum respondetur quod placet nobis.

Cap. VII. Item quod promittant, quod nunquam seu ullo tempore ipsi dimittent nos alicui dominio, vel personæ nisi quod dominentur nobis, qui nunquam vellemus habere aliud Dominium, nisi vestrum, & si aliquo modo vel causa accideret, quod Ducale Dominium se cum Rege concordaret vel cum alio aliquo, ut nos deberent eis dimittere, quod illo tunc dictum Ducale Dominium teneatur & debet facere pacta pro nobis, ut non imputetur nobis de hoc quicquam, & quod ille vel illi, cui, vel quibus ipsi nos concesserint, seu dederint, ut ex pacto nos debeant conservare in libertatibus supra nominatis in primo capitulo, & quod illo tunc Ducale Dominium teneatur dare illas duas turres, quas ad præsens in portu Sibenici ad manus, & Commune Sibenicense, vel eas totaliter, & in totum destruere a fundamento, & eveniente casu prædicto si fuerit aliquis de Sibenico cui non placeret illa permutatio Dominii, & vellet transire Venetiis stare, quod ille talis sit, & habeatur pro cive Veneto.

Ad hoc septimum Capitulum respondetur quod placet nobis, ut in ipso continetur.

Cap. VIII. Item si quo modo Comes Cetinæ vel sui homines, aut servitores facerent, aut committerent aliquod damnum, seu injuriam Sibenici, vel in ejus districtu; Quod Ducale Dominium statim teneatur recipere illam totam pecuniam, proprietatem cum lucro, quos habet idem Comes Cetinæ Venetiis in depositio, seu in Camera ad lucrum, & eas debeat dare Communitati Sibenicensi, & Commune Sibenici debeat eam dividere pro rata illis damna passis.

Ad hoc octavum Capitulum respondetur quod placet nobis ut in ipso continetur.

Cap. IX. Item quod Scardona sit & esse debeat perpetualiter sub Dominio Sibenici, & quod omnia illa bona, quæ fuerunt subjecta Castro Scardonæ sint Communis Sibenici, non obstante si usque nunc fuerunt, vel sunt alicui data, vel concessa, seu obligata per aliquem, dominium specialiter per Ducale Dominium aliquo modo, seu causa, & quod illa donatio, cessio, vel obligatio seu promissio de eo facta cuicunque personæ & per quemcunque modum cassetur & non valeat, nec teneat, ita & taliter, qnod dicta bona libere perpetualiter remaneant Sibenici, & flumen cum omnibus molendinis sit, & esse debeat, & semper intelligatur Sibenicensium esse. Et quod per Ducale Dominium perpetuo non possit esse fabricatum aliquod castrum, seu fortalitium Scardonæ, & in ejus districtu aliquo modo, seu causa in perpetuum.

Ad istud nonum Capitulum respondetur quod placet nobis, non intelligendo de bonis specialium personarum, quare volumus, quod cives deinde, quorum sunt bona in ipso loco, & alibi possint gaudere bonis suis.

Cap. X. Item quod Salinæ de Otocac in Morigne liberæ sint, & remaneant Communitati Sibenici sine aliqua contradictione alicujus personæ quas tenet Stipitius.

Ad hoc decimum Capitulum respondetur quod placet nobis, sed volumus quod per ipsam Communitatem antequam obtineatis illas, fiat processus contra illam domum de Otocac, & deliberatione sua remanebimus contenti, & illam faciemus observari.

Cap. XI Item quod omnia damna quomodocunque & qualitercunque facta & illata per Sibenicenses, cuicunque personæ cujuscunque conditionis existat remittantur eisdem, & de illis nulla fiat mentio, & si aliquis aliquid de hoc in Iudicio peteret, quod sibi non respondeatur, nec valeat aut teneat ipsorum petitio.

Ad hoc undecimum Capitulum respondetur placet nobis quod sic fiat, & observetur e converso.

Cap. XII. Item quod Commune Sibenici teneat, & gaudeat omnia bona quæ tenuit signanter insulas omnes quas tenuerunt tempore bonæ memoriæ Regis Ludovici, & hoc perpetuis temporibus, & hoc quod omnes Cives Sibenici libere teneant, gaudeant, & possideant omnes villas, villanos, & possessiones, quos & quas tenuerunt in Lucha, & ubique locorum tempore pacis, & quod a nullo possint in aliquo molestari, seu inquietari.

Ad hoc duodecimum Capitulum respondetur quod placet nobis ut possideant bona sua & super Insulas, quas possidebant tunc cum incepit guerra de Dalmatia, & quando illam obtinuimus.

Cap. XIII. Item quod Ducale Dominium debeat solumm odo habere trentesimum cum Gabella salis, & per illum modum & formam per quam, & quam ipsam, & ipsam habuit & tenuit bonæ memoriæ Rex Ludovicus, & non aliter, & quod non possint vendere per

terram

terram ſalem pro majori pretio, niſi quo venditur per alias terras Dalmatiæ, & quod pro tracta ſalis extrahendi non poſſint magis recipere de ducatis decem pro centinario, & quod dictum trenteſimum, & Gabella primo & ante omnia debeant extrahi & dari vel ſolvi ducata tria millia auri pro debito Communis Sibenici, & de dicta pecunia primo debeat ſolutio fieri illis, quibus Commune reperiretur obligatum tempore iſtius guerræ pro rata, & poſtea aliis.

Ad hoc tertiumdecimum Capitulum reſpondetur, quod placet nobis, ſed quod de dicta Trigeſima, non debeant defalcari ipſa tria millia ducata, nec alia aliqua pecunia, ſed libere veniant in noſtrum Commune.

Cap. XIV. Item ſi quo tempore reperiretur aliqua ſcriptura, inſtrumentum, vel Privilegium alicujus hæredis, & ſignanter Wladislavi Apuliæ in qua, ſeu quo appareat Ducali Dominio, ſeu alicui alteri aliqua donatio, promiſſio, venditio, & obligatio, ſeu impegnatio facta per quemcunque modum de, vel ejus diſtrictu, ſeu contra aliquam libertatem Sibenicenſium, quod non valeat, nec teneat, imo per præſentem ſint caſſæ, irritæ, & vanæ, & nullius efficaciæ, momenti, ſeu ſtatus, & quod nullo modo, ingenio, vel cauſa dictum Ducale Dominium, ſeu aliquis alter ullo tempore in æternum poſſint & valeant dicere, quod Civitas Sibenici pervenit ſub eorum dominio per alium modum, niſi ex bona propria & ſpontanea voluntate, tanquam Nobiles, & liberi homines ſe declinaverunt, & dederunt cum pactis dicti cives Sibenici ſub Ducali Dominio.

Ad hoc quartumdecimum Capitulum reſpondetur, quod nullo modo poſſemus hoc facere pro favore, & commodo Iurium noſtrorum, & conſervatione ipſorum, & adhuc pro votiva executione noſtræ intentionis cum Domino Rege Sigiſmundo, quod reddunt etiam ad majus commodum boni propoſiti, & deſiderii illius Communitatis, ſed bene continebitur in prohemio Privilegii ſui, in quo erunt notata ſuprascripta Capitula qualiter obtinuimus illam terram de voluntate & prop. conſenſu illius Communitatis, & Civium, qui ſe liberaliter contulerunt noſtro Dominio.

Cap. XV. Item quod omnes illi de progenie, vel prole illorum de Dragovich, tam maſculi, quam feminæ, & ſpecialiter S. Stipitius cum filiis & nepotibus, & filii omnes Niſe, cum eorum filiis, & Thomas, & Michael fratres, cum eorum filiis, & omnes alii de dicta prole propter eorum infidelitatem, & nequitiam, & quia ipſi & eorum anteceſſores fuerunt ſemper & ſunt infideles patriæ, & Civitatis ſuæ, quod perpetualiter ſint banniti ſub pœna capitis a Sibenico, & ejus diſtrictu, & ab omnibus terris & locis Ducali Dominio ſubditis; & quod omnia bona mobilia & immobilia ipſorum ſtatim vendantur, & pecunia de venditione facta diſtribuatur et detur per Cives Sibenici pro ratha damna paſſis in iſta guerra, quia ipſorum cauſa totum dammum eſt factum.

Ad hoc decimumquintum Capitulum reſpondetur ſic ut ſit in decimo Capitulo videlicet quod placet nobis, dummodo fiat proceſſus per illam Communitatem, antequam habeamus illam contra nominatos in hoc Capitulo, et de deliberatione, quam faciet remanebimus contenti, et illam faciemus obſervari, ſed quod bannum non ſe extendat niſi de terra Sibenici, et diſtrictu ejus.

Cap. 16. Item ſi quo modo, vel cauſa ſit vel reperiretur in futurum, quod Ducale Dominium vel cives extrinſeci alicui perſonæ, vel Communitati, ſeu dominio aliquid promiſerint, ſeu obligaverint aliquid de bonis Communis ſeu perſonæ ſpeciales de Sibenico, vel qui habitant in Sibenico et ejus diſtrictu quod illa promiſſio & obligatio non valeat nec teneat ullo modo, ſed caſſetur in totum, et quod Commune, et ſpeciales perſonæ quælibet libere gaudeant, et poſſideant id quod fuit & eſt ſuum.

Ad hoc decimum ſextum Capitulum reſpondetur quod placet nobis.

Cap. 17. Item quod ſuprascripta Capitula, ſeu ſuprascriptas petitiones poſtulamus, & ſupplicamus, ac petimus a Sereniſſimo Duc. Dominio et a toto Conſilio Venetiarum de maxima gratia ſpeciali.

Ad iſtud decimum ſeptimum Capitulum reſpondetur quod placet nobis.

Cap. 18. Item quod quilibet Civis de Civitate Sibenici ſit et eſſe debeat de cetro. ac tractetur pro Cive Venetiarum.

Ad hoc decimum octavum Cap reſpondetur, quod placet nobis et ſint Cives noſtri de intus.

Quæ quidem 18. Cap. cum reſponſionibus ſuperius perſonaliter annotatis, prout jacent, cum ipſorum noſtrorum Conſiliariorum auctoritate promittimus per nos et ſucceſſores noſtros ac Commune Venetiarum ipſis fidelibus noſtris Sibenicenſibus cunctis temporibus obſervari, et ipſa et eorum quodlibet firma et rata habere et tenere univerſis, et ſingulis noſtris Rectoribus et officialibus quibuscunque præſentibus, et futuris ſtricte præcipiendo, quatenus ipſa Capitula cum dictis reſponſionibus quatenus ad eos ſpectaret, debeant obſervare et facere inviolabiliter obſervari, in quorum fidem, et teſtimonium evidens præſens Privilegium fieri mandamus, et noſtra pendente bulla plumbea muniri.

Datum Venetiis in noſtro Ducali Palatio Anno Dommicæ Incarnationis Milleſimo quadringenteſimo duodecimo, menſis Octobris, die trigeſima, Ind. ſexta.

Ex quibus tria præcipue animadvertenda ſunt, quæ ad declarandum rerum ſtatum conferunt.

Primo apparere voluiſſe Sibenicen. ſpontanea ſua voluntate tanquam nobiles, & liberos homines metu Venetæ potentiæ deditionem: & Ladislavi venditionem quoad jura Siben. nullius efficaciæ fore: Venetos vero pro ipſorum prudentia ſe eos recipere ſpontanea voluntate dedentes libenter declaraſſe; ſed venditionem jurium Dal. ſibi a Ladislavo factam tanquam ab eo qui Coronam Vngaricam ſibi jure ſanguinis debitam a Legato ſummi Pon. exemplo Caroli Martelli, & Caroli Roberti acceperat, in ſuo vigore permanere voluiſſe, idque etiam juribus ipſorum Siben. conducere declaraſſe.

Secundo quod Siben. Caſtrum expugnari, & ne de novo conſtruatur, pacti

cti sunt: Castro enim permanente se liberos non arbitrabantur.

Tertio cum Ioannes Comes Cetinæ, qui multa loca eorum territorio proxima possidebat, & ex hac deditione Comitatum Siben. quem tenebat amissurus esset, ideo damna ab eodem timentes cautionem pacti sunt. Venetis Civitatem ingredientibus, Vngari fame laborantes, Castrum relinquere coacti sunt, quod a civibus radicitus evulsum fuit, ita, ut vix diligenter observanti vestigia ejus dignoscantur fuisse eo loci, ubi nunc Ecclesia S. Mariæ a Castello nuncupata sita est: pax deinde inter Cives conciliata extrinsecique in Civitatem inducti sunt, sic tandem turbæ
1412. Siben. quieverunt, eodemque tempore
30. *Xbris.* Ostroviza dum Præfectus nuptialibus epulis vacaret, ab Vngaris intercepta
Rein. fuit: Interim Turcæ, qui, quamvis
1412. post devictum a Tamerlane Bajazetem
n. 6. inter se divisi, quiescere Christianos permisissent; tamen Ostoya Rege Bosnæ Sigismundo obsequium detrectante eorundemque societatem ambiente occasionem nacti Bossinensibus rebus se immiscere cœperunt, quod Hervoye
1411. Dux Spalati tunc Ostoie exprobavit,
29. *April.* sed paulo post ipse quoque cum Turcis sentire deprehensus est, qui quomodo Vafritiem Demetrii Pharii imitatus Ducatum Spalati consecutus Reges Bosnæ, & Sigismundum multoties deluserit Tyrannusque evaserit, in supplemento ad Spalat. Chronist. declaratur: interim Summus Pontifex Christianorum bella sedare, & in Turcas vertere cupidus, cum pacem stabilire non potuisset, inducias inter Sigis. & Venet. in quinquennium pepigit, indeque
1413. in Dalmatia res quieverunt, Sigis-
28. *April.* mundusque bellum Turcicum cogitans Hervoyem Ducatu privavit causis in diplomate ejus expressis.

Nos Sigismundus D. G. Rom. R. semper Aug. ac Hung. Dal. Chroat. &c. Rex, memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis, quod fideles nostri universi, et singuli Nobiles cives, et tota Communitas nostræ Civitatis Spaleti proxima præterita disturbiorum tempora prudenter reminiscentes, per quosdam vid. Prælatos, Barones, Nobiles et alios quosdam nostros Regnicolas in Regnis nostris, quibus Majestate nostra in Regno Bohemiæ apud Serenissimum Principem Dominum Venceslavum ejusdem Regni Bohemiæ &c. Regem fratrem nostrum carissimum, pro magnis, et ingentibus ipsius D. Venceslavi fratris nostri, et nostris propriis factis, et negotiis expediendis, nec non Reipublicæ et totius Christianitatis incremento, et commodo constituta cuncti iidem Prælati, Barones, Nobiles, et alii suprascripti paternorum beneficiorum per Majestatem nostram ipsis Regia liberalitate uberius impensorum immemores, Dei timore penitus relegato crimen læsæ Majestatis incidere non verentes, quendam Ladislaum de Duracio assertum Apuliæ Regem in Regna nostra Dal. et Croatiæ duxerant, imo verius in ipsorum propriam perditionem eundem in Regem Hungariæ &c. coronando. Nos de dictis Regnis nostris per prædicti Ladislavi inductionem prætendentes alienare, quo inducto, idem usurpata sibi quadam prætensa auctoritate inter cæteras nostras Civitates, quas in præmissis nostris Dal. et Croatiæ Regnis occupaverat, nostram Civ. Spal. præfatam occupando, eandem Hervoye pro tunc nostri culminis notorio rebelli, et infideli adhærenti dederat, et donaverat, et ipsum Hervoyam ejusdem nostræ Civitatis Spal. creaverat in Ducem, demum nobis a prænominato D Wenceslavo fratre nostro carissimo expeditis, et consummatis prædictis negotiis & factis feliciter in antedicta Regna nostra redeuntibus auxilio Altissimi Dei antedicto Ladisl. de Duracio de Regnis nostris excluso, & profugato post plurimorum temporum cursus, dum suprad. Her. super suis excessibus, rebellionibus, infidelitatibus, & crimine læsæ Majestatis contra culmen nostræ Celsitudinis nequiter perpetratis, a nostra clementi benignitate gratiam & misericordiam obtinuisset, attento permaxime quod idem Her. mole senectutis, & ætatis decrepitæ . . . . . ac infœcundus existeret diebus suis labentibus ad occasum, quorum considerat. ea quæ sibi per Majestatem nostram donari contingeret brevis temporis curriculo ad nos & sacram nostram Coronam revolvere posse agnovimus, & pro eo quod idem Her. se ad nostri culminis servitia prompte, & fideliter serviturum perpetuis temporibus offerebat, sibi sæpedictam Civitatem nostram Spalaten. ipsi Hervoye Ducalis dignitatis titulo ejusdem Civitatis Mag. insigniendo de nostræ Regiæ plenitudine potestatis, ac quamplura Castra, & possessiones nostras, ac in signum sinceræ dilectionis ipsum in Compatrem nostrum assumendo sibi pro singulari honore, quoddam Clenodium, Scz signum Diaconis quod nos una cum Serenissima Principe Domina Barbara Regina Hung. &c. Conthorali Nostra Carissima, & quampluribus mundi Principibus nostrorumque Regnorum Baronibus, & Nobilibus Præfectis in signum indissolubilis societatis gestare solemne duxeramus conferendum, quia tum dum pridem Magnificus Zandalius Regni nostri Boznæ Wayvoda fidelis noster dilectus una cum aliis ejusdem Regni nostri Boznæ & aliorum Regnorum nostrorum fidelibus in Regno Rasciæ apud Illustrem Principem Dezpotum dictæ Rasciæ fidelem nostrum contra sævissimos Turcas, & aliarum Barbaricarum sævarum nationum gentes Crucis Christi persecut. & blasphem. qui partes dictæ Rhasciæ hostiliter intraverant in nostris servitiis fuisset constitutus, iidem Hervoye congregatis sibi certis complicibus, & armorum gentibus dicti Zandalii, namque Castra & quamplures possessiones contra edictum & prohibitionem nostræ Majestatis hostiliter invadendo expugnavit, Castrorum eorumdem homines, Divino & humano postposito timore, necando crudeliter, & insuper malum malo accumulare volendo, per certos familiares suos cum suis literis, quæ per quosdam fideles nostros apud eosdem repertæ fuere Turchas, & alias Barbarorum nationis gentes, ut in subsidium suæ malitiæ in dictum Regnum

nostrum

noſtrum Bohemiæ properarent, tanquam noſtri culminis, & ſacræ noſtræ Coronæ notorius rebellis, & infidelis manifeſtus venire invitaverat fermentum ſuæ veteris iniquitatis & malitiæ, quo pluribus præteritis temporibus inter fideles Regnorum noſtrorum prædictorum conſuevit procurare guerras, & diſcordias tota gens renovare omnium, & ſingulorum honorum donorum & beneficiorum, utputa compaternitatis, ſocietatis, & plurimorum donorum prædictorum, quibus ipſe præ cæteris noſtris Regniculis per Majeſtatem noſtram clementi benignitate extiterat redimitus, & honoratus, immemor & oblitus, nos una cum Prælatis, Baronibus, & Regnorum noſtrorum Proceribus maturo præhabito ſuper inde tractatu, & Conſilio eundem Hervoye tanquam noſtri culminis, & ſacræ noſtræ Coronæ notorium rebellem, & infidelem manifeſtum omnibus, & ſingulis ſuis caſtris poſſeſſionibus, ac quibuslibet ſuis honoribus præſertim titulo Ducalis dignitatis prænominatæ Civitatis Spaleti, quo titulo uſque modo fretus extitit atque functus, decrevimus fore privandum, deſtituendum, & degradandum; imo privamus deſt. degr. univerſas & ſingulas literas ſuper quibuscunque caſtris, poſſeſſionibus, villis, teloneis & eorum pertinentiis, & honoribus quibuscunque nominibus vocitentur, & præſertim titulo, & honore prædictæ Ducalis dignitatis per noſtram Majeſtatem vel prædeceſſores noſtros Reges, aut quoscunque alios eidem Her. datas & con. revocantes eas & annullan. vigore præſentium mediante, committimusque quampluribus fidelibus noſtris Prælatis, Baronibus, & Nobilibus ut ipſi cum valida eorum potentia inſurgendo, contra ſæpe nominatum Hervoye noſtri culminis notorium rebellem & infidelem manifeſtum, ac univerſos & ſingulos ſuos complices adhærentes, & ſibi ſubjectos, atque ſubditos tam nobiles quam ignobiles, qui a prænominato Hervoye avertere, & a ſervitiis & obedientia ſuis retrahere, ipſumque Hervoye deſerere, & relinquere, & ad ſinum noſtræ Majeſtatis veluti ad Dominum ipſorum naturalem redire non curarent, vel recuſarent procedere, & eosdem etiam in ore gladii ſi neceſſe foret ad præſtandum debitæ fidelitatis obedientiam compellere, univerſaque Caſtra, poſſeſſiones, resque & bona apud manus ejusdem Her. ſuorum adhærentium complicium ſubjectorum, & ſubditorum proditorum noſtrorum rebellium infidelitatem occupare & auferre, & eidem noſtræ Majeſtati infiſcare debeant, & teneantur. Idcirco prænominati Nobiles, Cives, & tota Communitas Spaleti ſæpedictæ, præmiſſam rebellionem & infidelitatem ſæpedicti Her. prudenter & ſolerter animadvertentur præmiſſorum quoque noſtrorum decretorum, & edictorum mandata merito formidanda agnoſcentes; qui conſiderantes etiam ut ipſi ſemper & ab antiquo noſtris, & olim Sereniſſimis Principibus D. Ludovico Ri. Bte. Ris Pris. & ſoceri noſtri cariſſimi ac etiam aliorum D D. Regum noſtrorum prædeceſſorum temporibus fidele, & incorruptum membrum ſacræ Coronæ Regni Hung. inviolabilis fidelitatis conſtantia, abſque ullius infidelitatis reprehenſione extiterint, potius ad ſinum noſtræ Majeſtatis convolare, & debitam prout tenentur nobis, & ſacræ noſtræ Coronæ præſtare obedientiam, volentes quod alicujus rebellionis contaminari menda, aut infidelitatis nota qualibet denigrari iidem Nobiles, Cives, & tota Communitas, ſe & dictam noſtram Civitatem Spaleti noſtri culminis, & ſacri noſtri diadematis ditioni tanquam eorum naturali Domino prout de jure debebant & tenebantur, ſubjecerunt in perpetuæ fidelitatis conſtantia apud nos & noſtram ſacri Regni Hung. Coronam jugiter permanſuri. Ut autem ſæpenominata Civitas Spal. Nobiles, Cives, & tota Communitas pro hujusmodi ſuis fidelitate & obedientia, quibus edictis & mandatis noſtræ Majeſtatis, absque cujusvis renitentiæ rebellione parendo ad gremium noſtræ Majeſtatis, & ſacræ noſtræ Coronæ redire, & reverti ſollicita & prompta fuerunt, ſe ſentiant aliqualem remunerationem noſtræ Regiæ liberalitatis reportare, ipſos Nobiles Cives, & totam Communitatem & Civ. noſtram Spal. in univerſis, & ſingulis ſuis pertinentiis Nobis & ſacræ noſtri Regni Hungariæ Coronæ, noſtrisque legitimis ſucceſſoribus Regni Hung. prædicti Regibus tanquam fidele, & principale membrum reſumimus, reſtaura. & approbamus, & de novo incorporamus; Titulum vero Ducalis dignitatis, quem prænominatus Hervoye, vel quicunque alter ad ſuam laudem, & ſingularis honoris titulum a culmine noſtro, vel a præfato Ladislavo de Duracio ſeu a quocunque alio Rege, vel Principe impetraſſe & acquiſiviſſe dignoſcitur, & ab eadem Civ. Spalati removemus, delemus, & ſopimus, eidem Her. & ſuis hæredibus, & poſteris univerſis, & ſingulis, & quibuscunque aliis, ſæpedictam Civitatem Spalatum impetere volentibus perpetuum ſilentium vigore præſentium imponentes, nihilominus committentes ſeveriſſime, quod nullus prædictorum Nobilium Civium, aut quorumcunque aliorum noſtrorum fidelium ſæpe fatum H. aut ſuos hæredes amplius & de cætero Ducem prænominatæ noſtræ Civitatis Spal. ab indignatione Majeſtatis noſtræ graviſſima, quam, contrarium facientem eo facto volumus manere, audeat nominare, aut præſumat quomodolibet appellare; quam quidem Civitatem noſtram Spal. cum univerſis, & ſingulis ſuis pertinentiis prædictis apud nos, & ſacram noſtram Regni Hungariæ Coronam volumus permanere; immo aſſumimus, promittentes, quod eandem nulli mundi hominum pro aliquo ſervitio, amicitia, ſeu pecunia, vel Theſauro etiam quantumcunque magno vel pretioſo a Nobis, & a dicta noſtri Regni Corona quouſque nobis vita conceſſa fuerit, volumus alienare, ſtatuentes, & decernentes hoc præſenti noſtro Regio decreto, ut quicunque noſtrorum ſucceſſorum Regum præfatam noſtram Civitatem Spalat. a Præd. Regni Hung. ſacra Corona pro aliqua mundi pecunia, vel Theſauro, aut pro alicujus hominis amicitia, ſeu ſervitio aliquo a futuro tempore alienare præſumpſerit, vel alienare attentaverit, anathemati ſit ſubjectus, & inſuper Omnipotentis Dei, & Glorioſiſſ. Virginis genitricis ſuæ, nec non B. B. Ladislavi & Stephani Regum indignationem eo facto ſe noverit incurſurum.

Datum in Pulſano in feſto Beati Petri de Vinculo Anno Domini 1413. *Regnorum noſtrorum an. Hung. &c.* 27. *Romani vero* 37.

Turcarum Regnum interim Mahometes
1414. conſequutus non ſolum Boſnam infeſtavit, ſed Croatiam quoque aggredi
1415. cœpit, ut Rain. ex Theodo. a Nien. refert
n. 54. ; nam Tragurienſes Ioanni Comiti Cetinæ amico Baliſtrarios contra Turcas prima vice miſiſſe, idque deinde
Eodem Anno. multoties feciſſe memorant ſcripturæ, controverſiasque inter eundem & Spa-
1412. latenſes compoſuiſſe, & communibus cum Spalaten. armis Almiſanorum repreſſiſſe piraticam ; Interim ob inducias nihil quidem hoſtile fiebat, ſed ſicuti Veneti Iadram & Sibenicum ſedulo muniebant, ita Sigismundus pro reliquorum locorum conſervatione, claſſe indigus, experientia rerum præteritarum edoctus, Tragurii, tamquam in opportuno ſitu arſenatum conſtruere deſignaverat, Hugolinumque de Au-
1412. ria Ianuenſem electum Admiratum ſtatim atque Sibenicum amiſerat, Tragurium miſerat, tuncque Civitas muniri cœpta eſt, & triremes adornari ; ſed cum deinde induciæ interceſſiſſent, apparatus omnes tepuere ; at cum finis earundem approximaret, neque aliqua compoſitio facta fuiſſet, iterum arſenatus fabricandi, triremesque inſtruendi juſſa ſupervenere, Civitasque pluribus in locis munita fuit, arſenatus vero tan-
1417. tum jacta fundamenta ex parte Occidentali prope Civitatem, quæ ad munitiones recentiſſime excitatas translata fuerunt. Turcæ interim in dies magis ſe dilatantes Dalmatis quoque terrorem incutere cœperunt ; nam Tragurienſes exploratores miſiſſe *ad eorum progreſſum obſervandum* memorant publica documenta. Inde induciis elapſis inter Sigiſ. & Venetos recruduit bellum, Traguriique juſſu Regis tres triremes de novo in-
1418. ſtructæ fuerunt, præter minores lembos, a quibus maxima damna Venetas
1419. naves paſſas, eorum Chroniſtæ memorant, in vanum Venetorum Claſſe in portubus peninſulæ Hillys & Inſulis Tragurio proximis excubantis. Idcirco expeditus eſt Petrus Lauredanus Claſſis Præfectus cum valida Claſſe triremium & quinqueremium aliquot in Aſiam & Ægyptum navigare ſolitarum, quas vulgo galeas groſſas dicunt, qui receptis Inſulis Brachiæ, Phari, & Curzulæ ſe dedentibus, integris viribus Tragurium obſedit, & deſcenſione in proximam Inſulam facta Bombardis per biduum quaſſavit, tertiaque die (cum nocte præcedenti multi Cives in continentem aufugiſſent) deditione recepit die 22. Iunii 1420. ut fuſius in Chronico.

Spalatenſes vero qui cives Hervoyanæ partis pepulerant, cum iidem Venetorum ope Inſulam Soltam occupaſſent, Polizanisque aſſociati Civitatem terra marique jam diu infeſtarent, ita ut ob- 1418.
ſeſſi viderentur, ex ſuperveniente Tra- 1419.
gurienſi oppugnatione territi, aggreſſionemque veriti, Venetis ſe tradere decreverunt, Legatisque Trag. ad Lauredanum miſſis deditionem pacti ſunt, & die 28. ejusdem menſis eundem, & præſidium Venetum receperunt ; & cum 1420.
Catarini quoque deditionem pepigiſſent, 1420.
Lauredanusque eo pergere properaret, 12. *Mar-*
ne Trag. & Spalati res inordinatas re- *Venetiis.*
linqueret, cum Ioanne Comite Cetinæ Almiſique Domino treguam Tragurii tractari cœptam, Spalati concluſit die 14. Iulii, de qua in Chron. Trag. Sic, rebus terra marique pacatis relictis Catarum ingreſſus eſt die 28. ejusdem : Ita Veneti Bellum cum Sigiſmundo gerentes, præter Raguſium & Vigliam, Dalmatiam univerſam recuperarunt, pacemque cum eodem fecerunt an. 1433. & poſt ejus mortem Almiſanos quoque ſe dedentes receperunt 1444. deinde Uladislaus filius Stephani Herzegi dicti, a quo Herzegovina, ne in Turcarum manibus caderet, Caſtrum Viſſechi in prærupto ſaxeoque colle ad ripam Orientalem Cetinæ tribus milliaribus a mari diſtans, ſitu anno 1475. Venetis tradidit, tandem Vigliam cujus Comitem Ioannem Frangepanum an. 1452. in protectionem ſuſceperant, ab eodem receperunt an. 1480. ita, ut quidquid Dalmatici Regni nomine continebatur (præter Raguſium) bono Dalmatiæ fato Venetis conceſſit. Nam Turcæ in dies ſe dilatantes, capta Coſtantinopoli Boſnenſe Regnum, ejusque Appendices, Stephano Thomæ Oſtoye Regis filio ſpurio occiſo, eripuerunt, Ungariæque, & Croa- *Rain.* 1445.
tiæ majorem partem occuparunt, ipſa- *n.* 23.
rumque Civitatum maritimarum agros in dies vaſtantes, tempora occupationis Dalmatiæ a Slavis factæ renovarunt, eo tantum hæc meliora ſunt, quod Venetorum providenti nullam Inſularum occuparunt, neque Piraticam exercere permiſſi ſunt ; unde tolerabiliorem vitam Dalmatæ ducentes, Turcis obſtant, quo minus in proxima littora Italiæ tranſeant, cujus occupandæ deſiderio ſe maximopere teneri profitentur.

LIBER SEXTUS.

DE recentioribus Dalmatiæ, & Croatiæ moribus, finibuſque.

CAPUT I.

De moribus Croatarum recentioribus.

ANtiquorum Croatarum mores, qui ſub Ducibus, & Regibus eorum fuerunt, & ex ſcripturis elici potuerunt 2. libro relati ſunt; nunc vero ſi referendi eſſent, qui Regum Ungarorum tempore obtinebant, hodiernis ſimiles apparerent; Ideo indigenis ſuperfluum, exteris vero tædioſum foret; aliqua ergo potius conſideranda, quæ ad confirmationem eorum quæ hactenus dicta ſunt conferunt, ut inde diverſitas inter Croatas, & Dalmatas, per temporum ſucceſſionem inducta, melius dignoſcatur.

Croatia omnis, ſicut & cæteræ Sclavorum Provinciæ, in Zupanias diſtincta fuit, quas duodecim initio fuiſſe ex dictis apparet, ſed ſingulis harum diviſis, multiplicata quoque nomina Zupanorum reperiuntur; Regibus vero Croatis, deinde Ungaris, jurisdictiones Zupanorum Comitibus tribuentibus, Zupanorum nomina vileſcere cœperunt, jurisdictionis tamen eorum antiquæ non obſcura veſtigia ſuperſunt; nam in multis ſcripturis, Zupani loco Comitum nominantur, ut in compoſitione Cliſ-
1171. ſenſium cum Spalat. Albonenſium cum
1214. Arbenſibus, & in Sibenicenſium ſcri-
1237. pturis: Jurisdictiones etiam exercentes
1177. inter villicos terrarum Croaticarum Zupani vocabantur, ut in Chronico Trag. latius.

Nonenſem quoque Epiſcopum jus conferendi Zupanatus officium habuiſſe ap-
1302. paret, ipſumque Zupanum jurisdictionem, & prærogativam Nonæ, ut in Civitate Croaticæ habuiſſe.

Hæc de Croatarum Zupanis; item in
1148. Inſulis Brachiæ, & Phari, quæ, ut ſupra dictum eſt, a Serblis, Chulmitanis, & Narentanis obtinebantur Zupani memorantur, ac in memorato Belæ Regis Privilegio jurisdictio Zupani cujusmo-
1243. di fuerit apparet.

Stephanus etiam Neemania dominus Serviæ ante Regni inveſtituram Archizupani, vel Megaiupani titulo uſus eſt.

Supra lib. 5. cap. 3

Zupa hodie quoque regionem aliquam habitatam, vel ejusdem regionis homines congregatos ſignificat; & ſicuti Croatæ per temporum ſucceſſiones in Dalmatarum territoriis, & civitatibus irrepentes, linguam Croaticam, & mores intulerunt, ita Præpoſiti confraternitatibus Plebis, & Villicorum more Croatarum ab antiquo Zupani vocantur, ita ut poſt tot ſæcula jurisdictionis Zupanorum memoria adhuc retineatur, idemque ſignificat communiter, quod apud Longobardos Gaſtaldio.

In Urbibus Croaticis, quænam fuerit Regum tempore munitionis ratio, nulla memoria reperitur, ſub Ungaris in ſingulas ſuas arces extructas fuiſſe ex dictis de Iablanich, Scardona, Sibenico, Cliſſo, & Tininio apparet, quæ caſtra appellabantur.

Hæ arces a Caſtellanis Regiis, vel a Comitibus, aut V. Comitibus obtinebantur.

Ad quæ autem onera tenerentur Cives ex ſupraſcriptis de Iablanich & Scardona conſtat.

Statis anni temporibus convenire ſimul ſolitos ſingularum Zupaniarum homines conſtat, & præterea juſſu Banorum & Comitum prout occaſio neceſſitasque exigebat, ibique in commune conſulere, & quæ res ferebat decernere: hoc conventum latine Parlamentum in ſcriptis appellatum reperitur, Croatice vero, Sbor, dicunt; quo nomine etiam Civitatum univerſitates quoties deliberandi cauſa in unum conveniebant dictæ fuere.

Nulla Lex ſcripta apud Croatas in uſu fuit: mos quippe majorum, & antiquæ conſuetudines pro legibus habebantur: in contrahendo raro admodum ſcripturarum documentis utebantur, teſtium fide, & religione ad res geſtas probandas contenti; Iudicia a certis Magiſtratibus, ac plerumque ab Arbitris, de quibus inter partes convenerat exercebantur: illud notatu dignum, quod pars in judicio victa, non aliter appellare a ſententia rite cenſebatur, niſi operimento capitis in terra jacto, appellationem proteſtaretur, tuncque controverſia ad regionis congregationem, vel totius Regni Curiam, prout rei controverſæ qualitas requirebat, deferebatur.

In criminalibus vero, quomodo judicia ferentur, in ſcripturis nulla memoria reperitur, tamen in homicidiis, vel membrorum mutilationibus conſangui-

neos petere ſolitos fuiſſe, compenſationem pecuniariam pro ſanguine, hancque petitionem & compoſitionem Vraſdam nominatam apparet: in Regno autem Raſciæ D. Yperperorum ſolutione mortem hominis compenſari ſolitam pro Vraſda ex ſtatuto Raguſii lib. 6. cap. 76. conſtat.

Banis V. Banis Comitibus, & Caſtellanis dona certa bis in anno dabantur, ſcilicet diebus Nativitatis Domini, & Paſchatis, hæcque dona dationes latine ſcripta reperiuntur; hos etiam advenientes epulis recipere, & abeuntes muneribus proſequi mos erat, quæ procurationes dictæ fuerant, eadem obſervabatur munerum conſuetudo, occaſione nuptiarum, & natalium liberorum, & denique apud Croatas nefas eſt inferiorem manibus vacuis ſuperiorem adire.

Satnicus dicebatur qui præerat regioni, quæ centum armatos dare poterat, horum loco ſucceſſere Knezi, quod idem quod Comites ſignificat.

Voyszka exercitum ſignificat, inde contributiones belli cauſa exigi ſolitæ, Voykine appellabantur.

Voyvoda vero exercitus ductorem ſignificabat, at hodie promiſcue pro quolibet exercitus, vel ordinum ductore accipitur, ut apud Italos Capitaneus.

Reges Ungariæ Magiſtratum, qui vicem ipſorum gerebat in Dal. & Croatia Banum antiquo Croatarum titulo (ut ex Porphir. lib. primo relatum eſt) vocabant: quem nonnunquam filiis quoque vel fratribus, Ducatus tamen titulo, concedebant, ut relatum eſt: Andreæ Ducis tempore reperitur, Comitem quemdam Paulum nomine, cognoſcendis inter Latinos & Slavos controverſiis impoſitum, ſed regnante eodem Andrea, loco iſtius Iudicis, alter Banus additus 1200.
fuit, qui maritimus dictus eſt, & Bano Dalmatiæ & Croatiæ ſuberat, qui titulo mutato Banus totius Sclavoniæ vocabatur, ut ex ſuprarelato Privilegio Stephani Bani de Iablanich apparet.

Sicuti ergo nomen Sclavoniæ æquivocum cum Croatia fuiſſe reperitur, ita Banus Sclavoniæ, pro Bano Croatiæ, & Banus maritimus, pro Bano Dalmatiæ ſumebatur, hacque diſtinctione Breberienſes ut plurimum uſi fuere; At ſicuti in Dalmaticis Civitatibus nulla juriſdictio Banis de jure competebat, niſi in aliquibus caſibus accidentalibus, puta bellorum tempore; Principum tranſvectionibus, aliisque ſimilibus, in quibus jura ſilere oportebat; ita Banorum maritimorum induſtria erat talis, ut Dalmaticas Civitates apud Banum Sclavoniæ protegentes, ab eiſdem dona reciperent, multasque commoditates, ut in patriæ Chronico latius.

In Croaticis autem maritimis Civitatibus, quæ, ex Privilegiis ad inſtar Dalmaticarum conſequutis, Dalmatizabant, jurisdictionem antiquam exercere volebant, etiam invitis civibus, ut ex ſcripturis Nonæ & Sibenici apparet.

CAPUT II.

De moribus Dalmatarum recentioribus.

REgum Dalmatiæ tempore mores Dalmatarum communes fuiſſe cum cæteris Civitatibus Orientali Imperio ſubjectis, ſupradictum eſt; ſub Venetorum autem ditione, qua ratione, quibuſve legibus uſi ſint, nulla memoria reperitur; iiſdem tamen moribus, & juribus vixiſſe, quibus ſub Imperio ex Arbenſium relata ſcriptura 1118. colligi poteſt. Ab Ungaris deinde Dalmatia occupata, relatum Colomani Regis Privilegium 1108. jura Regalia & Dalmatarum juriſdictiones ſatis declarant; quibus Geyſa aliqua addidit 1151. Emericus itidem 1197. cæteri autem Reges uſque ad Ludovicum eadem fere formula in ſuis Privilegiis uſi ſunt. Quæ referre operæ pretium eſt, ut jura Dalmatarum, quæ libertates appellabantur cognoſci poſſint.

1. *Ego Colomanus Rex Ungariæ, Croatiæ atque Dalmatiæ juro ſuper ſanctam Crucem vobis Tragurinis meis fidelibus civibus firmam pacem.*
2. *Mihi & filio meo aut ſucceſſoribus meis tributarii ne ſitis.*

Emericus loco ſecundi capitis. *Statum & libertatem veſtram in integram conſervare.*

3. Epiſcopum vero aut Comitem quem Clerus & Populus elegerit *ordinabo.* *Geyſa confirmabo.*
4. *Et lege antiquitus conſtituta vos uti permittam.*

Geyſa addidit. *cum veſtro judice.*

5. *Præter quam introitus portus Civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero Comes Civitatis, decimam autem Epiſcopus.* *Geyſa addit Mercatoribus,*
6. *In Civitate quoque veſtra neminem Ungarorum, vel alienigenarum habitare permittam, niſi quem voluntas veſtra expetierit.*
7. *C morum ſuarum, niſi quem dilectio veb ſtra ſuſceperit.*
8. *At ſi forte aliquando Dominium meum morum ſuarum, niſi quem dilectio veſtra ſuſceperit.*
8. *At ſi forte aliquando Dominium meum aliquem aggravare videbitur, & alias ire voluerit, ſecure cum uxore, & filiis, & familia, & omnibus ſuis quocunque ſibi placuerit eat.*

Geyſa addit. *Emeri Bano qui pro tempore fuerit*

9. *Mihi aut* alicui noſtrorum hominum *nullum perſolvatur debitum.*

10. *Ob-*

10. *Obſides a vobis nullo modo recipiam.*
11. *Sed in noſtri Curia ſervire volentibus, rogam impendam, & morandi, ſive diſcedendi ad ſuum velle facultatem obtineant, nullamque vobis ſuper hoc moleſtiam inferam.*
12. *Inſuper vobis talem libertatem concedo, quod nullus homo cum Sigillo vos audeat convocare extra Civitatem.*
13. *Si aliquis per meum Regnum veſtrorum Civium terra marique negotia exercuerit mihi nullum tributum perſolvat.*

Emer. addit nullum pedagium.

Emericus addit.

14. *Quod ſi quis extraneus de Regno noſtro, vel aliunde cum uxore filiis & cætera poſſeſſione fugiens iram, velindignationem Regis ad Civitatem veſtram confugiet, liberum ſit vobis ipſum recipere, eumque penes vos diebus ſeptem fovere pacifice, quod ſi gratiam in prædicto dierum ſpatio habere nequiverit, eum cum univerſis rebus ſuis a vobis dimittatis, ut ſicut libere acceſſit, ita libere abſcedat.*

Hæc fuere libertatum Dalmaticarum capita a Regibus Ungariæ in Privilegiis eorum expreſſa, ad quorum intelligentiam pleniorem repetenda ſunt aliqua, quæ ſupra relata ſunt.

Dalmatas, permittentibus Imperatoribus Orientis, Croatis tributum pecuniarium, ultra vinum, & cæteras ſpecies diverſas, dediſſe ex Prophirogenito relatum eſt: hoc tributum Duces Urſeoli Dalmatas in protectionem ſuſcipientes, interruperant, quod Regum deinde Dalmatiæ tempore iterum penſum fuiſſe dicendum eſt; extinctis vero Regibus tributum quoque ceſſaſſe credendum.

1. Colomano deinde Dalmatiam vi occupante, bellum tunc fuiſſe oportet, ut relatum eſt, ideo in primo capite Rex Pacem jurat.

2. In ſecundo vero, prout in juribus Croatiæ & Dalmatiæ Regum ſucceſſerat, ita tributarios non fore amplius Dalmatas declaravit; & hæc eſt illa libertatis conceſſio Colomano tributa, Nam odioſi, & obſoleti jam tributi nomine remiſſo, revera tamen tributum trigeſimæ in ſignum Poteſtatis ſibi reſervavit, ut infra cap. 5.

3. Epiſcopi & Comitis electio ad Civitates, ex antiquo Romanarum Provinciarum more, pertinuit, confirmatio tamen Comitum ab Ungaris & Venetis petebatur; hocque erat alterum ſubjectionis caput.

Epiſcoporum quoque inveſtituras quando Privilegium conceſſit, Colomanus dabat, ſed deinde 4. remiſit, ut relatum eſt, multas tamen Epiſcoporum electiones Reges Ungariæ ſuo nutu, vel ipſorum favore Bani, aut Aulici fieri procurarunt.

Comites autem Cives ſibi quem volebant eligebant; ſed in relato bello inter Trag. & Spalatenſes; cum poteſtatem Spalati Tergeſtinum cauſam belli fuiſſe creditum fuerit, ideo Banus cum delegatis Regiis electionem Comitis Spalati *de Regno Ungariæ fiendam declararunt*, quod Rex Bela confirmavit, eoque exemplo civitatum Dalmaticarum Comites, ut plurimum, de Regnicolis eligebantur, tamen uſque ad Ludovicum ſæpe exteri quoque electi fuerunt, ſed ipſo regnante, omnes de Regno Ungariæ fuiſſe reperiuntur. Modus autem electionis Epiſcoporum & Comitum in patriæ Chronico refertur.

4. Lege Romana uſos Dalmatas, quoad Orientali Imperio paruerunt, clarum eſt, & ob Michaelis Amorenſis Dalbi ſocordiam, excuſſis Romani Imperii habenis, liberos, ſuiſque non alienis legibus uſos ſcriptores Græci relati teſtantur.

Hinc leges in unaquaque civitatum Dalmaticarum ortum habuere, quæ per temporum ſucceſſiones in volumen collectæ, Capitulare vocatæ fuere, deinde in ſecunda compilatione, Statuta; Forma autem & modus condendarum & compilandarum Legum in patriæ Chronico declaratur. Hocque fuit præcipuum caput libertatum; Nam Dalmatæ nullum tunc ſuperiorem agnoſcentes, libertate integra leges ſibi condiderunt, Romanas imitati, ſed cum ex virium imbecillitate per ſe quælibet Civitas, eas a vicinis Slavis defendere non valeret, ideo altera alteri opitulando ſuppetias ferebat, & cum neque unitæ vires ſufficientes ad propulſandas Slavorum injurias haberent, modo ad Imperium, modo ad Venetos confugiebant, horumque ope patrias leges libertatemque tutati ſunt, ut relatum eſt, ſed quum quiete vivere, terras continentis colere, mercaturaſque terreſtres exercere non poſſent, ad pactionem tributi cum Croatis & Serviis devenere, cujus imitatione Colomano Croatarum loco ſuccedenti partem trigeſimæ tribuere, ſuiſque legibus vivere permiſſi ſunt.

Suis enim legibus vivere, idem erat, quod integra libertate frui, nam leges civibus modum vivendi ſtatuentes a cujuslibet alterius juriſdictione cives eximebant, & in controverſiis arduis, in quibus cives inter ſe quandoque diſſidentes modum decernendi non inveniebant, ad Arbitros ex vi legum controverſia deferebatur, ita ut Bano aut Vice Bano dirimendarum litium cauſa juriſdictionem aliqualem exercendi in Civitatibus locus ullus daretur, adeoque hæc cum Banis, & Vice Banis controverſa fuere, ut plurimæ deinde diſſenſiones, ac etiam bella orta ſunt, ut in Chronico Patriæ.

Addit Geyſa cum veſtro Iudice: Comes enim a Civitate electus, & a Rege confirmatus extraneus erat, Iudex autem ſive Iudices ex ejuſdem Civitatis nobilibus, ſimul cum Comite judicabant, neque Comiti fas erat ſoli ſine Iudicibus

ſententiam ferre, ſed major ipſorum pars prævalebat, ita ut Comitis opinio pro una tantum numeraretur, ut in Chronico latius.

5. *De extraneis mercatoribus introitus duas partes*, id eſt, detracta prius decima Eccleſiaſtica, dimidiam Rex habeat; hicque obſervandum Regi tributam fuiſſe eam partem portoriorum, quæ ab extraneis pendebatur, nam Cives nullum portorium, ſive Datium, tenebantur ſolvere, prout neque hodie in rebus pro proprio uſu emptis.

6. 7. 8. Quæ autem Epiſcopo & Comiti de his portoriis dabantur, in Chronico cap. 6. 7. 8. non indigent declaratione, namque in eis expreſſa totalem illam libertatem Civitatis ſignificant, quam ab Ungarorum Præfectis, Croatico more Dalmatas tractantibus, interruptam, his declarationibus iterum reſtitutam fuiſſe argui debet.

9. A Geyſa additum, & Emerico declaratum, ad Banorum, & Vice Banorum comprimendos inſultus, qui Croatis dominari ſoliti, Croatarum more a Dalmatis conſuetis exeniis honorari volebant; qua de cauſa plurimas controverſias cum Banis interveniſſe memoratur.

10. Obſides tamen a Regibus ſuſceptos memorat Archidiaconus, quod poſterius evenit expreſſioni Geyſæ, ut in notis ad eundem refertur.

11. Voluntaria non coacta ſervitia perſonalia Regi præſtari ſolita declarat.

12. Nullus ſigillo, id eſt litteris Regiis, vel Banalibus, extra Civitatem trahatur contra leges, nam ſicuti a decretis Comitis & judicum appellatio non dabatur ad aliquod tribunal extra Civitatem, ſed ad ſequentes tantum Curias, uſque ad duas conformes, ex quibus res judicata inducebatur: ita Bani, & Vice Bani Dalmatis ad eorum tribunal accedentibus juris petendi cauſa contra Croatas judicia exercebant; Sed ſi vice verſa Croatæ aliquam quæſtionem cum Dalmatis habebant, eoſdem apud eorundem tribunal reſpondere, cogere volebant, quod Dalmatæ ex propriarum legum vigore declinabant; Qua de cauſa cum Banis ſimultates oriebantur, quæ cum aliquando ſufficiens non eſſet, alias declarationes poſteriorum Regum repetere neceſſe fuit, ut in Chronico Patriæ refertur.

13. Hæc favorabilis declaratio, an communis cum cæteris Croatis fuerit ab antiquo, vel tunc a Geyſa conceſſa incertum.

14. Hæc additio liberum cuique acceſſum, & receſſum in Dalmaticis Civitatibus ſignificat, ita ut neque ipſos jam declaratos Regis rebelles excludat, quod illam antiquam integram libertatem declarat.

Hæc fuere ſub Regibus Ungariæ ad Ludovicum uſque Dalmatarum jura, ſive libertates; ex quibus facile colligi poteſt, quam diverſus rerum Dalmaticarum ſtatus ſub Ungaris fuerit ab eo, quem ſub Venetis obtinebant; Veneti enim loco Romanorum ſuccedentes Dalmatas uti ſocios tractabant, & ſicuti pro communi utilitate Adriaticum cuſtodiebant, ita Dalmatas Venetorum protectioni adhærentes libenter eiſdem auxilia præſtitiſſe dicendum, qua mutua neceſſitate animos vinciente, Dalmatæ antiquis moribus vivere permiſſi ſunt, ita ut ſub Venetorum ditione nulla oneris gravitas ſentiretur; & quamvis ex viciſſitudine rerum aliquæ Civitates ad Ungaros & Emanuelem Imperatorem tranſierint, tamen poſt Otthonis Orſeoli Ducatum ad annum uſque 1204. nullum vectigal, aut tributum quod Dalmatæ Venetis penderent memoria reperitur, quo tempore Iadra ad Venetos rediit, obſidibus traditis, pactoque levi pellium cunicolorum tributo; Sed cum ad Ungaros iterum defeciſſet 1242. brevi tamen ſubacta, ſub jugum miſſa fuit, quod ope Bani Pauli detraxit 1310. & ad Venetos amplis conditionibus, & ab antiquis parum vel nihil diſcrepantibus, rediit; cæteræ quoque Dalmaticæ Civitates iiſdem fere pactis Venetis ſe dedidere, ut relatum eſt.

Ungari vero loco Croatarum ſuccedentes, Monarchico dominio aſſueti, ex morum diverſitate Dalmatas aſperius tractabant; Bani namque qui in obſequiis Regi præſtandis ſervitute gloriabantur, Dalmatas quoque Croatico more ſibi præſtare ſervitia, & obſequia curabant, quod cum de directo contra libertates, & mores Dalmatarum eſſet, Banorum & Vice Banorum juriſdictionem gravem Dalmatæ experiebantur, ipſique Bani & V. Bani Dalmaticarum libertatum prærogativam oderant, ſuiſque rationibus damnoſas reputabant: quum ex Dalmaticis Civitatibus nullos fructus de jure, quemadmodum ex Croaticis capere poſſent: tamen ipſi Bani prout apud Regem, vel Aulicos gratia pollebant, ita magis, vel minus Dalmatas variis artificiis vexabant, quærebantque occaſiones Croatico more dominandi: Aulici vero Banis opitulabantur, nam prærogativam libertatis Dalmatarum ipſi pariter æquo animo non ferebant; Ita ut quærimoniis Dalmatarum difficilis erat ad Regias aures aditus; & præter partem trigeſimæ, quæ Regi dabatur, Banorum, & V. Banorum vexationes crebris contributionibus redimere, Aulicorumque Regiorum gratiam mercari oporteret, quibus accedebant continuæ vicinorum Comitum Croatarum moleſtiæ.

Venetorum autem, neque Duci, neque aliorum Magiſtratuum ulli, quidquam pendebatur, contribuebaturque præter conſuetum Comiti ſalarium, & illam voluntariam ſtrinnam ſupra memoratam,

quæ,

quæ, quidnam fuerit referendum est, quod ex scripturis quamvis mutilum elicitur: in Veglienſium enim ſcripturarum fragmentis ejus talis extat mentio.

1133. *die* 3. *Novembris D. Dominicus Veglienſis Epiſcopus in ſuo Epiſcopali Palatio, una cum Iudicibus Civitatis pro Communitate Veglæ ex una, & D. Duymus Veglien Comes ex altera, convenerunt, ut colta, quæ apud Commune erat pro urbe reparanda, & aliis expenſis fiendis nuntiisque mittendis, & ſtrina Venetis danda prædicto Comiti promittenti ſingula, exequi conceſſa fuit.* Ducis vero Ziani Privil. Trag. 1174. ſupra relatum est ſuo loco in quo ſtrina voluntaria memoratur. Venetis ergo ſtrinam, vel ſtrinnam tradi ſolitam ex his conſtat, quid autem ſtrina fuerit ex ſtatutis Pharæ & Raguſii percipitur iiſdem verbis.

lib. 5. c. X.

Statut. Raguſii lib. 7. cap. 56. Deſtrina vel Pedocio.

Volumus quod ſi aliqua navis, vel lignum in quo eſſent mercatores darent aliquid alicui pro ſtrina, vel pro pedochia, vel aliquid aliud de voluntate majoris partis illorum, qui ſunt in ipſa navi, vel ligno pro ſalute ligni vel navis, & de illo havere quod eſt in ipſo ligno, vel navi, quod illud debeat reſtitui, & ſolvi de toto havere quod eſt in ipſo per varcam.

Hæc ex monumentis Dalmaticis elici potuere de ſtrina, vel ſtrena; quid autem ſignificat Feſtus de verborum ſignificatione tradit.

Strenam vocamus, quæ datur de religioſo, ominis boni gratia.

Ad cujus rei clariorem intelligentiam, repetendum quod primo libro ex Prophirogenito dictum est, ſcilicet

Baſilium Imp. auctorem fuiſſe Dalmatis, ut quæ Prætori ſolvebant, ea Slavis darent pacis cauſa, & Prætori exiguum aliquid penderent, ad oſtendendam Rom. Imperatoribus debitam ſubjectionem.

Et conſiderandum, an Veneti, qui in ditione Adriatici Orientali Imperio ſucceſſerant, illud exiguum, Præfectis Romanis dari ſolitum, ſibi tradi voluerint; cum in omnibus fere aliis Romanorum mores imitantes, Romanas conſuetudines magis quam cæteri ſervaverint, & hæc exiguitas uti voluntaria an ſtrena vocata fuerit; ipſamque Venetos exegiſſe, donec conſecuto integro Adriatici dominio, hanc ſtrenarum voluntariarum incertitudinem auferentes, certum vectigal per Adriaticum navigantibus impoſuerint, ut relatum est & probabile videtur.

Atque hi fuere poſt extinctos Reges mores Dalmatarum; quo tempore nonnullæ civitates ex Croatarum & Serblorum gente in jus Dalmaticum conceſſerunt, & præcipue Sibenicum; quæ Deſpotico aſſuetæ Imperio, difficile ſe legibus Dalmatarum accommodabant, Comites namque perpetuos habuerunt, qui in officio contineri a Piraticaque abſtineri non poterant, & quamvis paulatim novam vivendi rationem induerent, & cum cætera Dalmatica coaleſcerent, ex veteri tamen inſtituto durius erga ſe Banorum & impotentius Imperium experiebantur. Excepere deinde Regnum Ungariæ diſſenſiones, quarum occaſione Breberienſes Croatiæ ditionem occuparunt, Dalmaticas quoque Civitates adipiſci conati ſunt: Ex qua domo Mladinus Banus Boſnæ, Dalmatiæ, & Croatiæ Principis titulo ſumpto, cum ſuperbe, & crudeliter imperium exerceret, veteres, & obſoletas Croatarum iniurias renovavit. Affirmabat enim Croatici juris eſſe, quidquid terrarum extra muros Civitatum reperiebatur, ut Madius refert; Atque hoc eſt quod Prophirogenitus ſcribit Dalmatas, præter pecuniam, vinum, & cæteras ſpecies diverſas Slavis loco tributi dediſſe: quod in cauſa fuit, ut Dalmatæ denuo Venetis ſe dediderint pactis ſuo loco expreſſis.

cap. 18.

Feliciterque admodum hæc rerum mutatio Dalmatis ceſſit: quippe caſtigatis vitiis, quæ ex impotenti Breberienſium dominatu in publicas privataſque eorum rationes irrepſerant, moderatus, & Veneto ſimilis reipublicæ ſtatus inductus eſt, & ad uſque tempora Ludovici Regis Ungariæ perduravit; qui admoto ad fines Iadrenſium exercitu ſuſpicandi materiam Venetis præbuit, averſi a ſe ejus Civitatis animi, quaſi ad Ungaricam ditionem iterum redire agitarent. Hinc celebris illa Venetæ Claſſis in Iadram expeditio, & urbis obſidio, & mox deditio, & arx, & præſidium, nec dubium dominationis jugum, a quo ſeſe nunquam expedire illa Civitas potuit: Nam quamvis poſtea Ludovicus Iadram de Venetis armis recepiſſet, neque arce urbem, neque præſidio levavit, nec antiquas immunitates, quibus a Venetis mulctati fuerant, reſtituendas putavit; Ex integro namque rationem perſcripſit, quæ deinceps in exercendis judiciis, & cæteris rebus Civitatis obſervari deberet, quæ hujuſmodi eſt.

Ludovicus &c. omnibus Chriſti fidelibus. Decet Regiæ Majeſtatis clementiam eos attollere prærogativis potioribus præmiorum, quos conſtat impendiſſe ſublimiora, & majora genera meritorum, quia favor, qui talibus generoſe exhibetur, & eos in bonorum operum laudabili proſecutione corroborata, & alios ad ſinceræ fidei conſtantiam debite impendit, allectit, & intimat. Proinde ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire; quod accedentes ad noſtram præſentiam Magci Viri Nobiles providi, & diſcreti Iacobus de Ceſſano Aulæ noſtræ miles Amiratus noſter maritimus, ac Comes inſularum noſtrarum Faræ, & Bratiæ, Daniel de Varicaſſio, & Gregorius filius Pauli de Georgio cives noſtræ Civ. Iadræ, in ſuis, & Rectorum juratorum, ac totius Communitatis Civium, & hoſpitum de eadem perſonis, noſtræ humiliter ſupplicavernnt Majeſtati, ut cum quædam libertates, & gratiæ ſpecificandæ inferius ſint, & exiſtant

ſtant quamplurimum opportune, eos, & Cviitatem noſtram prædictam eiſdem inſignire, & Privilegiare de benignitate ſolita dignaremur, ipſos, prædictorum Rectorum juratorum, & Civium noſtrorum Iadren ſir mam, & ſtabilem, puram, ac ſinceram fidelitatisconſtantiam, quam progenitoribus noſtris Illuſtribus Regibus Ungariæ atque nobis ſtudioſe, & ferventer ſolicite, & perſeveranter cum bonorum ipſorum proſecutione laudabili, promptis conatibus impendere curaverunt, & ponendo pro eiſdem, atque nobis ſucceſſivis temporibus ſe, & ſua ſubſtinendo: inſuper pro Regii & Regni noſtri honoris incremento vicibus quampluribus mortes, ſtrages, exilia, atque damna indiſſibilia in perſonis, atque rebus ſæva, & deteſtanda perſecutione Venetorum Civium noſtrorum, & Regni noſtri notoriorum æmulorum fere uſque ad hæc tempora, quibus nobis divina gratia conferre dignata eſt de eiſdem Venetis victorioſe triumphare, ac ipſos Iadrenſes & per conſequens totum Regnum noſtrum Dalmatiæ noſtro Dominio ſubjugare, & ad antiquum jus Regium revocare coram noſtræ Majeſtatis obtutibus recenſitis, licet iidem multo plura, & potiora mererentur, in aliqualem tamen recompenſationem præmiſſorum gratias & libertates infraſcriptas eiſdem duximus concedendas.

In primis quod iidem Iadren.; & res ſuas, ſeu Civitatis ipſius confines, & terminos ſub eiſdem limitibus, quibus ante proxime præteritam guerram pacifice & quiete, juſte, & juridice poſſederunt, etiam poſſidere debeant in futurum, quos eiſdem præſentium teſtimonio confirmamus, & validamus, ipſis omnia inſtrumenta publica hactenus ſolemniter confecta inter eos ſuper eorum juribus, & ſuorum, tam inter eorum confinia ipſorum jura tangentia, quam etiam extra eorum confinia ubicunque, ut in poſterum eadem valeant, prout hactenus valuerunt, ea autem quæ deinceps inter eos, & intra eorum confinia, & ſuper eorum juribus, & ad eos pertinentium conficientur, valeant inter eos: Sed inter Croatas & alios extraneos ſervetur in conficiendis litteris per os, & noſtros Barones, quos pro juribus noſtris nexequendis ad illas partes decrevimus deſtinandos eſt ſtatutum.

Poſtremo conceſſimus quod Cives noſtri Iadræ, & eorum hoſpites antedicti nullius alterius judicio aſtare teneantur præterquam Comitis, & ludicum eorundem conſtituti, ſi tamen aliqua partium ſenſerit ſe gravatam, volumus ut ad noſtræ Majeſtatis præſentiam valeat appellare, in cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam præſentes conceſſimus litteras Privilegiales pendentis authentici ſigilli noſtri duplici munimine roboratas. Data per manus &c. A. D. 1358. quarto Idus Februarii Regni autem noſtri 16.

Et quamvis Spalatenſibus, & Tragurienſibus antiqua Privilegia confirmaſſet, Sibenicenſibuſque ob præſcriptas Banales vexationes ultra Privilegia alias quoque declarationes favorabiles indulſiſſet; tamen Rex abſolute dominari aſſuetus, Dalmatarum Privilegia mutilans, omnia ad ſe trahere cœpit, & principale libertatum Dalmaticarum caput ademit; Iudice ſcilicet Appellationum in Dalmatia inſtituto, ſententias Dalmatarum appellabiles, Civesque extra Civitatem trahi poſſe contra Privilegio declaravit, juſque in univerſa ab ipſo dilatata Dalmatia uniforme eſſe voluit; Hoc tamen appellationis tribunal, toties exoratus, vix ad quatuor Collegia Italica detulit (quod Cattarini ſoli hodie uſque ſervant) deinde ſicuti rerum venalium trigeſimæ partem ex vi Privilegiorum Rex Iure ab antiquo conſequebatur, ita integra totius trigeſimæ utilitate ſibi appropriata, Cameram trigeſimarum Dalmatiæ inſtituit, neque his contentus, ſal, publica Civitatum utilitate, & privatorum induſtria diſtribui ſolitus, vetita cunctis venditione, auctoque ejus pretio, Cameram ſalis inſtituit, & trigeſimæ junxit: Ex arbitrioque regnans, aliquos Comites Civitatum electos confirmare noluit, aliquos vero ipſe elegit, Civeſque quoſdam a juriſdictione Civitatum exemit, aliquorum banna remiſit, in Civitatesque recipi coegit: Carolus quoque Dux Dyrrachii & Duciſſa ejus uxor dum in Dalmatia juſſu Ludovici Ducalia exercerent, multa innovarunt; abinde Dalmaticæ Civitates amiſſis præcipuis utilitatibus ex inopia munera publica difficile obibant, navigationeque in dies declinante, & ex bellis cum Venetis etiam interrupta, privatorum quoque opes, ſervorumque numerus minuebatur, locaque maritima inculta relinquebantur; Ita ut quod olim facile ſingulæ Civitates ante an. 1200. Venetis triremem unam auxiliarem præſtabant, tunc quamvis dilatatis in continenti territoriis, præter Iadram & Raguſium neque duo Civitates ſimul unam inſtruere poterant, quod ex intermiſſo rei maritimæ uſu eveniſſe in Patriæ Chronico declaratur.

Mortuo Ludovico variæ Sigiſmundi cum Carolo, Ladislavo, Regibus Boſnæ, & Regni Baronibus contentiones, Regnum Ungaricum diſtraxere, Dalmataſque inter ſe diviſos hinc inde traxere, diſſenſioneſque inter Cives diutius viguere; Sed publicus Civitatum ſtatus, nullam aut parvam mutationem accepit; Tandem poſt varios caſus Dalmatia ad Venetos rediit, qui aliqua in novis Privilegiis corrigentes, Dalmatas ſuis legibus vivere quidem permiſerunt; Sed ſicuti Iadram cum arce emerant; ita in cæteris quoque Civitatibus arces conſtruentes, eas abſque ſuſpicione tenent quietas.

Hæc de moribus Dalmatiæ urbiumque ejus rerum ſtatu pro temporum diverſitate reperire licuit.

Magiſtratus autem quibus poſt extinctos Reges Civitates regebantur non amplius Priores, ſed Comites fuere, vel eorum ſubſtituti Vicarii dicti, aut loco Comitum abſentium Poteſtates a Civibus electi, a Breberienſibus Comitibus confirmari ſoliti, vel proprii Cives de menſe in menſem in Rectores eligebantur; ſub Ludovico & Sigiſmundo idem

fere

fere ſervatum eſt, ſub Venetis autem Comites, vel a Civitatibus electi, vel a Venetis miſſi præſentes regebant, & præter hos urgente aliqua neceſſitate Proviſores & Ambaſciatores ad partes Dalmatiæ & Sclavoniæ mittebantur, qui tam ea, quæ univerſæ genti opus erant, auctoritate, & conſilio componebant, quam privatas controverſias accepto a litigantibus arbitrio dirimebant.

Comitibus autem Iudices ab antiquo ex Nobilibus civitatum pro aſſeſſoribus eligebantur, quod hodie etiam obtinet, ſimulque cum Comitibus judicant.

Populi autem ad Comitia convocatio quomodo in ſingulis Civitatibus fieret, reperire non licuit; Sed ab Archidiacono diſtinguuntur Spalatenſium congregationes in conſilia, Præconium, & Parlamentum: eadem quoque in Chronico Tragurii ſpecialius referuntur, ſuffragiorumque ferendorum diverſitas declaratur.

Lingua Romana ſive latina Dalmatas uſos uſque ad annum 1200. Willielmus Tyrius teſtatur l. 2. cap. 17. idemque ex ſcripturis conſtat, in quibus ſæpe Dalmatæ nomine Latinorum a Sclavis, ſive Croatis diſtinguuntur, & nonnulla dupliciter tam Latinis quam Sclavis nominibus expreſſa reperiuntur, ut ex ſuprascriptis ſcripturis apparet, & exempli cauſa adduntur.

	Latine	Slave
1145.	Calamet	Tarſtenich.
	Petra	Brus
	in Velis modum Iedro	
1194.	Via carri	Colnich
	Circuitus	Zauod

Ab anno vero 1200. ſicuti in Croatia, & Dalmatia variæ mutationes evenere, ita Croatæ cum Dalmatis moribus, & lingua miſceri cœpere, indeque quædam Croatarum verba latine profari, & quædam latina Slave pronuntiari cœpere, que in notis ad Archidiaconum referuntur.

Hinc lingua Latina corrupta ad inſtar Italicæ promanavit, quæ latina vulgaris dici poteſt: in ſcripturis tamen Latina ſervabatur purior, & corruptior pro temporum diverſitate, & ſcribentium intelligentia.

Vulgaris autem latinæ linguæ ſcriptura antiquior quam reperire licuit de re privata extat Iadræ, apud D. Simeonem Gliubavaz V. I. D. diligentem rerum antiquarum collectorem, quæ ante annum 1300. confecta dignoſcitur.

Publicarum vero antiquior in actis Cancellariæ Trag. anni 1313. raræque uſque 1400. reperiuntur, ex inde vero uſque ad 1500. ſicuti multæ privatorum vulgari, ita publicæ quaſi omnes latino ſermone ſcribebantur; abinde autem raras, & publicas, & privatas latinas reperies; adeo ut conferre volenti, patebit in Dalmatia latinam linguam ad inſtar Italiæ mutationem paſſam, ipſamque Dalmaticam vulgarem circa 1300. proximiorem Picenorum, & Apulorum linguæ fuiſſe, quam Venetorum, vel Longobardorum; prout ab anno 1420. Venetorum ſimillimam effectam.

De contributionibus autem, quæ in communi Civitatum neceſſitate fieri ſolebant, quomodo exigerentur, quæ variis nominibus Coltæ, Impræſtitus, & Taxa dictæ fuere in Chronico declarantur.

Democraticum Dalmatarum ſtatum Regum tempore fuiſſe dictum eſt, itaque continuatum reperitur uſque quo ſub Venetorum dominio circa 1320. pervenit.

Duo enim ab antiquo fuerunt, hodieque ſunt, in ſingulis Dalmaticis Civitatibus, præſertim continentis, hominum genera, eorum ſcilicet qui terreſtribus, proventibus, & induſtriis imcumbunt: Et qui navigationibus, & piſcationibus maritimis operam dant, ex qua diverſitate duæ partes in unaquaque Civitate viguerunt, Terreſtris Croatis & Ungaris, maritima vero Venetis addicta, maritimaque prævaluit, donec dilatatis in continenti agris pro temporum diverſitate terreſtris maritimam, vel adæquavit, vel ſuperavit.

In populari enim ſtatu aliquæ familiæ, poſtquam in Croatico ſolo bona adeptæ ſunt, ob id terreſtribus rebus addictæ a Banis pendere cogebantur; Hæ plures conſanguineos & Clientes habebant, & ſi altera pars, vel ex navigationis, & piſcationis uſu abſens reperiretur, vel ut evenire ſolet inter ſe diviſa eſſet majorem partem multitudinis ad ſe trahentes ex arbitrio ſub protectione Banorum Civitates regebant.

Sed cum Tyrannis Breberienſium cunctis odio eſſe cœpiſſet, Dalmatæ quietis cupidi Venetis ſe tradiderunt, qui exulibus reſtitutis pacem induxerunt; Sed cum plurimi civium a Breberienſibus pendere cogerentur, ut moderationem neceſſariam introducerent, Popularem ſtatum in Ariſtocraticum, ad inſtar Venetiarum, mutarunt, ſicque ſublata multitudinis confuſione, conſilia rectius procedebant, depreſſaque eodem tempore Breberienſium domo, iidem, & alii maritimi Comites auxiliorum Venetorum indigi, cum Dalmatis Venetorum ſubditis fœdus iecœrunt, tunc ceſſavit diverſitas partium terreſtrium, & maritimarum, quiesque in Dalmatia introducta fuit, donec ſub Ludovico iterum invaluerunt, Ariſtocraticus tamen ſtatus ſervatus fuit hodieque manet.

Hæc de moribus Dalmatarum in genere: Si quis plura deſiderat, in Chronico Tragurii, reperiet, quæ ob ſimilitudinem ad univerſales Dalmatiæ mores pro temporum diverſitate adaptare poterit.

CAPUT III.

Dalmatiæ, & Croatiæ fines recentiores.

DAlmatici Regni fines qui tempore Regum fuerint lib. II. descripti sunt. Quæ deinde Croatarum & Serblorum Civitates Dalmatiæ accesserint, & quomodo Ludovico regnante omnes antiquæ Dalmat. Insulæ cum Civitatibus continentis a Nona Catarum usque sub Dalmatiæ Regno comprehensæ fuerint, libris sequentibus relatum est; eodemque modo deinceps continuatum reperitur, donec Vngaricis dissensionibus secutis, aliqua Croatica loca prope Iadram simul cum ipsa Iadra Venetis cessere, & inter Dalmatica numerari cœpere: cumque Veneti reliquum quoque Dalmatiæ acquisivissent (præter Ragusinorum ditionem) Regesque Vngariæ in Croatico Regno oram tantum maritimam antiquæ Iapidiæ retinerent; ut aliquid Dalmatici Regni (cujus titulo utuntur) in continenti habere viderentur, ea Dalmatiæ nomine vocavere, Segniamque, in Croatia existentem, in Dalmatia statuunt. Veneti vero cum Albonam solam in Croatico solo possideant, intra proximos Istriæ fines eam includunt; Ex altera autem parte, cum in Epiro nova (quæ Albania nunc dicitur) aliquas civitates possedissent, Præsesque earum Catarinus Prætor esset, illis amissis, ut aliquid Albaniæ retinere videantur, Catarum in Albania ponere solent; Præsesque Dalmatiæ hodiernus Albaniæ quoque titulum retinet.

Cætera autem continentis loca sine controversia Croatiæ & Serviæ censita sunt, donec a Turcis occupata, ut plurimum antiqua regionum nomina obliterata, & in novas Præfecturas (Sanzacatus dictas) divisa, ab eisdem nomen habent, qui Bosnensi Præsidi (Basiæ dicto) parent, ut apud rerum Turcicarum scriptores videre est: Sed qui Geographicas tabulas conficiunt distinctione a Dandulo allata utuntur, & quidquid ab Istria Dyrrachium usque montesque & mare inter jacet, sive strictius, ab Albona ad flumen Bolianam, simul cum Insulis Dalmatiæ adscribunt, reliqua vero Savum usque Croatiæ, Bosnæ, & Rasciæ, sive Serviæ.

CAPUT IV.

De Sclavonia.

SLavos qui Dalmatiam occuparunt Croatas & Serblos fuisse ex dictis constat: hosque a Græcis, & Latinis scriptoribus Sclavos vocatos, ab Vngaris autem Saviam, sive Interamnensem Croatici Regni partem sibi conterminam Sclavoniam appellatam, quæ hodie quoque tale nomen apud Latinos retinet, a Germanis vero qui Pannoniam primam post Abares occuparunt vernaculo vocabulo Windisch March id est Vindorum provincia (quo nomine Slavos quoque maris Balthici accolas sibi conterminos indigitant) dicitur.

Croatas autem maritimos a Dalmatis Sclavos appellatos monumenta Dalmatica testantur, rareque non interposito C. Latine scriptum Slavorum nomen reperitur; Sic hæ duæ Croatici Regni limitaneæ regiones Interamnensis scilicet, & maritima, Sclavoniæ ab exteris vocatæ sunt; Proprium tamen nomen sola Croatia mediterranea servat, quo unico vocabulo olim universæ regionis Duces, & Reges usi sunt, ut ex relatis eorundem Privilegiis constat.

Hi autem Croatæ, & Serbli qui Sclavi dicti fuere, nunc Schiavi & Schiavones, regioque eorum Schiavonia ab Italis scriptoribus vocatur; cujus causam Cromerus ipsis Italis tribuit, qui mollius pronuntiare studentes, pro Slavo *Siavo* vel *Sciavo* enuncient; Sed hæc a Cromero relata *Schiavo* Italicum non exprimunt; aliunde ergo conjectura sumenda est. Slavos tempore Iustiniani Imperium infestasse, & in Italia cum Græcis contra Gothos militasse Procopius refert; qui cum *SL* pronuntiandi usum non habeant, prout neque Latini eosdem Græca & Latina prolatione Sclavi & Sclabini dixere; at cum deinde Itali præsertim Occidentales, quod olim lingua Romana *CL.* proferebatur, corrupta puritate linguæ inflexione Longobarda in *CHI* ut plurimum mutaverint, ut Clavenna, Chiavenna, Clodia fossa, vel Clugia, Chiozza, Clusium, Chiusi, Clana, Chiana, & similia: eodem modo Slavos, Schiavi, Sclabinos, Schiavoni dixere, ut apud Venetos scriptores præsertim Cronistas videre est. *Lib.* 1. *cap.* 8.

Sed cum verbum Schiavo apud Italos servum quoque significat, causa indaganda est.

Slavos qui Dalmatiam occuparunt Crobatos & Serblos dictos a Græcis ex supradictis constat; at sicuti ipsi Slavi, & Dalmatæ eorum contermini ab eis edocti, Sclave pronunciantes Crobatos *Hruatos* & Serblos *Srblos* genuina pronunciatione indigitant, ita Græci hanc asperitatem fugientes Chrobatos, & Serblos dixere, & pro ut cæteris septemtrionalibus nationibus vagis evenit, a Romanis ad vilia servitia conducti, ex similitudine vocum Serblorum & Servorum Serbli a Romano

Græ-

Græcis Servi vocati sunt, ut Proph. testatur de administr. Imperii c. 32.

Serbli enim Romana lingua Servi dicuntur, & Serbula vulgo servorum calceamenta, Serbulianique ita vilitev, ac pauperum in modum calceati, Serbli autem cognominati sunt quod Romano Imperatori serviunt.

Hinc Serblorum nomen in Servorum transiit, ut apud Curopalatam, & Zonaram videre est, Willilmusque Tyrius de Serviis differens nomen servitutis ex eo traxisse, quia ex damnatis ad metalla originem ducerent lib. 20. Cap. 4. Scriptum reliquit, & ipsorum regio mediterranea loco Serbliæ Servia hodie quoque vocatur.

Veneti vero Chronistæ inter Sclavos Adriatici accolas Croatas proprio nomine Croatarum non dicunt, uti Narentanos; Sed generali Sclavorum; seu Schiavorum; Ideo conjectari potest a Venetis ad imitationem Græcorum Croatas sibi vicinos ejusdem nationis & linguæ cum Serblis, dialectoque parum differenti, Schiavos dictos fuisse cum ex utrisque multi servitutem servirent, & pro servis venderentur.

Nil mirum ergo, si sicuti Serbli lingua Romana antiqua a Græcis Servi vocati fuerint, ita Croatæ quoque ex universali nomine Sclavorum eadem lingua Romana corrupta Schiavi pro Servis dicti sint, cum a Dalmatis & Italis empti, Croatæ pro Servis habiti fuerint; Hincque usu receptum sit, quod olim lingua latina Servum, id deinde Italica Schiavo significaret, & ex nominibus Schiavorum, & Servorum confusis universale Schiavorum remanserit, nomenque Schiavi pro ipsa natione Slava, & pro Servis promiscue sumptum fuerit, talemque significatum hodie retineat.

Servos autem effectos Dalmatas tunc quando Slavi Dalmatiam occuparunt, captivi, a Ioanne 4. Papa redempti comprobant, ut supra relatum est, neque omnes redemisse dicendum, quia multi in servitute Sclavorum remanserint.

Temporibus Ducum, & Regum Croatarum Servos apud Croatas fuisse servi & Ancillæ prædiales in Privilegiis suprascriptis nominati testantur, venditionemque hominum apud Croatas in usu fuisse Zuonimiri R. investitura demonstrat.

Servorum autem nomina Slava in Dalmaticis scripturis relata, Dalmatas Croatas pro servis habuisse declarant.

908. *in Testamento Andreæ Prioris Iadræ et in Sancto Grisogono dimitto vinea quæ emi de Mazulo, & terræ de Vuclo quæ comparavi, & Servum, & Ancillam, & centum capita de pecora . . .* & infra. *& pro anima mea dimitto liberos, inprimis Marusso, cum uxore, & filio, & do ei vinea quæ comparavi de Constantino Mag. Ominico Calbaroso cum uxore sint liberi. Libicano filio Butirani Iusto cum uxore sua & quatuor filii filio. Prisinaco filio Bribina Techamida Milia de Sicirano cum duo filii uxor Rasinaco cum filio Strieterio, Senisima, Zaemilo omnes isti sint liberi.*

1029. *Donatio Elenize sororis Godemiri Bani territorii in Obrovizo S. Grisogono gregem ovium cum pastore nomine Volcana duo paria bovum cum duobus Servulis qui ipsa colerent territoria,* & quamvis appareat ex supra citata Zuonimiri investitura Legatos Summi Pontificis & Episcopos conatos fuisse venditionem hominum impedire; tamen servitutem in usu fuisse posterioribus temporibus sequentia indicant.

In nomine D. N. I. Christi anno ab Incarnatione ejus MCIII. die XV. Iunii Colomanus D. G. Hung. Dal. Croatiæ Ramæque Rex.

Consideratis fidelibus ac devotis obsequiis Ven. Pat. D. Crescentii Spal. Archiepiscopi nobis per ipsum exhibitis, ejusque prece dignanter inducti donationes, ac confirmationes Regum atque Principum, & aliorum dominorum ad instar Privilegiorum Ecclesiæ Spal. quæ in Privilegiis, litteris, vel antiquis Montaneis ipsius Ecclesiæ conscripta habentur, præsentis Privilegii pagina confirmamus auctoritate Regia, ac pleno jure subiicimus eidem Archiepiscopo, suisque successoribus, & Ecclesiæ Spalat. Omnes vero Episcopatus, quos ad præsens obtinet ipsa Ecclesia per Dalmatiam, & Croatiam, omnesque villas, & possessiones, & alia ad eandem Ecclesiam spectantia, præsertim Villam Sancti Georgii de Putalo, ut ab olim donata fuit, cum omnibus hominibus in ea residentibus, servis & ancillis, & eorum omnibus bonis, Villam Syrenine, Gese, Tugari, Asseti similiter cum Servis & Ancillis & eorum posteris Ecclesias Sanctæ Mariæ de Salona & Sancti Stephani, & Sancti Moysis, & Ecclesiam Sancti Bartholomei cum omnibus proventibus earumdem, Villam quoque Hosizan, Villam Ostrog, Villam Labenam, & totum territorium de Sinina, Villam in Cleuna Sudumisizam, & Villam Zetina, Stolez, Decimas præterea Cleunæ, Zetinæ, Clissiæ, et ejus districtus, Massari cum toto monte magno Politii, et decimas Almisii usque Mucarum; quæ omnia supradicta volumus quod, teneat, possideat, regat, atque gubernet perpetuo Spalat. Ecclesia, ac ejus Præsules, sine alicujus perturbatione, seu molestatione pacifice et quiete; Si quis autem in præmissis, vel quolibet præmissorum dictam Spal. Ecclesiam, vel ipsum Archiepiscopum, et ejus successores molestaverit, vel turbaverit, iram Dei, et nostram indignationem incurrat, et ad robur omnium prædictorum præsens Privilegium nostro sigillo autentico communiri mandavimus.

In Christi nomine Dominantis Constantini Ducis Ducatus anno, anno primo mense Aprilis.

Nos Spalatini hoc testamentum et stabilimentum pacis inter nos et Iupanum Saracenum atque Bratozai Iudex castri Clissæ Radone Ar . . . lii Presbyter Petrus Presbyter Drasinme, Nauclerus Vilco Drug; Desinne, Tolisо, Oame, Iunota, Desmir, Boles, Tolimir, Pomeza, Pinniz, post hos centum quinquaginta alii concives Clissani firmavimus ut nos fideliter amicemus coram Duce isto ceu,

et usque et sequacibus et nostro posse eorum justitias manutenere curemus. Sed et hoc adjecimus ut si inscienter eos nos ab extraneis comparaverimus accepto pretio et unum solidum supra eos dimittemus. Quod si scienter ipsos nolente comparaverimus absque pretio liber discedat nihil dando. Et si Clisanus Clisanum palam vendiderit quantumcunque eum vendere possum vendam. Et quodcunque tempore guerræ a Clisanis contra nos patratum est, cadat, et quod tempore pacis cum ipsis placitare coram eorum Iupano et Iudicibus debemus, quod si justitia dictante Clisanus compositus est componat . . . . usu acat si non persona, et si eorum Iupanus aut Iudex nobis rectum judicium non judicaverit, sive Iustitiam non fecerit nos habemus potestatem eos vocandi coram præsen . . . . . Ducis . . et si quis latro apud nos quæ sunt eorum furatus fuerit aut reddat totum, aut tradatur eorum ditioni; Et si quis nostrum super aliquem eorum debitum quæsierit, si sine placito eum ceperit amittat placitum, et si invenire poterimus eorum damnum notificemus: et ipsi nostrum campum, et omnia quæ habemus mobilia et immobilia ab omnibus latronibus absque fraude et malo ingenio custodiant. Et insuper si quis extraneus pro aliqua re pignorare voluerit antequam Iustitiam quæsiverit vos nos defendere studeatis.

Hoc Sacramentum firmavimus Ego Volcinna Sagarelle, Tolmizo Drago Iupano, Petrizo Palumbello, Turminus Constantini suo cum fratre, Iurre Sulize, Micha Malanarete Cavalca Sole, Bivaldo Zane Marci Drago Gumay cæterique centum quinquaginta. Si quis quod absit hanc ordinationem cum aliqua fraude et malo ingenio frangere temtaverit habeat irratum Trinum et unum Deum et maledictionem CCCX. et VIII. Sanctorum patrum et duodecim Apostolis et omnium Sanctorum.

Ego Duymus Levita et Ecclesiæ Beati Domnii Primicerius hoc testam: Scriptor et de hac re existens testis.

Hæc ex originali membrana antiqui characteris, & nisi alius Constantinus Dux antiquior Philadelfiensi fuit, is Constantinus est, qui ab Emanuele Imp. constitutus fuit Dux Sclavoniæ, ejusque memoria reperitur 1171. ut relatum est.

Ex qua venditionem hominum apud Croatas Clissenses in usu fuisse apparet, & ob delicta noxiæ loco in servitutem Croatas tradi solitos, prout etiam debitores creditoribus tradebantur ut Auh. cap. 31. refert. Manumissionem cujusdam Theodori antiquus B. Ioannis vitæ scriptor memorat, & posteriorum temporum variæ Servorum sive Sclavorum venditiones, donationes, manumissiones, & in testis libertatum donationes extant, quas longum esset recensere.

Hujusmodi Servos Sclavos dictos, distrahi per commercia solitos, leges antiquæ adhuc in Civitatibus maritimis extantes testantur & præsertim in statuto Ragusino, in quo plura genera Servorum recensentur, ipsorumque venditio usque ad annum 1417. permissa fuit, ut patet ex libro sexto statutorum Reformatione.

219. *De non vendendis Servis.*

1417. *Ind 9. die 27. men. Ianuarii in majori Consilio captum quod cum per multos dominos circumvicinos pluries nobis fuerint porrectæ querelæ, et quotidie porrigantur contra mercatores nostros habitantes Narenti, et alios Ragusienses: eo quia emunt, et vendunt ex eorum subditis. Considerantes talem mercantiam esse turpem, nefariam, et abominabilem, et contra omnem humanitatem, et cedere ad non parvum onus et infamiam Civ. nostræ, videlicet, quod humana species, facta ad imaginem et similitudinem Creatoris nostri, converti debeat in usus mercimoniales, et vendantur tanquam si essent animalia bruta, volentesque hujusmodi providere, ne de cætero committatur. Statuimus et ordinamus quod de cætero nullus noster districtualis aut forensis habitans in civitate Ragusii, vel ejus districtu, seu quilibet qui pro Raguseo se appellat ullo modo vel ingenio audeat, vel præsumat emere, aut vendere Servum, aut Servam, vel mediator hujus mercantiæ, nec etiam habere partem vel societatem tam cive, quam forense qui faciat seu exerceat tale exercitium incipiendo a Budua usque Spaletum, et qui contrafaciet pro singula vice stare debeat mensibus sex in carceribus inferioribus Ragusii, et solvat pro omni capite seu persona quam vendidisset, emisset et de qua fuisset mediator, haud habuisset partem yperperos XXV. aut nunquam incipiat terminus mensium sex carceris, donec solverit pœnam pecuniariam. Et qui accusabit contrafacientes, ita ut ejus accusatione veritus reperiatur, habeat medietatem pœnæ pecuniariæ, et teneatur de credentia. Verum si aliquis civis aut habitator Reg. emeret aliquem Servum, vel Servam pro usu suo, non intelligatur subjacere hujusmodi pœnæ.*

Item quod nullus forensis cujuscunque conditionis existat modo aliquo audeat, vel præsumat facere, aut exercere talem mercantiam in districtu nostro sub suprascriptis.

Item quod nulla barca, navis, aut navigium nostrum modo aliquo audeat, vel præsumat navigare hujusmodi servos, et servas sub pœna patrono standi mensibus sex in carceribus inferioribus pro singula vice, qua contra fecerit, et marinariis standi mensibus tribus similiter in carceribus inferioribus pro singulo.

Hincque coniici potest, ex hac Servorum, vel Schiavorum abundantia quam facile Dalmatæ, deinde Veneti Classes suarum triremium instruxerint, cum major numerus Classiariorum in remigibus consisteret. Sed ipsi quoque Dalmatæ tractu temporis, sub nomine Sclavoniæ, sive Schiavoniæ, ab exteris, præsertim Italis, comprehensi fuere; & quamvis Veneti Chronistæ Adriatici accolas a Principio in Dalmatas, Sclavos, & Narentanos, distinguant; tamen deletis Narentanis, Sclavorum nomine ipsi quoque Narentani comprehensi fuere; Ita ut Dalmatæ soli a cæteris Sclavis distinguerentur, Curiaque Romana Legatos ad Dalmatiæ,

&

1181. & Sclavoniæ partes mittere ſolebat; Sed ex viciſſitudine rerum, bellis, morbis aliiſque caſibus, deficientibus Dalmatis, Slavi in continenti, & inſulis ſenſim irrepebant, in ipſiſque civitatibus recepti fuerunt; Ita ut Dalmatæ, quamvis in civitatibus lingua Latina corrupta ad inſtar Italicæ uterentur, Slavam quoque ex neceſſitate diſcere & loqui coacti, bilingues effecti ſunt, retenta tantum in ſcripturis lingua latina, ſed prævalente Slavo idiomate inter Sclavos ab exteris numerari cœpere, & ſicut aliquas civitates maritimas Croatarum, & Serviorum, poſtquam jus Dalmaticarum civitatum conſequutæ ſint, inter Dalmaticas numerari, Dalmatiamque inde dilatari cœpiſſe ſupra obſervatum eſt.

Ita poſtea Comitibus, Breverienſibus dictis, ditionem ad Dalmaticas civitates extendentibus, omnes civitates maritimæ, ipſos recognoſcentes, inter Sclavonicas recenſitæ fuere; Venetique ſi quando Ambaſciatores ad Breverienſes, vel civitates Dalmaticas mittebant, Ambaſ. ad partes Sclavoniæ miſſos dicebant; deinde tamen eiſdem maritimis civitatibus in Venetorum protectionem devenientibus, omnes Dalmaticæ iterum vocatæ fuere: hodie vero Schiavonia appellatur Croatiæ & Serviæ pars maritima, inter quas ipſa quoque Dalmatia comprehenditur, & prout in confuſionibus evenit, ipſæ Croatia & Servia maritimæ apud Geographos antiquo more in Dalmatia includuntur, Mediterraneis tantum Croatiæ & Serviæ nomina retinentibus, Serviæ tamen pars Occidentalis Boſna dicitur, ita ut Dalmatia pro Sclavonia, & Sclavonia pro Dalmatia ſæpe ſumatur, & cum Slavi Illyricum antiquum fere utrumque occupaverint, nunc apud Latinos lingua Slava, ut plurimum, antiquo nomine regionis Illyrica vocatur, uſuque receptum eſt, quod latine Illyricam linguam, idem Italice Shiavam, vel Schiavonam ſignificet: Dalmatæ tamen, ipſiſque contermini Slavi, linguam Slavam non dicunt, ſed Hruatam, vel Srblam, prout cujuſque dialectus eſt. Sic per temporum vices confunduntur nomina regionum ac gentium, ut vix ex veteribus monumentis aliqua diſtinctio tradi poſſit; & quamvis per tot ſecula abolitam diſtinctionem Dalmatarum & Slavorum revocare inanis labor videri poſſit: in ipſis maritimis tamen civitatibus inter Slavos & antiquos Dalmatas obſervare volenti, mores adhuc in pluribus diverſi deprehenderentur.

CAPUT V.

De Vlahis.

Vlahorum nomen ante annum 1300. in Dalmaticis monumentis non reperitur, talique nomine cenſebantur paſtores montana Boſnæ incolentes, qui cum Mladino Dalmatiæ, Croatiæ, & Boſnæ Bano militaria ſervitia præſtitiſſent, ad plana deſcendere, & Croatis immixti agros colere permiſſi fuerunt; Inde multiplicati, maritimarum quoque Civitatum agros infeſtarunt: qua de cauſa quomodo a Regibus Ungariæ ſæpe repreſſi fuerint in patriæ Chronico refertur. Vlahos quoque dixere Græci eos, qui peculiari lingua ab eiſdem Vlahica dicta per Daciam, & Theſſaliam utuntur, ut Laonicus tradit l. 2. *Dacorum, ſive Vlahorum, in quibus, & Moldavi. Dacoruni lingua ſimilis eſt Italorum linguæ, adeo tamen corrupta, & differens, ut difficulter Itali queant intelligere, quæ iſtorum verbis pronunciantur; unde autem lingua, moribuſque Romanis uſi in iſtam regionem acceſſerint, ibique ſedes fixerint, a nullo mortalium accepi: nec aliquem audivi, qui iſta liquido commemoret; dicuntur tamen homines undique confluentes in iſtam regionem penetraſſe: haud interim extante aliquo memorabili iſtius gentis exemplo, quod operæ pretium ſit, ut præſenti hiſtoriæ intexatur. Nihil differunt ab Italis, cætera etiam victus ratione, armorumque, & ſupellectilis apparatu etiamnum eodem utentes, quamvis ea gens in duos diſtincta eſt Principatus, in Bogdaniam videlicet & regionem Iſtricam: Haud tamen equo inter ſe jure vivunt* & infra relata Peloponneſi & Boetiæ occupatione ſequitur *Pindum quoque occupavit. Hunc montem Vlaci incolunt, quibus eadem cum Dacis eſt lingua, nec quicquam ab Dacis, qui Iſtrum accolunt, differre cognoſcuntur* & Gregorius Acropolita, *Theſſalia, & magna Vlahia ibi Demetrias, Pharſalos & Lariſſa.* Item Ioann. Cantacuz. *Theſcalis ſe dedentibus Præfectum regionis Blachiæ Ioannem Angelum imponit*: Vlahos autem Theſſaliæ a Dacicis originem ducere iidem referunt Græci, quos Patzinacitas ut Prophir. Patzinacas & Scythas, ut Cedrenus, & reliqui dictos fuiſſe conſtat, nam Cedrenus Zoe Matre Conſtantini Prophir. regente, fœdus cum Pazinacis contra Bulgaros ictum refert; eoſdemque deinde inimicos effectos in curribus cum familiis ex tranſiſtrianis regionibus ſæpius adveniſſe, Thraciamque populaviſſe; de quibus Zonaras relata Patzinacarum per Thraciam populationibus, & de eiſdem victoria ſubdit in Alexio Comneno.

Madius cap. 28.

lib. 3. cap. 53.

Magna igitur Scythicæ gentis multitudo periit, cæteri in vincula habiti ſunt, ac pro corona venditi. Imperator vero delectu habito Scytharum robuſtorum juvenum magnum numerum in Moglena Provincia cum uxoribus, & liberis collocavit, eximia legione ex eis confecta, qui hodieque per ſucceſſiones manent ex loco, in quo conſederunt cognomentum adepti, ut Patzinacæ Moglenitæ dicantur. Nicetas autem de Calo

Ioanne qui Scythas Iſtrum tranſgreſſos Thraciamque populantes vicerat, ait.

Mago numero cæduntur Amaxobii illi (id eſt qui plauſtris loco ædium utuntur) multi capiuntur, adeo ut in occidentali quadam Provincia Romani pagi ab eis conderentur, quorum adhuc reliquiæ ſuperſunt, & paulo infra: *vota Deo perſolvit: quod feſtum Patzinacarum noſtro tempore dicitur in rei geſtæ monumentum, & grati animi teſtimonium.*

Hos Patzinacas Vlahos quoque dictos fuiſſe Ioannes Cinnamus bellum ab Emanuele cum Ungaris geſtum referens teſtatur.

lib. 4. *Leonem autem Batatzem nomine aliunde cum exercitu alio magno, et Vlahorum ingenti numero, qui quondam fuiſſe coloni Italorum memorantur, ex locis Ponto Euxino vicinis irrumpere Hunnicam jubet, unde nullo quiſquam ſeculo eos invaſerat.*

Nicetas vero de Andronico ad Roſſos fugiente a Vlahis capto Emanuelique dedito tradit; quæ ſicuti de Dacicis Vlahis intelligenda ſunt ita de Theſſalicis Vlahis ea, quæ Zonaras idemque Nicetas ſuprarelati tradunt; Nam Moglenam regionem Cedrenus deſcribit, & ejuſdem montanam a Roberto Guiſcardo deſolatam circa Caſtoriam eſſe Anna Comnena Alexiados lib. 5. docet, in quam Alexius deinde Vlahos collocavit; eademque loca hodie incolunt, & ad montem Pindum uſque ſe extendunt, ut Laonicus, quæ Regio magna Vlahia quoque dicta fuit, ut Acropolita; & ſicut originem ducunt ab illis, qui in prælio capti fuere, quorum plurimi membris debilitati eſſe ſolent, ita Græci eoſdem *Guzzo Vlahos* dixere, quod vulgari Græco Claudos Vlahos ſignificat.

Patzanicas ergo eoſdem fuiſſe cum Vlahis ex dictis conſtat; Sed Patzinacarum nomen in deſuetudinem abiit, Vlahorumque denominatio invaluit, & ad ipſos quoque Bulgaros extenſa eſt; Nam Anna Comnena delectum Tyronum a Patre Alexio factum (de quo Zonaras) referens ait lib. 8.

Nempe Bulgaros & paſtoritiæ duratos vitæ laboribus agreſtes juvenes incertis ſedibus vagos, quos communis dialectus Vlahos vocare conſuevit, & Nicetas de Iſaacio Angelo.

Hæmi montis accolas ſibi, & Romano Imperio infeſtiſſimos reddidit, qui olim Myſi nunc Vlahi nominantur.

Vlahi ergo a Græcis dicti fuere non ſolum qui Vlahica lingua loquebantur, ſed etiam ipſi Bulgari: Laonicus etenim relata Illyriorum per Europam diſperſione ſubdit.

lib. 1. *A Dacia ad Pindum uſque montem in Theſſaliam ſe projicientem alius quidam populus utrique nomen fuit Bachi.*

Hic loco *Bachi* Vlahi legendum eſſe conſtat: cum Bulgaros quoque inter Vlahos trans Iſtrianos, & Vlahos Theſſalicos ſitos comprehendere voluerit Laonicus nomine Vlahorum, hocque modo Vlahi dicti fuere etiam Bulgari, qui paſtoritiam, & agreſtem vitam pro ut ipſi Vlahi ducebant. Hæc apud Græcos; Apud Latinos autem ſcriptores Luitprandus hiſt. lib. 1. cap. 3. Picenacos inter trans Iſtrianos populos numerat, & Regino Hungaros a Petzinatis ſedibus ſuis pulſos refert: Longinus autem & Michovita Pyeczinegos, Cromerus vero Picinigos conterminos Ruſſis ponunt, & cum eiſdem Ruſſis contra Polonos ſocia arma junxiſſe referunt; quæ de Patzinacis intelligenda ſunt, nam Longinus cum Cedreno, & Zonara concordat, qui Imperante Zimiſce Roſſos ex Bulgaria redeuntes internecione a Patzinacis deletos referunt; Longinus vero Pyeczinegos Duce Bura anno 972. (eodem Zimiſce Imperante) Ruſſos ex Græcorum provinciis præda onuſtos redeuntes victos, præda ſpoliatos, Ducemque eorum occiſum tradit. Quæ omnia de hodierna Valachiæ regione intelligenda eſſe conſtat. Vlahorum autem nomen ab anno 1300. innotuiſſe Cromerus refert lib. 12.

Primum hoc nomen (Vlahorum) in Vngarorum hiſtoria reperio tempore Caroli Regis, qui anno Chriſti 1330. contra Bazaradum Valachorum regulum, quem illi Slavico nomine Voievodam vocant, latine Palatinum dici uſus obtinuit, bellum geſſit.

De quorum denominatione Pius II. Europæ cap. 2.

Colonia Romana eo deducta Duce quodam Flacco a quo Flaccia nuncupata, exin longo temporis tractu corrupta ut fit vocabulo Vlachia dicta, & pro Flaccis Vlachi appellati, ſermo adhuc genti Romanus eſt, quam vix magna ex parte mutatus & homini Italico vix intelligibilis.

Leunclavius vero Pand. Turcic. n. 71. exploſa a Flacco deductione uti fabuloſa, ait Vlachorum nomen a vocibus germanis Walli, Walchi & Valiſchi promanaſſe, quibus Italos, & Gallos ſignificari affirmat, & enunciatione molliori mutatum in Vlachi: quod corroborare volens ſubdit.

Suffragatur huic opinioni meæ vetus etiam Galliciæ nomen frequens in antiquis Ungariæ Regum titulis, quo Valachia ſignificabatur, eadem cum Gallis & Italis utens lingua, ſicut & nunc adfinitatem aliquam cum eorum lingua Provinciali retinet.

Stephanus autem Zamoſcius lapidum antiquorum Daciæ cap. 3.

Dicti ſunt Vlachi non a Flacco, ut Bonfinius & alii comminiſcuntur; ſed quia aborigines eorum a Pannonibus Olaz *vocantur, hinc Olachi ac additis litteris tandem Valachi ſunt dicti. Fit autem ſæpe ut in vernaculo indigenarum idiomate peregrinas originationes imperiti linguarum confingant.*

Sic quiſque ex ſuæ gentis idiomate Valachorum denominationem trahere conatus eſt; ea, quæ Pius de Flacco refert, eadem plures repetunt, & Iovius Flaccum Præſidem Provinciæ nomen dediſſe ſcripſit, quod ab Ovidio ſumptum eſſe debuit, ut Gregorius Reychens-

chensdorff in Corographia Tranſilvaniæ refert, ait enim Ovidius de Ponto lib. 4. Elegia 9. ad Græcinam:

Præfuit his Græcine locis modo Flaccus, & illo
Ripa ferox Iſtri ſub Duce tuta fuit.
Hinc tenuit Myſas gentes in pace fideli,
Hic arcu fiſos terruit enſe Getas,

At tempore Ovidii Dacia in Romanorum ditionem nondum pervenerat, cum eandem Trajanum debellaſſe, eoque Colonias deduxiſſe conſtet; ideo merito hanc ſententiam uti fabuloſam rejicit Leunclavius; ſed ſuam quoque a VValchis idem ipſe refellit, nam ibidem ſequitur.

Vlachiam vocavere Græci & incolas Vlachos pro quibus interpretes Zonaræ, Cedrini & aliorum hiſtoricorum reddidere Blachiam & Blachos contra molliorem pronunciandi rationem Græcorum.

Vbi recte quidem interpretes redarguit, quod B. pro V. poſuerint; ſed non animadvertit ipſe quamvis linguarum Græcæ & Slavæ peritus, latinum Valach non eſſe ejuſdem prolationis cum Græco βλαχ & Slavo . . . Vlah; Vlah quæ eodem ſono proferuntur; indeque dignoſcitur, eum, ex latina Valachorum dictione, ſignificatum mutaſſe, & ſuis VValchis adaptaſſe; nam latini facilioris prolationis gratia A addunt & cum χ non habeant; pro eo, CH ponentes pro Vlachis, Valachos ſcribunt, & Germani VValachos duplici V ſuffragium autem ex Gallicæ nomine falſum eſt; nam Reges Ungariæ titulum Galliciæ, ab Halycia, ſive Gallatia Civitate ad flumen Tyram, (hodie Dnieſter in Ruſſia minori, ſive nigra dicta, cujus meminit Codinus) exiſtenti ſumpſerunt, ut ex Longino, & Cromero ſuo loco relatum eſt, non a Gallac, ſive Gallitia Valachiæ, quæ ad Iſtrum neque Valacha lingua majorem affinitatem habet cum Provinciali, & Itala, quam cum Hiſpana, vel Gallica; ſed omnibus hiſce diverſa, quartam, & peculiarem Romanæ ſive Latinæ linguæ dialectum habet, ut idem Stephanus Zamoſcius de Valachis montana Tranſilvaniæ incolentibus diſſerens animadvertit; qui eorundem denominationem ab *Olaz* Ungarico deducens ab antiquis Annalibus Ungaricis manuſcriptis quos Thuuroz edidit refellitur; ibi enim cap. 97 ſemper Vlachi reperiuntur, in edito vero & Vlachi, & VValachi, ideo quod aliis de imperitia linguarum appingit, in ipſum redundat: Cum igitur Annales Ungarici, qui apud Latinos pro antiquiſſimis habentur, Vlachos habebant, & cum relatis Græcis auctoribus conveniant, Vlahorum prolatio non eſt detorquenda, & prout apud utroſque ſignificat gentem Vlahica lingua loquentem, ita ejuſdem vocabuli origo Græca, aut Latina eſſe non poteſt; cum eoſdem Patzinacas prius dixere Græci quam Vlahos, neque Vlahorum nomen apud antiquiores ſcriptorens Ana Comnena, & Niceta reperitur; quorum temporibus Vlahi tam pro iis qui Vlahica lingua loquebantur, quam etiam pro Bulgaris ſumebantur: reſtat igitur ut hoc vocabulum Græci a Slavis proximioribus ſumpſerint; apud Bulgaros etenim, Serblos & Croatos. *Vlah* Romanum, Latinum, & Italum ſignificat, apud Polonos vero cæteroſque Septentrionales *Vloh* ut Cromerus teſtatur loco ſuprarelato, ubi ſequitur.

Vnde vero et quando Valachi dici cœperint non comperio: vulgaris quidem eſt opinio ſed nullo veteri auctore nixa, a Flacco quopiam, ſive Præfecto, ſive Domino eos nomen hoc accepiſſe, ut primum Flacci, mox corrupto a finitimis Barbaris vocabulo Wlaſſi, et Valachi appellarentur: Polonorum quidem, atque Slavorum lingua non modo hi populi, verum etiam omnes, qui ſunt Italici generis Wlaſſi et Wloſſi dicuntur, quod ipſum etiam argumento eſt Italicam hanc gentem eſſe.

Sed ipſum quoque Patzinacarum nomen ex Ruſſico, vel Polonico Pyecinigorum deſumptum videtur, Græcos etenim pronunciationem invertendo Slavonizaſſe . . . .

Leo Allatius Vir ſummus animadvertit exemplo ſint ſequentia.

Pyeczinigi - Patzinacitæ: Prophirogenitus.
Patzinacæ Cedrenus & reliqui.
Ceſſar — Tzeſſar Cinnamus & plura alia.

Daciæ ergo incolæ, primo Pyeczinigi Ruſſico & Patzinacæ Græco vocabulo dicti fuere, deinde Bulgarico Vlahi.

Vlahi igitur, vel Vlaſſi Slave, & Valachi latine dicuntur quicunque Valacha lingua loquuntur: & quamvis Cromerus linguam Valacham mixtam Ruſſica & Slavica eſſe ſcripſerit; quod de finitimis Podoliæ Moldavis eſſe potuit, & de Valachis Iſtri accolis & Bulgaris conterminis, qui promiſcua lingua Valacha & Slavo loquantur prout & de Theſſalicis Valachis, qui inter Albanos, Græcos & Bulgaros degunt cum finitimis etiam ipſi promiſcua lingua utantur; univerſam tamen late patentem utriuſque Valachiæ regionem ultra Iſtrum, & Theſſaliæ montanam citra Valachica tantum non alia lingua uti certum eſt omnibus, qui eaſdem regiones peragrarunt, ſed cum in diutina ſervitute Bulgarica Romanum characterem amiſerint, Bulgarico uti illis neceſſe fuit, & Sacerdotes eorum Slavo idiomate Divina officia celebrant; Principeſque Slavo vocabulo Voivodæ dicti, cum cæteris Valachia Slavo charactere, & titulis utuntur; idcirco communiter cum Cromero creditum eſt, Valacham linguam cum Slava mixtam, eſſe. Nec admiratione caret multis abhinc ſeculis linguam Romanam citra Iſtrum prorſus extinctam eſſe, ultra Iſtrum autem peculiari dialecto ſervari, exindeque deinde in Theſſaliam

translatam fuiſſe; & eo magis, quod Romani poſtremam Daciam tempore Trajani acquiſiverint, & primam Imperante Aureliano amiſerint, deſeruerintve; & inde populis cis Iſtrum translatis inter Myſias collocantes Daciam novam conſtituerint; adeo ut niſi ipſius linguæ uſus per late patentem Daciam convinceret, res fabuloſa videretur: Hos autem Valachos quamvis communiter ſcriptores teneant eſſe progeniem Romanorum a Trajano ibi deductorum; tamen cum apud auctores antiquos nulla eorum memoria reperiatur; ſed varia tantum nomina Barbarorum, qui Daciam per vices occuparunt, quouſque Bulgari hæc eadem loca, quæ Valachi tenent inſederunt, & tranſmiſſo Iſtro recentiorem Daciam, Myſiam, Macedoniam, partemque Thraciæ Romanis eripientes, Bulgarico nomini addiderunt; probabilius igitur videtur tunc victores Bulgaros Romanorum populos captivos integros ex ciſiſtrianis regionibus, in tranſiſtrianas ſimul cum lingua tranſtuliſſe, & cum illis (ſi qui a tempore Aureliani reliqui erant) vel ab aliis barbaris prius ibidem translati fuerant, miſcuiſſe, quam quod omnes ab antiquis Romanis ibidem a temporibus Aureliani relictis promanarint: qui cum ditionis Bulgaricæ eſſent pro Bulgaris tranſiſtrianis habiti fuerunt, quoad ab eiſdem diſciſcentes, Patzinacarum, deinde Vlahorum nomen ſortiti ſunt, & quamvis deinde Vlahorum nomen cum Bulgaris confuſum reperiatur, tamen ſi quis reflectat ad originem & ſignificatum nominis Vlah, id apud Slavos univerſos Romanum, Latinum, & Italum ſignificare reperiet: cum igitur ipſi Slavi Illyricum occupaverint, Romanoſque inibi incolentes in ſervitutem redegerint, inclitum illud nomen Romanum apud Slavos ſervile evaſit, & Vlah ſervum ſignificare, quod deinde ad ejuſdem Slavicæ quoque gentis paſtoritiæ, infimæque conditionis homines extenſum fuit. Vlahi igitur apud Slavos ex lingua homines Romanos, Latinos, vel Italos ſignificat, ex conditione paſtores montana incolentes. Vlahos autem per montes Raſciæ, Boſnæ, & Croatiæ degentes etiamſi multi Romanorum eſſe progeniem arbitrantur, & tempore occupatæ a Slavis Dalmatiæ in montes ſeceſſiſſe cum presbytero Diocleate autumant; tamen cum nullum Romanæ linguæ veſtigium retineant nomenque ipſorum innotuerit eo tempore, quo Vlahorum nomen cum ipſis Slavis jam confuſum reperiebatur, & paſtorem ſignificabat; ideo paſtorum nomine cenſitos fuiſſe, prout & nunc veroſimile eſt. Hos Itali Morlaccos dicunt, de cujus nominis ſignificatu Presbyter Diocleas, qui ante annum 1200. ſcripſit, Bulgarorum geſta deſcribens ait.

Igitur impugnantes Sylloduxiam, expugnaverunt eam inde debellando ceperunt totam Macedoniam; poſt hæc totam Provinciam Latinorum qui illo tempore Romani vocabantur, modo vero Moroulachi, hoc eſt, nigri Latini.

Hæc homo Slavus, qui loca a Bulgaris occupata referens, Sylloduxiam, pro Myſia ſumere dignoſcitur, & præter Macedoniam Thraciam quoque occupatam tradit; quam ex vocabulo Græco *Mauro* & Slavo *Vlahi* Moroulahi componens, tunc Slavis nigros Latinos ſignificare teſtatur Romano Thracos, qui Slavo idiomate *Carni Vlahi*, ſive, ut textus a Marulo verſus *Carni Latini* dici debuiſſent; quam nigredinem cum Romanis Thraciæ tribuat, hac coloris differentia ab aliis eos diſtinguere videtur, qui Slave *Bili Vlahi* id eſt, Albi Latini dicendi eſſent, quod veroſimiliter hodiernis Valachis ad Septentrionem Bulgarorum degentibus tempore Diocleatis tributum eſſe debuit; poſterioribus autem temporibus ejuſdem Valachiæ tranſiſtrianæ partem majorem (nunc Moldaviam dictam) Mauroulahiam dixere Græci, ut Codinus teſtatur; inde fieri potuit, ut ſicut prius Vlahorum, ita deinde Mauroulahorum nomen ad univerſos montium incolas Vlahico more paſtoritiam vitam ducentes a Græcis extenſum fuerit; Venetique qui continuo in Græcia verſabantur, ab eiſdem id mutati ſint, & prolatione Italica Morlaccos dixerint, cæteriſque Italis deinde communicaverint, exindeque incolæ montium Raſciæ, Boſnæ, & Croatiæ Morlachi ab Italis dicantur, & mons Croatiæ (olim Albius) Morlacca; ita ut ipſi quoque Itali Romano Græcos imitati, Morlaccos nominantes, Nigros Latinos, ſive Italos pro Slavis imprudentes dicant.

Valachi autem hodierni quicunque lingua Valacha loquuntur ſeipſos non dicunt Vlachos aut Valachos ſed *Rumenos*, & a Romanis ortos gloriantur, Romanaque lingua loqui profitentur; quod ſicut ſermo ipſorum comprobat, ita mores quoque eorundem Italis, quam Slavis ſimiliores convincunt, ut relati auctores referunt, & qui cum eiſdem verſati ſunt teſtantur, ex quorum progenie ſe ortum Ioannicius Rex Bulgariæ & Blachiæ ad Innocentium III. ſcribens profeſſus eſt; Ioannes quoque Hunniades inter Valachos Tranſilvaniæ natus ex Corvina Romana familia ortum ducere gloriabatur. *Rain.* 1203. *n.* 20.

Pro

Pro dictorum vero corroboratione, ponenda sunt aliqua verba Valachica, quæ Romanum retinent idioma a Fratre Francisco Soimirovich Bulgaro Archiepiscopo Achridano tradita, qui cum multo tempore inter Valachos versatus, regiones eorumdem pluries peragraverit & Bulgaricam, Latinam, Italicam, Valachicam, & Turcicam calleat linguas, de vocabulis, moribus, locorumque situ, accurata distinctione disserit.

Valach.	Latin.
Albu	*Album*
Albul	*Albus*
Apa	*Aqua*
Argint	*Argentum*
Auuru	*Aurum*
Arma	*Arma*
Ansul	*Angelus*
Ape	*Apes*
Buno	*Bonus*
Buna	*Bona*
Barba	*Barba*
Barbosul	*Barbatus*
Bou	*Bovis*
Batezat	*Baptizatus*
Cadul	*Caballus*
Casa	*Domus*
Camassa	*Camisa*
Caemp	*Campus*
Caemp lung	*Campus longus*
Campana	*Campana*
Capul	*Caput*
Caglia	*Callis, via*
Cagliator	*Viator*
Caine	*Canis*
Ciara	*Cera*
Carta	*Carta*
Cielul	*Cœlum*
Cruce	*Crux*
Domnul	*Princeps, Dominus*
Domna	*Domina*
Domnia	*Dominium*
Domneste	*Dominicus*
Domnata	*Dominatio tua*
Dutor	*Debitor*
Erba	*Herba*
Frat	*Frater*

Valach.
Bine venit domnata
Bine amga sit predomne vestre
Su noi sentem Rumeni
Noi sentem di sange Rumanæ
Ne te teme
Rumi tot suentia acolo
Pune solich in capul
Rumen Munten

VVolfgangus Lazius

Stis Romane	
Susla	
Fratria	*Fraternitas*
Freul	*Frenum*
Fur	*Fur*
Furat	*Furari*
Gaina	*Gallina*
Gramatich	*Discipulus*
Luna	*Luna*
Lung	*Longus*
Lume	*Lumen*
Luminare	*Candela, Lumen*
Luminosus	*Splendidus, Illustris*
Maire	*Major*
Munte	*Mons*
Muntani	*Montani*
Nic	*Nix*
Ninge	*Ningit*
Nigro	*Niger*
Ploua	*Pluvia*
Paste	*Pascha*
Pament	*Pavimentum, terra*
Rossu	*Rubeus*
Rivol	*Rivulus, flumen*
Rumaneste	*Romane*
Stella	*Stella*
Soere	*Sol*
Lun	*Dies Lunæ*
Marc	*Martis*
Miercur	*Mercurii*
Gioi	*Iovis*
Vinere	*Veneris*
Sambata	*Sabathi*
Nedeglia	Slavonicum Dies Dominicus

Latin.
Bene veniat dominatio tua
Bene inventa dominatio vestra
Etiam nos sumus Romani
Nos sumus de sanguine Romano
Ne timeas
Romæ omnia sancta ibi
Pone biretum in capite
Romanus Montanus

Scis Romane	
Suffla	

Ioannes Lasicius
Occide *Occide*

Universa autem Valachia prout olim in duas distincta fuit Provincias, ita nunc quoque duos diversos habet Principes, Vayvodas dictos; Occidentalis, quæ & minor a Græcis, Slavis, & Turcis Ugroulachia dicta (quod Ungaricam Valachiam significat) a Latinis Transalpina, & superior; ab ipsis autem Valachis Muntena, id est montana: Inferior autem, sive Orientalis, & major olim Mauroulahia dicta, id est Nigra Vlahia a Græcis, nunc quoque a Turcis Carabogdania, id est, nigra Bogdani regio, a Bogdano Principe quod nomen apud Slavos Deodatum significat; nigra vero *a frumento nigro, cujus est ager ille feracissimus* ut Leunclavius asserit; quam frumenti nigredinem Græcis causam dedisse Mauroulahiam denominandi credibile est: hanc eandem Slavi Moldoulahiam a flumine Molda dicunt; Valachi autem Moldove: Geographi vero universam regionem in Valachiam, & Moldaviam distinguunt, & cum utrique hi Valachi charactere Bulgarico, vel Slavo, Cyriliano nuncupato, utantur diplomata suorum Principum idiomate quoque Slavo scribuntur, & etiamsi aliqua Valachico idiomate scripta reperiantur, tamen omnium nomina, & tituli in principio apponi solita Slavo idiomate scripta sunt exempli gratia.

My NN
Milostyu Boxyu Nacalnich
y Voyvoda Ugroulaschi y proca

Nos NN
Gratia Dei Prorex
& Dux Ugroulahorum, & cætera

My NN
Milostyu Boxyu Nacalnich
y Voyvoda Moldoulaschi y proca

Nos NN
Gratia Dei Prorex
& Dux Moldoulahorum, & cætera

Has autem Valachorum regiones antiquissimis temporibus Bastarnæ incoluerunt ut Strabo l. 2. testatur *qui sunt trans Istrum Scythæ, Bastarnæ, & Sauromatæ sæpe prævaluerunt, pulsisque aliis in eorum loca immigrarunt, quidamque eorum, vel in Insulis, vel in Thracia subsiterunt* & infra. *ad ostia Istri magna est Insula* Πευκη *Peuche, quam tenentes Bastarnæ Peuchini sunt cognom nati* idem Ptol. & Zosimus; Tacitus de moribus Germanorum *Peucini, quos Bastarnas vocant* Plinius l. 4. cap. 14. *Peucini Bastarnæ supradictis contermini Dacis* idem Amian. Marcell. & Iornandes: hinc observare licet, insulam, quam Græci Peuchem, & Populos Peuchinos dixere, eandem Latini Peucem: Slavi vero acutiori sono Peuczen, & Peuczinos; inde illud Polonicum Pyeczinigi promanasse dignoscitur; a quo Græci acutam pronunciationem Slavorum imitantes, Patzinacarum nomen pepererunt; hancque eandem Insulam ab accolis parum ab antiqua Peucæ dissona voceæ Pizinam vocari refert Domin. Marius Niger Com. X. de ostiis *Istri* differens *sacrum ostium reliquis amplius Insulam Peucem amplectens, Pizinam modo a Barbaris vocitatam.*

FINIS.

Ar-

Argumenta rerum, quæ hoc Opere continentur.

Liber Primus.

De Illyrico cap. 1.
De Illyrici ora maritima cap. 2.
De finibus Illyrici, regionumque ejus nominibus mutatis, vel obsoletis c. 3.
De Illyrici ordinationibus a Romanis factis, & navigationis Adriatici variatione c. 4.
De Liburnia cap. 5.
De Dalmatia cap. 6.
Quomodo Dal. a variis barbaris vexata, ac possessa, & a Iustiniano simul cum Italia recuperata fuerit cap. 7.
Quomodo Dalmat. a Slavis populata fuerit cap. 8.
Quando Dal. ab Abaribus, vel Slavis occupata, & civitates maritimæ destructæ fuerint cap. 9.
De reædificatione aliquot civitatum Dalmaticarum cap. 10.
De Croatis, & eorum baptismo cap. 11.
De distinctione Dalmat. Croatiæ, & Serviæ cap. 12.
De Zupaniis, sive Comitatibus Croatiæ cap. 13.
De Dalmatia speciali, sive propria c. 14.
Quomodo Croatia cum Italiæ Regno Carolo Magno, & posteris ejus paruerit cap. 15.
De Præfectura Adriatici, & Ducatu Dalmatiæ cap. 16.

Liber Secundus.

De Ducibus Croatarum, & eorum stirpe c. 1.
De rebus in Adriatico gestis Ducum Croatarum tempore cap. 2.
De Narentanis, & eorum baptismo c. 3.
Quomodo Dalmatæ a Slavis pressi Venetorum tutelam consecuti sint. c. 4.
De æquivocatione tributi Croatis vel Narentanis pensi cap. 5.
De Laudibus c. 6.
De titulo Ducatus Dal. a Duce Veneto sumpto cap. 7.
De Regibus, & Banis Croatarum, & eorum stirpe cap. 8.
De titulo Regni Dalm. & Regno Cresimiri Petric. c. 9.
De Regibus Slavizo, & Zuonimiro c. 10.
An Zuonimirus fuerit ultimus Rex Dalm. & Croatiæ c. 11.
De Regni Croatiæ terminis c. 12.
De Regni Dalmatiæ finibus c. 13.
De Archiepiscopatu Salonitano, sive Spalatensi cap. 14.
De moribus Croatarum c. 15.
De moribus Dalmatarum c. 16.

Liber Tertius.

Quomodo Ungari Croatiam adepti sint c. 1.
Quomodo Veneti Dalmatici Regni titulum consecuti sint c. 2.
De gestis Colomani Regis Ungariæ & Croatiæ c. 3.
Quomodo Colomanus Dalmatiam occupaverit cap. 4.
Quomodo Veneti Dalmatiam recuperaverint c. 5.
Quomodo Dalmatiæ & Croatiæ partes ad Ungaros redierint c. 6.
Quomodo Veneti Adriaticam oram recuperaverint c. 7.
De Ung. & Venet. rebus gestis in Dal. & Cro. quæ a scriptoribus non referuntur c. 8.
De rebus gestis Emanuelis Imp. in Dalmatia & Croatia c. 9.
De bello inter Emanuelem, & Venetos, ejusque causis c. 10.
De Archiepiscopatu Iadren. & Primatu Dal. Patriarchæ Graden. c. 11.
De Prima Iadrensi defectione c. 12.
De Pharen. Episcopatu, aliisque in Croatia institutis c. 13.
Quomodo post Imperii declinationem Adriaticæ navigationis ratio mutata fuerit c. 14.

Liber Quartus.

De Iadrensi desolatione cap. 1.
De Iadren. restauratione cap. 2.
De Ducatu Dalmatiæ & Croat. rerumque, & nominum alteratione c. 3.
De Ducatu Chulmiæ, & Piratica Almisanorum cap. 4.
De secunda Iadrensi defectione cap. 5.

De Iadrenſi recuperatione, Coloniaque ibi deducta cap. 6.
De Civibus Iadren. in Civitatem reſtitutis cap. 7.
De Comitibus Civitatum maritimarum Venetis, & Croatis cap. 8.
De Comitibus Breberienſibus, & Almiſanorum Piratica renovata cap. 9.
De ſucceſſione Andreæ, & Caroli Regum Ungariæ cap. 10.
De differentia inter mare Adriaticum, & Culphum Veneticum cap. 11.
De tertia Iadren. defectione cap. 12.
De potentia Breberienſium in Tyrannidem verſa cap. 13.
Quomodo Veneti reliquas Civitates continentis conſecuti ſint, Comiteſque Croatiæ proximos ſibi devinxerint c. 14.
De Iadrenſi obſidione, ejuſque cauſis c. 15.
De his, quæ ad parandum ſibi Regnum Neapolitanum Ludovicus, Rex Ungariæ geſſit cap. 16.
Quomodo Veneti Dalmatiam amiſerunt, Inſuliſque & titulis ejus Ungaris ceſſerunt cap. 17.

LIBER QUINTUS.

De rebus geſtis in Dalmatia vivente Ludovico Rege cap. 1.
De Regis Caroli coronatione, & morte, Reginarumque captivitate c. 2.
De Regibus Boſnæ, rebuſque ab eiſdem in Dal. & Croat. geſtis cap. 3.
De geſtis Ladislavi Regis Neapolitani in Dalmatia cap. 4.
Quomodo Veneti Dalmatiam recuperaverint cap. 5.

LIBER SEXTUS.

De moribus Croatarum recentioribus cap. 1.
De moribus Dalmatar. recentioribus cap. 2.
Dalmatiæ, & Croatiæ fines recentiores cap. 3.
De Sclavonia cap. 4.
De Vlachis cap. 5.

Opus Ioannis Lucii Tragurienſis, de Regno Dalmatiæ in ſex libros diviſum, juſſus a Reverendiſſimo Patre Hyacinto Capizucco, S. Palatii Apoſtolici Magiſtro, legi diligenter, & recenſui, nec in eo quicquam offendi, quod ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus adverſum ſit: Quamobrem dignum publica luce omnino judico. Romæ VI. Kal. Iun. 1662.

Ita cenſeo Ego Stephanus Gradius S. Cong.
Indicis Conſultor.

COMITES BREBERIENSES
de genere SVBICH.

Stephanus Subich de Lika, Comes Breberii.

- Stepco Com. Trag. 1229. Banus totius Sclavoniæ, 1251.
  - Iuachinus Banus Sclav. & Com. Spalati, 1271.
  - Gregor. Com. Almiſi Trag. & Siben. 1282.
  - Mladinus Comes Trag. 1276, Com. Spal. 1282.
  - Paulus Com. Spal. 1275, Banus Maritimus Horvat. Dalmat. & Dominus Boſnæ, mor. 1311.
    - Mladinus Banus Marit. 1282, B. Boſnæ 1292, Comes Iadræ, Princeps Dalmatiæ, & ſecundus Banus Boſnæ 1311. — *Elena*
    - Georgius Secundus C. Almiſi & civitatum Maritimarum 1292, & 1298, Comes Dalmatiæ 1303, 1319, 1326, mor. 1332.
      - Paulus.
      - Georgius.
      - Mladinus Iunior Com. Scardonæ 1303, Com. Cliſſi 1333, mor. 1348. — *Lelca.*
        - Mladinus.
      - Deodatus 1337.
    - Gregorius.
    - Paulus Comes Trag. 1315, Banus 1336, Com. Oſtrovizæ 1343.
      - Georgius 1340.
  - Nicolaus B. Dalmat. & Croatiæ, 1275.
- Gregorius Com. Spal. 1229.
  - Marcus.

COMITES TININII.

Iſanus.

- Georgius 1284.
  - Uladislava Suadich. — Neliptius 1326, Com. Tininii & Spalati 1343. mor. 1344.
    - Margaritha — Ioannes.
      - Eliſabeth 1420. — Ioannes inter cætera Comes Cetinæ, Cliſſi, & Ramæ 1410.
  - Iuan 1336.
    - Conſtantinus Com. Clavæ 1337, 1343.
      - Neliptius 1374, Caſtellanus Scardonæ 1388.

COMITES CORBAVIAE
de genere GUSSICH.

Curiacius Comes Corbaviæ.

- Gregorius, 1326.
  - Gregorius, 1343.
- Budislaus, 1326.
  - Thomas, 1387.
- Paulus, 1326.
  - Budislaus, 1380. & 1387.

REGES BOSNAE.

Stephanus Banus Bosnæ, mor. 1310.

- Stephanus Banus mor. 1357.
  - Elisabeth uxor Ludov. R. Ung.
- *Elena* — Uladislaus.
  - Steph. Tuartko Rex Rasciæ & Bosnæ, 1376.
    - Steph. Tuartko Scurus Rex pulso Ostoya, 1405.
  - Wchich Banus.
- Ninoslaus.
  - Steph. Dabiscia — *Elena*. Rex, mor. 1396.
    - Steph. Ostoya Rex, 1397, mor. 1435.
      - Steph. Thomas Spurius a Mahomete secundo necatus, 1465.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
Leltsz. 152973-1989

RE-

REGES V

GEI

Ladislaus

1065. BELA.

1077. S. LADISLAVS. GEIZA II. 1074.

1095. COLOMANV
Dalmat. & Croat.

1114. STEPHAN. II.

1161. STEPHAN. III. 1173.

1196.

1204. LADISLAVS. *Gertrudis*—ANI
&

Coloman. Rex RVTHEN. Dux Dalmat. & Croat. 1226. 1225. BEL

N.—Anna.
Otocharus—N.
R. Bohem.
Venceslaus.
VENCESLAVS Cor. 1301.

Henricus Dux Bavariæ—Eliſabeth.
OTHO coron. 1303.

Bela Dux de Macou, & de Boſna, 1271.

1270. STEPH
& BVLGA

1272. LADISL
Cunnus occiſ. 12

Casimirus Dux Cujavien.

Zemomislus.
Casimirus.

Ladislaus Lecticus, Rex Poloniæ.

Casimirus Rex Polon. mor. 1370.

Carolus Martellus mor. 1295.

CAROL. ROBERT. 1310. mor. 1342.

Steph. Banus Boſnæ mor. 1310.

Ninoslaus. Vladisl. Stephan. B. Boſnæ.

Eliſabeth.

Eliſabeth.

Wchich Banus.

Tuartko Rex Raſciæ, & Bosnæ.

LVDOVICVS 1342. & Polon. 1370. mor. 1382.

Steph.

Andreas Occ.

Ladislaus Iagelonus, Dux Lithvaniæ.

Heduigi Reg. Polon.

MARIA R. mor. 1392.

SIGISMVND. Sponſus 1385. coronatur 1392. in carcere 1400. Imperat. 1431. mor. 1437.

Eliſabeth ux. Philippi Tarentini * mor. 1370.

Carol Martell poſthum mortuu puer i Hungar

REGES VNGARIÆ.

GEIZA, 989.

Ladislaus — S. STEPHANVS, 997.

1065. BELA. — ANDREAS, 1047.

1077. S. LADISLAVS. — GEIZA II. 1074. — SALOMON, 1066.

1095. COLOMANVS Dalmat. & Croat. 1102. — Almus Rex Croat. 1091.

1114. STEPHAN. II. — 1131. BELA II. Cæcus & Ramæ, 1133.

1141. GEIZA III.

1161. STEPHAN. III. — 1173. BELA III. Ramæ 1188. Galatiæ 1189.

1196. EMERICVS.

1204. LADISLAVS. — *Gertrudis*—ANDREAS II. 1204. & SERVIÆ, 1207.—*Beatrix March. Eſten. filia.*

Coloman. Rex RVTHEN. Dux Dalmat. & Croat. 1226. — 1225. BELA IV. — Stephanus,—*Tomaſina Maurocena Veneta.*

N.—Anna. — *Henricus Dux Bavariæ.*—Eliſabeth. — Bela Dux de Macou, & de Boſna, 1271. — 1270. STEPHAN. IV. & BVLGARIÆ. — 1290. ANDREAS III. Venetus, mor. 1301. — Carolus Rex utriusque Siciliæ.

Otocharus—N. R. Bohem. — OTHO coron. 1303. — 1272. LADISLAVS—*Eliſabeth, Caroli utr. Siciliæ regis filia, & Caroli II. ſoror.* Cunnus occiſ. 1220. — Maria—Carolus. II. Claud. mor. 1309. — Eliſabeth, Ladislai Cunni uxor.

Venceslaus.

VENCESLAVS Cor. 1301. — Caſimirus Dux Cujavien. — Carolus Martellus mor. 1295. — Robertus Rex Neapol. 1309. mar. 1342. — Philippus Princ. Tarenti mor. 1332. — *Catharina filia Balduini Imper. Conſt.* — Ioannes Dux Dyrrachii. — *Agnes filia Com. Petragor.*

Zemomislus. — Ladislaus Lecticus, Rex Poloniæ.

Steph. Banus Boſnæ mor. 1310. — Caſimirus. — Caſimirus Rex Polon. mor. 1370. — Eliſabeth — CAROL. ROBERT. 1310. mor. 1342. — Carolus Dux Calabriæ, mor. 1328. — Robertus Imp. Conſtant. — Ludovicus Rex Neap. mor. 1362. — Philippus mor. 1373.

Ninoslaus. — Vladisl. Stephan. B. Boſnæ. — Eliſabeth.

Wchich Banus. — Tuartko Rex Raſciæ, & Bosnæ. — Eliſabeth. — LVDOVICVS 1342. & Polon. 1370. mor. 1382. — Steph. — Andreas Occ. — Ioanna—*Ludovicus, Philippi Pr. Tar. filius, Rex Neap. mor.* 1362. — Maria poſthuma. — Carolus capite plexus 1348. — Ludov. mor. in carcere 1362. — Robertus occiſus in Gallia 1356.

Ladislaus Iagelonus, Dux Lithvaniæ. — Heduigi Reg. Polon. — MARIA—SIGISMVND. Sponſus 1385. coronatur 1392. in carcere 1400. Imperat. 1431. mor. 1437. — Eliſabeth ux. Philippi Tarentini * mor. 1370. — Carolus Martellus poſthumus mortuus puer in Hungaria. — *Ludovicus Navar.* — Ioanna—*Robertus Atrebaten. mor.* 1382. mort. in carcere 1387. — Agnes. — Margaritha—CAROLVS III. Rex Neap. coron. Hungar. & Occid. 1385.

R. mor. 1392.

LADISLAVS coronat. Iadræ, 1403. vendit Dalmatiam Venetis 1409. mor. 1415. — Ioanna II.

EGYETEMI KÖNYVTÁR ÜLÉSTEREM

NGARIÆ.

Z A, 989.

S. STEPHANVS, 997.

ANDREAS, 1047.

SALOMON, 1066.

S Almus Rex Croat.
1102. 1091.

1131. BELA II. Cæcus & Ramæ, 1133.

1141. GEIZA III.

BELA III. Ramæ 1188. Galatiæ 1189.

EMERICVS.

DREAS II. 1204.—*Beatrix March. Eſten. filia.*

SERVIÆ, 1207.

A IV. Stephanus,—*Tomaſina Maurocena Veneta.*

AN. IV. 1290. ANDREAS III. Carolus Rex utriusque Siciliæ.
RIÆ. Venetus, mor. 1301.

AVS—*Eliſabeth, Caroli utr. Siciliæ regis filia, & Caroli II. ſoror.* Maria—Carolus. II. Claud. mor. 1309. Eliſabeth, Ladislai Cunni uxor.

Robertus Rex Neapol. 1309. mar. 1342. Philippus Princ. Tarenti mor. 1332.—*Catharina filia Balduini Imper. Conſt.* Ioannes Dux Dyrrachii.—*Agnes filia Com. Petragor.*

Carolus Dux Calabriæ, mor. 1328. Robertus Imp. Conſtant. Ludovicus Rex Neap. mor. 1362. Philippus mor. 1373.

Ioanna—*Ludovicus, Philippi Pr. Tar. filius, Rex Neap. mor.* 1362. Maria poſthuma.—Carolus capite plexus 1348. Ludov. mor. in carcere 1362.

us *Ludo-* Ioanna—*Robertus Atre-* Agnes. Margaritha—CAROLV
us *vicus* mort. *baten. mor.* Rex Nea
nus *Na-* in 1382. Hungar.
s *var.* car- 1385.
cere
ia. 1387.

LADISLAVS coronat. Iadræ, 1
vendit Dalmatiam Venetis 1409. r
1415.

796145